



sollicitæ iucunda oblivia vitæ

IO. MABILLONII
ITER GERMANICUM
ET
IO. LAUNOII
DE
SCHOLIS CELEBRIBUS
A CAROLO M. ET POST CAROLUM M.
IN OCCIDENTE INSTAURATIS LIBER.

ACCEDUNT.

FACULTAS PARISIENSIS DE DOCTRINA PRONUNCIANS, ET VETERES FORMULÆ PROTESTATIONUM ROMÆ A PONTIFICIBUS IN PARISIENSI ET QUIBUSDAM ALIIS ACADEMIIS A DOCTORIBUS FIERI SOLITARUM.


PRÆMISSA EST PRÆFATIO

IO. ALBERTI FABRICII
D. ET PROF. PUBL.






HAMBURGI,
Sumtu CHRISTIANI LIEBEZEIT,
A. [illegible] DCCXVII.



CLARISSIMIS
ATQUE
DE ELEGANTI DOCTRINA
ET
DE STUDIOSA JUVENTUTE
EGREGIE PROMERITIS
VIRIS
DN. IO. DAVIDI
SCHREBERO,
ILLUSTRIS SCHOLÆ PORTENSIS,
ET
DN. IO. HENRICO
ACKER,
LYCEI INCLYTI RUDOLSTADIENSIS
RECTORI,
HOC VOLUMEN
CUM CONCEPTISSIMO VOTO PRO
UTRIUSQUE INCOLUMITATE, ET BENEDICTIS
PER PLURIMOS ANNOS LABORUM IN VINEA DOMINI SUCCESSIBUS
SACRUM ESSE CUPIO,
JO. ALBERTUS FABRICIUS.



AD LECTOREM.



QUod primo loco vides in hoc Volumine *Iter* IOANNIS MABILLONII, maximis in litteras meritis Viri, *Germanicum*, depromtum eſt ex quarto Volumine ejus Veterum Analectorum, vulgato Pariſiis A. MDCLXXXV. atque rarius jam obvio; unde deſideriis eorum, Germanorum noſtrorum maxime, qui iter illud cognoſcere geſtiebant, nova hac illius editione ſuffragari volui. Neque vero multus eſt Mabillonius in deſcribendo terrarum ſitu, in fluviis, montibus, urbibus depingendis oratione, in incolarum notandis moribus, in ſoli natura, fructibus, animalibus, plantis exponendis, cujusmodi multa licet in hodœporicis innumerabilibus reperire, utinam tradita ſemper ea fide,

qua Mabillonius narrat in itinere ſuo, auſpiciis Regis Chriſtianiſſimi ſuſcepto Anno MDCLXXXIII in Germaniam una cum ſocio *Michaële Germano*, quas Bibliothecas adierit, quibuscum viris doctis miſcuerit ſermones ac benevolentiam, quos rariores Codices MStos obſervaverit & in uſus ſuos verterit. Ex illis non pauca inſignia vetuſtate monumenta in eodem tomo quarto Analectorum exhibet, alia inſeruit Annalibus Ordinis ſui, cujus decus erat & gloria eritque, Benedictini. Quod ſi cui volupe ſit operibus Mabillonianis deſtituto, quam multa variaque nec minus egregia in illis Analectis ſcripta priſci ævi ſint prolata in lucem, cognoſcere, is *Thomæ Ittigii* mei quondam Doctoris τȣ̃ μακαρίτȣ librum de Bibliothecis Patrum evolvet. De aliis Mabillonii lucubrationibus, ſunt enim plurimæ ac præſtantiſſimæ, ac de univerſo vitæ ejus curſu nolo verbum addere poſt ea, quæ de illo nuper in Bibliotheca Benedictino-Mauriana commentatus eſt novus quidam illius Ordinis hodie Mabillonius, *Bernardus Pez* Bibliothecarius Mellicenſis, alterque non diu poſt Mabillonium defun-

ctus

ctus ipsius in Annalibus continuandis optio *Theodoricus Ruinartus*, qui ejus Vitam singulari volumine consignavit, quod Gallice lucem vidit Parisiis A. MDCC IX. Diem obiit Mabillonius A. M DCC VII. die XXVII. Decembris: Ruinartus biennio post, A. M DCC IX. die Septembris XXIX. Ruinartus quinquagesimum tertium annum ætatis vix implevit, Mabillonius attigit sextum ac septuagesimum.

Alter liber, quem itineri Germanico junxi, non minus Historiam litterariam Patriæ nostræ illustrat, dum ut illud Bibliothecarum arcana, ita hic scholarum in Germania origines docte persequitur. Perinde etiam ab auctore commendabit se facile ut a raritate vel ab argumento. Fuit enim is IOANNES LAUNOIUS, quem constat cum incredibili industria & lectione infinita acrius judicium, candidiorem animum & majorem constantiam ad scribendum attulisse, quam placeret fortasse illis, qui fabulas eximi sibi utiles & errores gratos evelli indignabantur. Cujus rei vestigia in hoc ipso volumine, ubi Censurarum & Protestationum Academicarum historiam noster texit,

licebit quædam insignia videre non sine fructu ac voluptate. Quanquam vero non desistebant adversarii frequentibus Launojum calumniis impetere, & cum Theophilo Raynaudo in *antemurali adversus fortia ingenia* T. VIII. Opp. p. 142. tantum non adjungere impiis Atheisque, vel ut idem facit Raynaudus in Hercule Commodiano, plagii ei impingere crimen & nihil sine Theseo scripsisse arguere T. XVIII. p. 352. ille tamen strenue pergebat inveteratos errores & sublestæ fidei monumenta, ementitam antiquitatem, temereque jactatas origines, & addita fastis falsa nomina Sanctorum, ad clarissimam Veritatis & genuinæ Antiquitatis lucem comparare tanta evidentia, ut assensum etiam invitis exprimeret, tantum illos ut manus darent non potuit permovere, qui erroribus suis pascebantur, & nolebant omnino hos sibi eripi. Quis porro vir fuerit Launojus, longe rectius, quam ex criminationibus hostium, licebit ex ipsius scriptis cognoscere, quorum indicem hoc loco apponere nihil vetat. Utinam esset qui illa recudi junctim in Ecclesiæ usus curaret.

Syllabus rationum, quibus causa Durandi de modo conjunctionis concursuum DEI & creaturæ defenditur, & inofficiosa quorundam recentiorum censura repellitur. Paris. 1636. 8.

Dispunctio Epistolæ (Petri de Marca, Eusebio Henr. Valesii præmissæ) *de tempore, quo primum in Galliis suscepta est Christi fides.* Paris. 1659. 8.

De commentitio Lazari & Maximini, Mariæ Magdalenæ & Marthæ in Provinciam appulsu dissertatio. Paris. 1660. 8. *Ejusdem dissertationis Apologia adversus Jo. Baptistam Guesnæum.* id.

Dissertationes tres, quarum una Gregorii Turonensis de septem Episcoporum adventu in Galliam, altera Sulpicii Severi de primis Galliæ Martyribus locus defenditur, & in utraque diversarum Galliæ Ecclesiarum Origines tractantur. Tertia quid de primi Cenomanorum Antistitis epocha sentiendum sit, explicatur. Paris. 1651. 8. & 1670. 8. editio secunda, auctior.

Discussio responsionis de duobus Dionysiis. Accedunt utriusque Dionysii vita : & dis-

quisitio disquisitionis de Magdalena Massiliensi, cum monumentis Magdalenæ Vizeliacensis. Paris. 1643. 8. Varia Launoji de Dionysiis opuscula quibus sententiam suam adversus Germanum Miletum & Jo. Sanblacatum, Hugonemque Menardum & Petrum Franciscum Chiffletium tuetur, auctiora edita sunt Paris. 1660. 8.

Dissertatio de recta Nicæni Canonis VI. & prout a Rufino explicatur intelligentia. Paris. 1662. 8. editio secunda auctior.

Dissertationis de recta Nicæni Canonis VI. intelligentia propugnatio. Paris. 1671. 8. adversus Henr. Valesium, cujus diss. exstat in calce notarum ad Socratem p. 189. seq.

De vera notione plenarii apud Augustinum Concilii in causa rebaptizantium dissertatio. Paris. 1644. 1661. & 1676. 8. tertia editio.

Confirmatio dissertationis de vera plenarii apud Augustinum Concilii notione. Paris. 1667. 8. adversus Fr. Nicolai œcumenicam dissertationem.

Re-

Remarques sur la dissertation de Mr. David touchant le Baptême des Heretiques, & touchant le Concile plenier dont a parlé S. Augustin. Paris. 1671. 8.

Examen de la preface & de la reponse de Mr. David sur les remarques precedentes. Paris. 1672. 8.

De Victorino Petavionensi Episcopo & Martyre dissertatio cum appendice de quinque Victorinis ad Christophorum Favræum Parisiensem Theologum, Canonicum & Officialem Pictaviensem. Paris. 1653. 8. & 1664. 8.

De auctore vero Professionis fidei, quæ Pelagio, Hieronymo, Augustino tribui vulgo solet, dissertatio pro Pelagio auctore contendens. Paris. 1651. & 1663. 8. editio secunda auctior.

De controversia super exscribendo Parisiensis Ecclesiæ Martyrologio exorta judicium, in quo de dormitione & assumtione Mariæ. Paris. 1671. 8. editio secunda auctior.

Di-

Diversi generis erratorum, quæ in Partheni-cis Nicolai Advoeati Billialdi vindiciis extant, specimen. id. 8. 1675.

De cura Ecclesiæ pro sanctis reliquiisque ac sacris officiis ab omni falsitate vindicandis dissertatio. Paris. 1660. 8. ad calcem diss. de Lazari, Maximini & alior. in Provinciam appulsu.

Dissertatio de cura Ecclesiæ pro miseris & pauperibus, editio secunda auctior. 1663. id. 8.

Veneranda Romanæ Ecclesiæ circa Simoniam traditio. Paris. 1675. 8.

De Sacramento unctionis infirmorum liber & de Viatico unctionem subsecuto, & de statu morientium in cinere & cilicio. Paris. 1673. 8.

Dissertatio de frequentis Confessionis & Communionis usu. Paris. 1653. 8.

Explicata Ecclesiæ traditio circa Canonem *omnis utriusque sexus.* Paris. 1672. 8.

De mente Concilii Tridentini circa contritionem & attritionem in Sacramento Pœnitentiæ Liber, quo scilicet duplici Theolo-

go-

gorum de contritione & attritione opinioni præjudicium nullum fecisse, sed utramque Scholæ liberam reliquisse demonstratur. Paris. 1653. 8.

De mente Concilii Tridentini circa satisfactionem Pœnitentiæ, dissertatio. Paris. 1644. & 1664. 8. editio secunda auctior.

Regia in matrimonium potestas, sive de jure secularium Principum Christianorum in sanciendis impedimentis matrimonium dirimentibus. Paris. 1674. 4.

Contentorum in Dominici Galesii *Ecclesiastica in matrimonium potestate erratorum index.* Paris. 1677. 4.

Dissertatio de veteri ciborum delectu in jejuniis Christianorum & maxime in Quadragesima, editio secunda, cui accessit *de veteri more baptizandi Judæos & infideles, & de priscis solennioribus baptismi temporibus.* Paris. 1663. 8. Prior lucem viderat A. 1649. 8.

De vera caussa secessus S. Brunonis dissertatio, seu defensa Romani breviarii correctio circa historiam S. Brunonis. Paris. 1646.

1646. 8. & Jo. Alberto Portnero curante Argentorat. 1656. 8. atque iterum Parif. 1662. 8vo. editio tertia auctior.

Judicium de Hadriani Valesii disceptatione, quæ de Basilicis inscribitur. Parif. 1658. 8vo.

Examen de certains privileges & autres pieces pour servir au jugement du procés qui est entre Mr. l'Archeveque de Paris & les Moines de S. Germain de Prez. Parif. 1672. 4.

Inquisitio in chartam immunitatis, quam beatus Germanus Parisiorum Episcopus suburbano Monasterio dedisse fertur. Parif. 1657. & 1676. 8.

Assertio inquisitionis in chartam immunitatis, quam beatus Germanus &c. Parif. 1658. 8. contra Robertum Quatremarium.

Inquisitio in chartam fundationis & privilegia Vindocinensis Monasterii Ord. S. Benedicti. Parif. 1661. 8.

Re-

Remarque sur le second inventaire de productions des Prevost, Doyen & Chanoines de l'Eglise Cathedrale de Soissons. Paris. 1671. 4.

Inquisitio in privilegium Monasterii S. Medardi Suessionensis, Ord. S. Benedicti. Paris. 1657. 8.

Ejusdem inquisitionis assertio in tres partes distributa. Paris. 1661. 8.

Inquisitio in Privilegia Præmonstratensis Ordinis. id. 1658. 8.

Censura responsionis ad inquisitionem superiorem editæ a Norberto Caillocio (Caillieu) Paris. 1661. 8.

Jus Capituli Laudunensis apertum in Monasteria Præmonstratensium diœcesis. Paris. 1659. 8.

Examen du privilege d'Alexandre V. & de quelques autres privileges du Monastere de S. Martin de Laon. Paris. 1658. 8vo.

Supplement & correction du factum des Religieux de S. Martin de Laon contre

)( )(Mr.

Mr. d'Estrées Eveque de Laon. id. 1658. 8vo.

Remarques sur les deux pretendus privileges d'Urbain V. données au Monastere de S. Victor de Marseille, Ordre de S. Benoist. Paris. 1672. 4.

Reflexions sur la procedure des Doyen, Chanoines & Chapitre de Vezelay. 1672. 4.

Examen de certains privileges & autres pieces, pour servir au jugement du procés entre Mr. l'Archeveque de Tours & le Chapitre de la même ville. id. 4to.

Reponse au factum des Reguliers d'Agen pour Mr. l'Eveque d'Agen. Paris. 1669. 4.

De auctoritate negantis argumenti dissertatio ad illustriss. Abbatem Cæsarem Estreum. Paris. 1650. & 1662. 8. editio secunda auctior, adversus *Jo. Baptistam Thiers*, cujus dissertatio adversus Launojum eodem anno 1662. Parisiis prodiit.

De

De Simonis Stockii viso, de Sabbatinæ Bullæ privilegio, & de Scapularis Carmelitarum sodalitate dissertationes quinque. Paris. 1642. 1653. & 1663. 8. editio tertia, multis partibus auctior.

Dissertatio de auctore librorum de imitatione Christi, quem *Johannem Gersen* sive *Gessen* Abbatem Vercellensem, non Thoma de Kempis, quem librarii tantum functum esse partibus disputat, simulque respondet iis quæ Joannes Fronto, Canonicus Regularis in refutatione adversariorum Thomæ Kempensis adduxit. Paris. 1649. & 1663. 8. quarta editio.

Remarques sommaires sur un livre intitulé: *la contestation touchant l'Auteur de l'Imitation de Jesus Christ, renduë manifeste par l'opposition de toutes les preuves proposées par les Benedictins & Chanoines Reguliers, divisée en trois parties, avec les preuves justificatives du droict de Thomas de Kempis.* Paris. 1652. & 1663. 8. dediées à Mr. Hubert de Montmor, Maistre des requestes.

De Scholis celebrioribus seu a Carolo M. sive post Carolum M. in Occidente instauratis Liber. Parif. 1672. 8. Hic ipse est quem jam in hoc volumine recusum accipis.

Academia Parisiensis illustrata, sive Historia Gymnasii Regii Navarræi quatuor partibus divisa:

1) continet quæ ab A. MCCCIV. usque ad MDCXL. in Regio Navarræ Gymnasio gesta sunt:

2) Regiæ Navarræ elogia.

3) Scriptores CXXXV, scriptorumque Vitam seu elogium cum operum indice.

4) Doctorum CLXIII. qui bene acta vita claruerunt, elogium. Parif. 1682. 4to.

Duplex Dissertatio: una continens judicium de auctore vitæ S. Maurilii Andegavensis Episcopi, ex MS. Andegavensi erutæ. Altera Renati Andegavensis Episcopi histori-

am

am attingens, in qua etiam cuidam pro eodem Renato Apologia passim respondetur. Subjicitur Apologiæ pro Nefingo, hujus nominis primo Andegavensi Episcopo adversus eum, qui Apologiam pro sancto Renato scripsit. Paris. 1650. & 1663. 8. tertia editio auctior.

De varia Aristotelis in Academia Parisiensi fortuna, extraneis hinc inde adornata præsidiis, liber ad Henricum Lud. Mommorium, libellorum supplicum Magistrum. Paris. 1653. 8. Hagæ Com. 1656. 4. & Paris. 1662. 8. editio tertia auctior.

Epistolæ ad amicos de variis capitibus Antiquitates Ecclesiasticas spectantibus, Paris. 1664. 8. octo voluminibus, quæ deinde junctim prodiere unico volumine Cantabrig. 1689. fol. cum indice quadruplici, & præfatione Guilelmi Saywell. Argumenta singularum Epistolarum exponit Launojus in Historia Gymnasii Navarrei p. 856. seq.

ritable tradition de l'Eglise sur la Predestination & la Grace, liber postumus,

Leodii vulgatus 1702. 12. cujus adhuc inediti fecit mentionem Rich. Simon in Epistolis selectis T. I. p. 214. Eum Launoji esse præter rem negat Gabriel Daniel S. I. in defensione Augustini contra librum illum edita.

Joannis Launoji Elogium, una cum ejusdem notationibus in censuram duarum propositionum Antonii Arnaldi de infallibilitate Papæ nec in quæstionibus de facto nec de jure statuenda. Lond. 1685. 8.

* *
*

Joannes Launojus Theologus & Sorbonista Parisiensis, testis & confessor Veritatis Evangelico-Catholicæ in potioribus fidei capitibus controversis, adversus Robertum Bellarminum & alios quosdam Sedis Romanæ defensores egregius & luculentus, nunc post obitum contra Christianum Lupum Lovaniensem, Immanuelem a Schelstrate Antwerpiensem, Natalem Alexandrum Parisiensem, Domini-

minicum Galesium & Franciscum Marchesium Romanos vindicatus opera & studio Antonii Reiseri, Augustani, SS. Theol. Doctoris, atque Hamburgi in Templo S. Jacobi, Pastoris. Amstelod. 1685. 4.

Præter auctorem elogii paullo ante memorati consules, rogabo, Lector, de Launojo Bibliothecam Ecclesiasticam Chalcenteri Dupinii Tomo XVIII. & Carolum Peraultum in Centuria illustrium sæculo XVII Galliæ Virorum, & hoc quod infra subjeci Epitaphium:

D. O. M.

Hic Jacet JOANNES LAUNOIUS Con-antiensis, Parisiensis Theologus: qui Verita-s assertor perpetuus, Jurium Ecclesiæ & Re-s acerrimus vindex vitam innoxiam exegit: es neglexit, & quantulumcunque, ut reli-rus, satis habuit. Multa scripsit nulla , nullo timore: Optimam famam maxi-nque venerationem apud probos adeptus. num septimum & septuagesimum excessit: Ani-

Animam CHRISTO consignavit d. X. Mart. A. MDCLXXVIII.

Hoc monumentum Amico jucundissimo poni curavit Nicolaus le Camus, supremæ subsidiorum Curiæ princeps.

Vale, Lector, & rem Tuam bene gere.



ITINERIS GERMANICI DESCRIPTIO.

ITer Germanicum, quod ego ſociusque meus Michael Germanus nuper confecimus, ita publici juris haberi cœpit, ut ejus deſcriptionem flagitantibus denegare pæne improbum ac iniquum videatur. Nil juvat, quod contra obtendimus, itinera noſtra tanti non eſſe, quæ publicam lucem mereantur: ceterum in illo Germanico vix quidquam reperiri, quod tanta exſpectatione dignum cenſeri poſſit. Reponunt quippe illi, hoc qualecumque eſt, publica auctoritate publicosque in uſus ſuſceptum, id poſtulare, ut ejus rationes reipublicæ literariæ aliquando reddamus: ne plus apud nos valere credatur inurbanus pudor, quam ejus, qui nos ad hoc iter induxit, gratia & auctoritas. Regiam ipſi interponere non dubitant, quaſi ii ſimus, qui poſſimus tanti Principis vultum & oculos vel tantiſper morari.

Quanquam ita dici, ita prædicari volebat iſtius itineris proxeneta ille munificus, qui nihil ad Ludovici Magni gloriam non agebat. Is ſive ex libris, quos identidem ipſi offerebamus, ſive ex amicorum, qui propius ei adhærebant, relatu, cum non nihil utilitatis in rem literariam ex aliis itineribus noſtris proveniſſe crederet; in animum induxit pro ſua in literas caritate, ut Germaniæ bibliothecas perluſtraremus, non alio ſane conſilio, quam ut inde aliqua monumenta in publicam utilitatem erueremus. Nemo non intelligit, hunc eſſe illuſtriſſimum Johannem Baptiſtam Colbertum, quem mors inopinata e vivis eripuit, cum adhuc in itinere Germanico verſaremur. Hujus itineris ſeriem dum juſſi exponimus, nullus alia præter litteras ac libros quærat in hac narratione: quæ ſi jejuna & ingrata videbitur, fortaſſe litterarum amore, aut certe grati in tantum virum ac memoris animi profeſſione approbata erit.

PROFECTURIS in Germaniam ſeu Alamanniam, (*anno 1683*) quia totam percurrere non licebat, eas partes adire viſum eſt, in quibus ſupereſſent bibliothecæ inſigniores. In pri-

primis excitavit nos ad videndum Sancti-Gallensis, Augiensis, Augustanæ duæ, nempe bibliotheca sancti Udalrici & publica; Ratisponensis sancti Emmerammi & Tergernsensis in Bajoaria, de quibus quamdam antea notitiam habueramus. Itaque ad Helvetos, Svevos & Bajoarios iter instituimus tum maxime, cum intempestiva omnia videbantur, multus undique bellicus fragor & apparatus, Germanorum iræ de Argentorato expugnato, & super his Turcici exercitus in Pannoniam debacchatio: ne quid dicam de obsidione Viennensi, quæ accidit nobis jam in itinere constitutis. Hæc cum ita se haberent, intimus quidam amicus e nostris, Prior sancti Georgii Villingæ ad Silvam-nigram, itineris nostri accepto consilio, litteras ad me dedit die nona Junii scriptas, in quibus hæc inter alia. *De itinere tuo quid? Olim ubique exspectatissimus advenisses: nunc aliter, non propter te, sed propter tempora. Si tempestas aliquando deferbeat, ingredere in gaudium, in brachia sodalium tuorum. Omnibus solatium erit vel conspexisse tantum virum.* Sic ille sentiebat, plus amicitiæ tribuens, quam me deceret vel referre. Insuper remoram adjiciebant

non ſatis integra utriusque noſtrûm valetudo, linguæ Germanicæ ignoratio, & aliæ res, quas commemorare ſingillatim parum intereſt.

Nihilominus iter ingreſſi ſumus die ultima Junii, Veſontionem rheda publica vecti intra novem dies, conſortio interim uſi Divionem usque humaniſſimi viri domini Girardi, cui Ludovicus Granatenſis hoc debet, quod Gallis non minus placeat quam Hiſpanis. Veſontione per biduum moram egimus, in ſancti Vincentii monaſterium hoſpitio humaniſſime accepti a R. P. Hieronymo Coquelino Priore ex Benedictina Congregatione ſancti Vitoni. Altera quàm acceſſimus die omnibus honoris ac benevolentiæ officiis nos prævenit ejusdem loci Abbas Johannes BaptiſtaBoiſotus, ex illuſtri iſtius urbis familia, qui non ſolum muſeum ac bibliothecam ſuam nobis reſeravit, ſed etiam quæque in ea civitate viſu digna erant, nobis commonſtrari curavit.

Eſt hæc Sequanorum metropolis ad Dubim fluvium *(le Doux)* ſita, undiq; prope obſita montium jugis: quorum in uno, cui Cælio nomen eſt, arx urbi imminet, loci poſitu atque

que arte munitiſſima, præaltæ rupis abrupta latera pro muris, fluvii alveum pro vallo habens. Ibi nobiles adoleſcentes, quos regios pueros vocant, inſtituuntur ad virtutem & bellicas artes: quarum egregium ſpecimen ſub Regis oculis dederant ante paucos quam illuc accederemus dies. In hujus montis declivi conſtructa erat ſancti Stephani eccleſia major, ab Hiſpanis ſubrui cœpta ad præſidium loci, nunc penitus exciſa: cujus vicem præſtat, quæ ſecunda Canonicorum ſedes erat, ſancti Johannis Evangeliſtæ eccleſia, ubi modo ſacrum linteum, quo Chriſti mortui involutum corpus traditur, religioſe aſſervatur. Urbs ipſa in Regis Chriſtianiſſimi poteſtatem venit anno MDCLXXIV, ſane perquam elegans, antiquis Romanorum monumentis inſignis, quæ in Veſontione Chiffletii obſervari poſſunt. In eo tamen libro deſiderantur duplicis marmoris nuper effoſſi inſcriptiones, quarum una præcipua ſic habet:

DEO. MERCURIO. CISSO
NIO. DUBTERATIA. CASTULA
NATIONE. SYRIA. TEMPLUM
CONLABSUM. DENUO. DE. SUO
RESTITUIT.

Hoc marmor, quod prope amphiteatrum Vesontionense erutum est, nunc in Museo Boisoti jam laudati Abbatis visitur cum alio item marmore, variisque cimeliis & numismatibus, quæ hic recensere non vacat. Inter ejusdem libros multi sunt ex bibliotheca Granvellana, quidam etiam codices elegantissime scripti, ex Budensi bibliotheca Mathiæ Corvini Hungariæ Regis in Granvellanam transportati. In editis libris inscriptiones non dorso librorum, ut fit apud nos, sed compressis, qua parte explicantur, foliis appositæ sunt: quem morem in plerisque Germaniæ bibliothecis deprehendimus. Ex Budensibus insignes sunt membranei codices *Lactantii de religione*, *Titi Livii* secundum volumen ex tribus, quorum alia duo ex Florentino exemplari descripta sunt anno MCCCCXXV. Omitto libros, variis linguis scriptos, in quibus *Christinæ Pisanæ de Politia* Gallici libri tres, olim impressi. Vivebat apud Gallos regnante Carolo V Christina, cujus Marotus in quodam epigrammate ad Johannam Gaillardam Lugdunensem meminit. Præclara admodum fuit ista Granvellanæ bibliothecæ libraria supellex: quam sane præferrem magni-

gnifico ejus nominis palatio, in cujus hortis Jovis effigies inſignis viſitur, ex Vinea Mediceorum eo translata. Vidimus etiam apud quemdam bibliopolam plurimos, ſed levioris momenti, libros olim cathedralis eccleſiæ, miſſales (ut vocant) & chorales, qui ad librorum compactores damnati ſunt. Eamdem fortunam Pontificalis ejusdem eccleſiæ liber, juſſu Caroli a Novo-caſtro Archiepiſcopi ante annos ducentos eleganter ſcriptus, jam ſubiiſſet, niſi medicus, quem penes eſt, has membranas carius vendere vellet: quas ne quidem duorum aureorum pretio (nam quatuor poſtulabat) ex ejus manibus eripere potuimus. Hæc fortuna fuiſſet veterum librorum omnium, niſi Deus aliam mentem in quorundam Studioſorum mentes hoc ævo inſpiraſſet.

Die 12 Julii humaniſſimis hoſpitibus noſtris actis ex animo gratiis, Baſileam verſus iter inſtituimus, paullulum a recta via declinantes, ut Luxovienſe monaſterium, fama & religione celeberrimum, adiremus. Eo deduxit nos R. P. Fulgentius, qui res Congregationis ſancti Vitoni tunc procurabat in Senatu Veſontionenſi. Hujus ſuaſu tantiſper deflex imus ad Faverniacen-

cenſe monaſterium, *(Favernay)* olim feminarum, quarum Abbatiſſæ litteras Bernardus Abbas Claræuallenſis ſcripſit, poſtea virorum ab annis quingentis: quo tempore monachis Caſæ-Dei ab Anſerico Pontifice is locus traditus eſt, modo ſub Congregatione ſancti Vitoni. In eo monaſterio nihil fere ſingulare, præter unam ex duabus hoſtiis ſacris, quæ, cum anno 1608 in feſtis Pentecoſtes altare ex cereorum accenſorum flamma totum arſiſſet, in ſublime divinitus elatæ perhibentur, eoque pacto ab igne penitus intactæ: quarum una Faverniaci reſervata, altera Dolam translata eſt. Hoc de miraculo quidam hoc diſtichon cecinit:

Impie, quid dubitas hominemque, Deumque fateri?
Se probat eſſe hominem ſanguine, & igne Deum.

Hoc in Diſticho mentio injicitur de alio miraculo, Divione patrato, cum, Judæo quodam ſacram hoſtiam nefarie lancinante, hoſtia ſanguinem reddidit. Ineunte ſæculo octavo, ut perhibent, Godolia Faverniaci Abbatiſſa erat, cujus tempore Berthariusi & Attila martyrio affecti ſunt in proximo

mo vico Menulfi.*(Menoul)* Johannes de Burgundia domicellus, frater Ottonis Burgundiæ Comitis, ſepultus eſt in eccleſia monachorum anno 1373. Faverniacum alluit Lantena fluviolus, *(le Lanterne)* qui in Ararim una leuca inferius devolvitur.

Julii die 14 Luxovium *(Luxeu)* pervenimus. Columbani ejusq; diſcipulorum ſanctitate inſigne. Ibi omnem humanitatem experti ſumus a R. P. Priore domno Hieronymo Pichone, jam pridem nobis noto & amico. Monaſterii eccleſia & clauſtrum aliquam antiquitatem præferunt: cetera ædificia recentiora. Situm eſt ad Bruſcionem amnem, *(la Bruſſe)* in loco ſatis amœno, aëre ſalubri, ubi thermæ hactenus habentur, ab antiquis etiam celebratæ. In eccleſia principe exſtat absque inſcriptione tumulus, ſuper 4 lapides erectus ad navis dextram partem, in quo Angelomus monachus jacere traditur, commentario in libros Regum notus. Cernitur prope majorem eccleſiæ portam pharus, quam Laternam vocant, cujus omnino conſimilem vidi aliquando in Bonævallenſi monaſterio apud Carnutas. Ea uſui fuiſſe videtur in gratiam eorum, qui noctu eccle-

ſiam frequentabant. Sanctus Vvaldebertus Abbas loci tertius ſepultus fuit in oratorio ſancti Martini, quod quondam unum ex monaſticis oratoriis, nunc Luxovii opido continetur. In ſacrario aſſervatur egregius codex Evangelia complectens, tempore Gerardi Abbatis, cujus nudum in indicibus nomen ſine temporis nota occurrit, eleganter exaratus, uti fidem faciunt hi verſus ad Evangelium ſancti Marci:

Auxilio cujus pius auctor codicis hujus
Abba GERART vivat, animæ & de morte reſurgat.

Tum in fine adduntur alii, quibus hunc librum ſancto Petro Luxovii Patrono vovet:

Luxovii paſtor GERARDUS, lucis amator,
Dando Petro librum, lumen mihi poſco ſupernum.

In Capitulari Evangeliorum, quod eidem codici de more ſubjicitur, nulla mentio de Annunciatione, Nativitate beatæ Mariæ, & feſto omnium ſanctorum. Feria vero ſecunda poſt Dominicam ſecundam Quadrageſimæ *in Veſtina*, rectius quam in Kalendario Frontonis, *inter Veſtina*, ad exprimendum

dum ecclesiæ titulum, ubi ipsa die statio erat. Dominica quarta Quadragesimæ *in Susurio*, quæ aliis *in sancto Laurentio*. Inter paucos bibliothecæ reliquos codices insignis est præ ceteris unus, litteris Francogallicis ante annos mille conscriptus: in quo Epistolæ & Evangelia per annum, secundum priscum Ordinem Gallicanum, integra referuntur. De hoc codice alibi dicendum uberius, uti & de alio, qui Clemangii opera complectitur.

Luxovio discedentes, adjuncto nobis reverendo Patre loci Priore, primo excepit Lutrense (*Lure*) monasterium (quod ante paucos dies Rex hospitio suo dignatus fuerat) nobile quondam, nunc Murbacensis Appendix, ubi quinque monachi Germanici versantur ex cœtu Murbacensi. Locus aquis circumductis, validis muris & propugnaculis munitus; ecclesia vetustatem præferens, in qua duo ingentis molis tumuli visuntur, unus sancti Deicoli Abbatis primi, alter Columbini ejus discipuli; ambo nuper illuc cum utriusque sancti reliquiis allati ex proxima sancti Deicoli ecclesia destructa.

Lu-

Lutra relicta ingressi sumus superioris Alsatiæ pagum Suntgoviensem: tuncque primum mores ac linguam Germanicam in subditis Gallicis offendimus. Occurrit nobis in itinere opidum *Befort*, tum *Altkirk*, quod veterem ecclesiam sonat: ubi residet Vicarius Generalis Episcopi Basileensis, qui ipse Bruntruti (*Porentruy*) versari solet, cujus loci dominium ad ipsum spectat, ecclesiastica ditio ad Archiepiscopum Vesontionensem. Post opidum *Befort* occurrit etiam ecclesia beatæ Mariæ de Vallibus, olim Ordinis nostri Prioratus, qui Patribus Societatis Jesu ex Alsatiæ opido Einsemio modo attributus est.

Julii 17 Huningam (*Huningue*) pervenimus, & relictis in meritorio hospitio sarcinulis, clarissimum arcis gubernatorem salutaturi convenimus. Ille vero nos familiari sua comitate exceptos, triduo apud se remanere jussit: Paruimus non inviti, ut spatium videndæ Basileæ haberemus. Quid vero humanitatis atque honoris per illud tempus ab illustri Marchione experti simus, nemo credat, nisi cordatum optimi ac generosi animi pectus noverit. Huninga,

pri-

prius exiguus vicus,nunc opidum munitissimum, Rheno in æquabili planitie impositum, Basilea vix mille passibus distans, Ludovico Magno auctore gloriatur, qui, non sine vicinorum invidia, illud ad Alsatiæ præsidium constructum voluit. Primum loco Rectorem præfecit Marchionem Puteolensem, ex Sileriaco Brulartiorum genere perillustri: quoniam eum esse noverat, qui Basileensium suspicione curata, ab omnibus amaretur, & pro sua virtute ac fide locum ab hostibus tutum præstaret.

Postridie quam istuc accessimus, commodatis equis (nam conducticios remiseramus) Marchio nobis autor fuit, ut monasterium beatæ Mariæ de Petra, quod ante paucos annos a nostris excultum, nobis prorsus ignotum erat, religionis causa adiremus, ejus loci Abbatem de instituendo itinere consulturi. Id situm est inter excelsas alpes,duabus leucis aBasilea civitate,uno lapide ab arce Lanscronia. *(Lanscron)* Illuc summo mane contendimus, Dominica die sacra facturi in frequenti peregrinantium asylo: ubi Gallicana prorsus humanitate excepti sumus a reverendissimo domino Augusti-

gustino, Beinvillensis prope Solodorum *(Soleure)* monasterii Abbate, qui hunc locum, a multis expetitum ad monasticos usus composuit, ornavit & xenodochio præclaro instruxit. Postquam Missas privatas peregimus, sacrum solemne musica perpetua celebratum est, instrumentis musicis cum vocibus & minori (quod vocant) organo simul concinentibus. Prandio facto, bibliothecam lustravimus, sed nullos scriptos codices invenimus, præter unum aut alterum, in quo multi sermones, in Concilio Basileensi habiti, referuntur, omnes fere inediti, sed plane luce non digni. Unus inter alios est Prioris sancti Benigni apud Divionem, alii privatarum personarum. Colloquio de itineris nostri ratione habito cum humanissimo Abbate, litterisque ad Helvetica monasteria commendaticiis ab eodem acceptis, cum multa gratiarum actione Huningam revertimur.

Postera die Basileam ingressi, primo bibliothecam publicam adivimus sub auspiciis illustris Marchionis, qui a Basileensibus non secus colitur, quam proprius eorum præfectus. Omnia nobis humanissime

pro-

propalavit eruditus Buxtorfius, Johannis filius, ipſius bibliothecæ curator. In ea ſervantur plurimi codices ſcripti, cum Græci, tum Latini: in his *quatuor Evangelia græce* ab annis circiter mille exarata; *Gregorii Nazianzeni opera græce* cum commentariis Eliæ Cretenſis & egregiis picturis, quæ priſcos habitus epiſcopalem, ſacerdotalem & ſæcularem exhibent. *Chryſoſtomi* varia item opera, ac *Petri Bleſenſis epiſtolas* non ſemel habet hæc bibliotheca, in cujus exedra ampliſſima habitus eſt primus conventus Concilii Baſileenſis. Ibi etiam legimus holographum Eraſmi teſtamentum, cujus Eraſmi ſepulcrum cum epitaphio cernitur in navi majoris eccleſiæ ad ambonis ſiniſtram partem; ſecus eum locum, ubi Calviniſtæ ſacra ſua faciunt, nempe ad veſtibulum, quo ex navi aditus erat in chorum. Integra ſunt in choro & ſanctuario omnia, quod in Ultrajectina eccleſia maxime probavit magnus Peireskius, teſte Gaſſendo. Oecolampadius tumulum habet in periſtylio ſeu clauſtro (quod vocant) majoris item eccleſiæ, intolerandæ impudentiæ titulo donatus, cum *primus in eadem urbe evangelicæ doctrinæ auctor & templi iſtius verus Epiſco-*

scopus appellatur. Ex cathedrali ecclesia in ædes divertimus elegantissimas domini Fæschii Senatoris Reipublicæ Basileensis, qui nos multa humanitate excepit, comitante semper erudito Buxtorfio. In inferiori ædium parte visitur bibliotheca optimis referta libris, cum editis,tum scriptis: quos inter alii sunt Isidori, alii Bedæ, plerique veterrimi. In superiori parte cimeliarchium omni rerum curiosarum genere locuples. In urbe id singulare, quod horologiorum horæ singulæ singulas nostras unâ prævertant, ita ut Basileensium prima sit nostra duodecima, & sic de aliis consequentibus, nulla certa ejus diversitatis ratione. Paulus Hentznerus in Itinerario suo anni 1597 meminit hujus rei singularis. Matres-familias in publico raræ, nunquam in conviviis, tantum-non ancillantur. In minori Basilea, quæ majori jungitur ponte Rheni sublicio, ante motus Helveticos insignis Cartusia exstabat, ex qua multi codices in publicam illam, quam superius descripsimus, bibliothecam transpositi sunt. Duos tantum notare juvat, unum qui Guigonis statuta continet, alterum qui vitam sancti Brunonis, incipientem ab his verbis:

Quod

Quod Sapiens exhortationis gratia dicit, &c. In fine hæc leguntur: *Frater Ludovicus Moſer, monachus profeſſus hujus vallis b:atæ Margaretæ Baſileæ Ordinis, hunc transſumpſit ex chalcographo patris Henrici de Alveldia, ejusdem domus quondam Prioris anno 1486, 18 die April., anno præfati patris Henrici in Ordine Cartuſienſium 50.* Hæc idcirco notare viſum eſt, quod in eo libello agatur de funere famoſo illius Doctoris Pariſienſis. Duabus ſupra Baſileam leucis ad Rhenum olim ſtabat Auguſta Rauracorum, *(Augſt)* antiqua Epiſcopi ſedes.

Julii 21 illuſtriſſimi Marchionis & reverendiſſimi Abbatis Auguſtini litteris muniti, comparatis equis, Huninga diſceſſimus, & Baſileam transgreſſi, Germanicum ſolum terere cœpimus, in poſterum ad tres fere menſes moribus noſtris & linguæ nativæ valedicturi, Germanicis, Helveticisque aſſuefaciendi, quorum hæc ſumma eſt. Ubi in aliquod diverſorium venitur, hoſpes & hoſpita, data ſalutantis dextera, hoſpites ſibi gratiſſimos adveniſſe teſtantur. Tum ſubeundum triclinium, in quo tanta paſſim in æſtate muſcarum propter hypocauſtum,

 ubi

ubi per hyemem latitant, copia & importunitas, ut flabello ſint abigendæ. Nec minus moleſtus tabaci graveolentis fœtor. Hic ſæpius quod nolint, quam quod velint refectuRis ingeritur. Panis ingrate cerviſia & feniculo conditus: obſonia pro more gentis pipere aliisque ejusmodi ſalſamentis infarta. Omnia accurate in tabella deſcribuntur. Lectorum forma Gallis inſolens, corpore quidem brevior, multis cervicalibus congeſtis, ut ſedenti quam jacenti ſimilior videare. Nec commodior lectorum apparatus: cum etiam æſtate pro levi ſtragulo gravis culcitra plumis fœta ſuſtinenda ſit. De cetero omnia ſatis nitida & munda, & in quovis Catholicorum triclinio ſemper eminet exſtans Crucifixi effigies. Ad ſingulas domorum & cubiculorum januas affigitur titulus, quo mentem ſanam & puram, honorem Deo & Patriæ liberationem precantur, ſanctam Agatham appellando, quam contra incendia patronam agnoſcunt. Exituris hoſpes, qui adventantibus miniſtrare ſolet, expenſarum tabulam offert creta deſcriptam: tum ſingula in rationes immurmurando redigens, ſummam conficit, a qua ne ſcrupulo quidem diffidere impune licet.

licet. Tanta est gentis religio & æquitas. Discessuris *in amorem sancti Johannis* propinari mos est.

Hæc præmittenda fuêre ad novum iter, quod nobis prima die non plane jucundum fuit. Nam cum Basileæ ponte (quod nobis male vertit) transmisso, Rheni oram sursum legentes ad Rhinfeldæ (*Rhinfeld*) urbis Cæsari addictæ portam venissemus, rogata transmeandi facultate, itum sæpius & reditum ad Gubernatorem, a quo nullo pacto, nullis precibus hanc facultatem extorquere licuit nobis interim fervente sole per duas horas ad primas urbis excubias subsistentibus. Sic nos pœnas dedimus assultus, urbi illi nuper a nostris facti, Gubernatoris memores iras coacti ad solem devorare. Alio itaque tentandus Rheni transitus (nam Badam Helvetiorum cogitabamus) & Sekingas (*Sechingen*) usque procedendum, opidum extremò bello valde afflictum, cujus pons igne Gallicano conflagravit. Ibi collegium est nobilium domicellarum, seu Canonicarum octo cum Abbatissa, Principis titulo insigni & quatuor Canonicis, in ecclesia sancti Fridolini Abbatis, qui ibi præcipua religione colitur.

Inde Rheni tranſitu a trucibus nautis vix impetrato, poſt arduum montem ſuperatum, hoſpitium nobis præbuit Calviniſtarum opidum *Brouc* dictum, ſub pago ſeu cantone Bernenſi, ad Arolam *(l'Ar)* fluvium.

Sequenti die trajecto Ruſa fluvio, *(la Ruſe)* acceſſimus Badenam ſeu Badam, *(Baden)* Diæta cantonum calidisque thermis celebre opidum ad Limagum, ubi Helvetiorum comitia tunc habebantur. Mox audientiæ gratia ab excellentiſſimo Regis Legato domino Gravellio impetrata, litteras ipſi a Marchione Puteolenſi porreximus, & ex ejus favorabili reſponſo intelleximus, nos etiam aliunde ipſi fuiſſe commendatos. Id vero probavit maxima ejus in nos humanitas, quos non ſolum in menſam privatam ſecum admittere dignatus eſt, ſed etiam in publico hoſpitio liberaliter excipi juſſit. Iſtius opidi ædificia elegantia ſunt, præſertim ædes cantonis Bernenſis, omnes albicante gypſo paſſim cum picturis, ut in aliis Germaniæ opidis, decoratæ. Eccleſia præcipua beatiſſimæ Virgini aſſumtæ ſacra eſt. In eam convenimus die feſto ſanctæ Magdalenæ ad concionem, tametſi linguæ prorſus

ſus ignorantes, ut ritus patriæ obſervaremus. In primis concionator Capucinus integrum feſti Evangelium idiomate vulgari ex libro perlegit, omnibus auditoribus in pedes ſtantibus cum magna reverentia, non promiſcuo ſexu, ſed diſcreto. Deinde ſedentibus poſt lectum evangelium omnibus, concionem ſolemni more inſtituit, niſi quod angelica ſalutatio a ſedentibus recitata eſt. Aliud item in illa eccleſia obſervavimus, nempe Baptiſterium in ſuperiori navis parte ad aquilonem poſitum ſub effigie columbæ ſuſpenſæ, exemplo ducto a Chriſti Domini baptiſmo, in quo Spiritus ſanctus ſub forma columbæ ſpectabilem ſe præbuit.

Eodem die ad veſperam a nobis luſtratum eſt Ordinis Ciſtercienſis cœnobium, Marisſtella primitus appellatum, alias Wettingenſe a proximo vico, vix mille paſſibus a Bada, anno 1227 erectum ad Limagum fluvium. Salutato reverendiſſimo Abbate, inter iſtius aſceterii viros religioſos unum vidimus Joſephum Meglingerum, virum doctum & modeſtum, qui nobis duos libellos a ſe ſcriptos editosque amice conceſſit, ipſe autor & typographus. *Annus Ciſter-*

cienſis eſt, in quo geſta præcipua ſanctorum ac piorum Ciſtercienſium monachorum eleganti ſſime referuntur. Ejusdem eſt *Iter Ciſtercienſe*, quod compoſuit occaſione Capituli generalis Ciſtercienſis anni 1667, ad quod ipſe profectus eſt. In exteriori eccleſiæ ſiniſtro latere viſitur ſepulcrum Alberti I Romanorum Imperatoris, cujus corpus poſtea Spiram juſſu Henrici VII delatum eſt.

In eccleſia eximium nitorem & decorem omnia ſpirant, longe certe majorem quam baſilicæ noſtrates. Hoc diſcrimen „ in ſuo Itinere advertit Joſephus mox laudatus, ſcribens ſe Divione grandia quidem templa vidiſſe, ſed parum expolita. „ Summum altare, inquit, fere omnem totius templi decorem continet: reliquarum partium obſcuritas, aranearum telæ „ & neglectus ubique cultus has ſacras ædes „ longe infra Germanæ pietatis ſedulitatem „ ponunt, quorum templa ad quamdam „ cœleſtium manſionum invidiam Numinis „ honori parantur. Quippe Germani maxime in hac elegantia & in multiplici vocum & inſtrumentorum variorum concentu pietatem locant, quæ nos pietatis impedimen-

dimen-

dimenta Galli reputamus. De musica musicisque instrumentis loquor, nam optandum esset, ut ille ecclesiarum nitor ita apud nos vigeret, ut apud Helvetos & Germanos musices amor.

Badam ipsa die reversi, crastina inde discessimus, instructi litteris excellentissimi Oratoris ad varias Germaniæ personas illustres, & ex ejus mandato deducente nos domino *le Baron* Diætæ Secretario, in Murense Ordinis nostri monasterium pervenimus, quod a Wernhero Argentinensi Episcopo constructum est anno 1072. Distat hic locus a Bada sex horarum itinere, in quo Mulinga & Brimaguardia opida ad Rusam occurrunt. Ab hoc amne uno horario milliari dissitum est monasterium, *Moury* vulgo dictum, in diœcesi Constantiensi, loco pro regione satis amœno & jucundo, ubi degunt monachi quinquaginta sub Congregationis Helveticæ accurata disciplina. Eximia fuit in nos optimi Abbatis Hieronymi benevolentia & humanitas, cui omnium religiosorum sollicita & sedula caritas accessit. Ex ejus cœnobii monumentis anno 1618 vulgatæ sunt *Origines Murensis monasterii* cum genealogia Principum fundato-

datorum: & anno 1651 prodiit vera *Origo & genealogia Comitum Habsburgensium*, auctore Dominico, erudito istius loci Abbate, contra recentium auctorum fabulas. Priorem libellum tanti fecit eximius Peireskius, ut magna contentione repetitisque ad Vicum Regis in has partes Legatum literis obtinuerit authentica forma acto-
„rum exemplum, quod posset inferri in
„chartophylacium regium. adeo verebatur,
„inquit Gassendus, ne autographo sinistri
„quidpiam contingeret. Quin etiam, re
„jam in tuto collocata, procuravit sollicite
„iteratam editionem tum actorum omni-
„um, tum maxime ejus genealogiæ, quam
„ne una quidem syllaba addita vel demta,
„redegit in perspicuum schema. Plura videsis apud eundem Gassendum de istorum actorum utilitate ad refellendum Verneri, Guillimanni & Piespordii commentum de stemmate domus Austriacæ; probandumque Principes Austriacos serie dumtaxat feminea, non virili, ut illi fingunt, ad Habsburgicam familiam, mascula vero ad Tiersteinicam pertinere. Integra hæc acta vidimus in Murensi bibliotheca, & quosdam alios codices mss. quos inter unus est perve-

vetuſtus, continens poſt Bedæ librum de tempore Chronicon Reginonis, cum continuatione Hermanni Contracti & Berchtoldi ejus diſcipuli. Reginonis Chronicon deſinit ut in editis, annosque Chriſti adſcriptos habet, contra quàm nonnulli de hoc Chronico opinantur, exiſtimantes annorum calculum adjecticium eſſe. Idem olim, quod in Murenſi, advertimus in optimæ notæ codice Gemblacenſi. Alius Murenſis codex ante annos fere ſexcentos exaratus, continet Martyrologium, & Regulam ſancti Benedicti, feminis accommodatam. Pingitur initio ſanctus Benedictus ſedens, cum pedo in manu, atram habens brevem cucullam, togam ſeu tunicam albam, & calceos ſubnigros. In Necrologio, quod in ſanctorum Kalendario permiſtum eſt, multarum illuſtrium perſonarum obitus recenſentur. In alio Necrologio Murenſi notantur etiam Habsburgenſis familiæ inſigniores perſonæ. Inter codices recentiores habetur *liber de antiquitatibus monaſterii Fabarienſis*, Ordinis noſtri in Rhucantia finibus Helvetiæ ſiti, auctore Auguſtino Stoklino Murenſi primum, dein Fabarienſi Decano, poſtmodum Abbate, qui opus illud compoſuit

 anno

anno 1628, ubi multa ſcitu digna refert. Plura alia ſcripſit eleganter & accurate Abbas ille digniſſimus.

Muræ illud primum obſervavimus, quod in omnibus ferme Germaniæ locis obſervatur, ut unus famulorum propter incendii periculum noctu excubias agat, & ſingulis ab ignitegio horis, id eſt ab hora octava in hyeme, nona in æſtate, quædam verba variis in locis proclamet, ut ſe vigilem probet. *Audite quid dicturus ſim*, inquit ille in æſtate hora nona, *inſonat hora nona, exſtinguite lumen & ignem, ut nos Deus cum Maria tuetur.* In aliis horis ſignificat talem inſonuiſſe horam. Id fit, inquam, propter incendii periculum, quod in Germaniæ partibus maximum eſt, quoniam abietinis lignis fere omnia conſtant, ut etiam in pleriſque locis pro tegulis ſint aſſeres abiegni. Quod in memoriam revocat Taciti locum ex libro de moribus Germaniæ: *Vicos colunt*, ait, *non in noſtrum morem connexis & cohærentibus ædificiis: ſuam quiſque domum ſpatio circumdat, ſive adverſus caſus ignis remedium, ſive inſcitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum uſus. Materia utuntur ad omnia uniformi, & citra ſpeciem*

aut

aut delectationem. Hanc materiam esse puto abiegnam, ex qua etiam hodierni Germani stratas publicas sternunt, pontes tegunt, & quid non faciunt? quod in eorum sylvis hoc unum ligni genus abundet. Sed eorum ædificiis probe convenit, quod Tacitus subdit: *Quædam loca diligentius illinunt terra, ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta imitetur.* Illud maxime apud Helvetos itinerantibus molestissimum, quod non solum singuli singula sua prædia septis circumdant, quæ nemini violare impune licet; sed etiam publicas vias frequentibus repagulis impediunt. Hoc autem vice versa jucundum simul & commodum, quod frequentes occurrunt fontes, per abietinos tubos & canales diducti, seu in subjectos aquarios truncos, seu in prata irrigua.

Conducto in reliquum iter interprete, Julii 26 Mura discessimus Einsidlam versus, quæ novem inde horarum itinere distat, ducem habentes R. P. Carolum, juvenum institutorem. Inter eundum vidimus parthenona Cisterciensem, vocabulo Frawenthal, id est Vallis-Virginis, ad Lorsam; qui amnis defluit ex lacu Tugiensi. Adjacet

isti lacui, valde piscoso & amplo, urbs Tugium, (*Zug*) caput Helvetici cantonis cognominis, locus sane amœnissimus. Ibi sacra celebravimus in æde sancti Oswaldi Anglorum Regis; alia ecclesia sancto Michaëli nuncupata. Inde recreati Abbatis Murensis liberalitate, subiimus arduum montem, ex quo descensus est in subjectam vallem, ubi lacus Aquæ-regiæ (*Aigré*) dictus. In ea valle aliisque circumpositis plurima hinc inde cernuntur tuguriola, in quæ rustici fœna sua comportant, cum ad unum locum propter difficultatem viarum convehere non possint. Singuli rustici plures habent ejusmodi casas, atque in eis stationes vicissim hyeme faciunt, cum pecoribus suis promiscue degentes. Cibus per id tempus caseus, lac concretum, & alia id genus: rarus panis, quod in ea valle segetes haut nascantur, nec per hyemem facilis sit ex illis latibulis egressus. Hanc vallem præcelsi hinc inde montes cingunt, inter quos Mons *Gubel*, in quo Catholici circiter trecenti hæreticorum millia circiter sex fuderunt. Nec longe a Tugio in pago Tigurino insignis fuit pugna ad Capellense Cisterciensium monasterium, qua in pugna Zwinglius inter-

interfectus, ac postea ejus cadaver flammis crematum est.

Tandem multis montium jugis & scopulis superatis, ipsa die accessimus ad Einsidlense monasterium, (*Ensidlen*) quod latino nomine Beatæ Mariæ Eremus appellatur. Locus est Fidelium concursu percelebris ac religione monachorum, qui ibi numero centum degunt. His præest reverendissimus & illustrissimus Abbas Augustinus Redingus, Congregationis Helveticæ Visitator primus, modestia & religione non minus, quam libris editis clarus, ex quibus volumina duo ad refellenda Ministri Tigurini in Baronium objecta, tria de rebus Theologicis in lucem emisit Einsidlensibus typis. Is non modo omnimodam nobis humanitatem & caritatem exhiberi jussit, sed etiam communicari omnia vetera monumenta, quæ in rem nostram facere poterant. Et hoc certe cum multa sedulitate exsecutus est R. P. Placidus, ipsius germanus frater, idemque Theologiæ prælector, qui in ætate non admodum provecta egregios in omni fere scientiarum genere progressus fecit. Majori templo inclusum est primarium beatæ Mariæ sacellum, sanctum Megin-

ginradum auctorem habens, quod voti causa undique frequentatur. Altare majus ecclesiæ ex marmore magnificentissime nunc primum absolutum. Insignis est locus ad sacra asservanda supra capellam beatæ Magdalenæ elegantissimam, in qua pœnitentes sese confessionis remedio expiare solent. In sacra supellectile omne pretium superat Ostensorium, in quo Christi Domini corpus exponitur, totum ex auro, gemmis & lapillis pretiosissimis ornatum. Crux est etiam valde antiqua & procera, in qua Christi effigies quatuor clavis pro more veterum affixa est, adhibitis utrimque in crucis ramis variis reliquiis, cum variis etiam inscriptionibus, quarum hæc una est: *Adalbero & Uto pro Domino de se simul hoc instituerunt.* In bibliotheca multi sunt exquisiti codices, ex quibus non pauca excerpsimus in consequentibus referenda. quales sunt inscriptiones Romanæ insignes, acta Martyrum authentica, Frowini in Monte Angelorum Abbatis egregium opus de gratia & libero arbitrio, qui auctor vivebat ante annos fere sexcentos.

Einsidla egressi die 30 Julii ad lacum Tigurinum (*de Zurich*) tendimus, conscenso

prius

prius arduo monte, ubi ſancti Meginradi eremitæ primaria ſedes & ædicula viſitur. Ex eo loco proſpectus eſt in ſubjectum lacum Tigurinum & adjacentem regionem, adeoque in Uſnaugiam laci parvam inſulam, in qua beatus Adalricus, ſimulque Regulinda Comitiſſa mater ipſius habitavit. Trajecto lacu per pontem ſublicium uno lapide porrectum, cujus mobiles aſſeres nullis clavis affixi ſunt, Raperſchwilam opidum ex adverſa laci parte ſitum pertranſivimus: & facto per duas horas montis excelſiſſimi adſcenſu & deſcenſu, ſub veſperam devenimus ad Fiſchingenſe Ordinis noſtri monaſterium, comitante nos domno Placido mox laudato: ubi piiſſimum Abbatem & religioſos monachos, ſed nulla fere monumenta invenimus. Locus iſte primitus *Piſcina*, vulgo *Fiſchingen*, itemque *Augia ſancti Petri* appellatus, ſanctam Ittam ſeptimo ſæculo monaſterii conditricem agnoſcit. Situs eſt ad radicem montis Hoërlini, in Comitatu Toggenburgenſi, non procul ab antiqua arce cognomine. *Anno MCXXXVIII venerabilis Presbyter Waltrammus Petrishuſenſis monachus in Patrem & Abbatem electus eſt, atque conſecratus ab UDALRICO,*

reve-

reverendo Constantiensi Episcopo secundo ad locum Augiæ sanctæ Mariæ, Fiskine dictum. Ipsum ergo novum atque tenuem locum, sed habilem, utilem & spiritualibus hominibus satis congruum adiens, Dei fretus adminiculo, basilicam sanctæ Mariæ a fundamentis cœpit ædificare & sex annis pie consummans fecit dedicare. Domicilia tria, Fratribus, sororibus ac hospitalem ædificavit. Libros vero Missalem, Evangeliarium, Lectionartum, Officialem, Benedictionalem, Antiphonarium, Psalterium, Regulam patravit &c: ista omnia infra octo annos regiminis sui patravit & acquisivit. Multi pia ejus admonitione ad conversionem venerunt, ex quorum dationibus multipliciter pæne viginti mansibus locum locupletavit. Hæc carptim ex veteri instrumento.

In sequenti die Turgoiam ingressi, reliquimus ad sinistram opidum Villam, ubi Præpositura est monasterii sancti Galli, ad quod ipsa die accessimus. Ex omnibus Helveticis cœnobiis hoc priorem locum tenet, cujus Abbas Princeps est, uti & Einsidlensis, sed ætate & dignitate superior, totiusque Congregationis Helveto-Benedictinæ veluti caput. Aberat tunc a loco reverendissimus senex, versatus in monaste-

rio ſancti Johannis ſibi ſubjecto: ſed comperto adventu noſtro proximo, mandatum dederat, ſua ut bibliotheca & omnia nobis commonſtrarentur: quod magna cum humanitate & ſedulitate præſtiterunt R.P. Subprior & Pater Hermannus bibliothecarius vir doctus & linguarum ſciens. Ante aditum monaſterii opidum eſt pervium, modo liberum, ſatis elegans, totum Calviniſtarum, in valle ſatis amœna, ſed anguſta, unius muri intervallo ſejunctum a monaſterio. Urbem claudit ex parte meridiana monaſterium, monte ex ea parte conſtrictum. Porta major duplex: aliam opidani extrinſecus contra religioſos, aliam religioſi intrinſecus contra opidanos occludunt. Sequitur area in longum ſatis ampla, cui adjacent ædes Abbatis & hoſpitum, eccleſiæ & dormitorio contiguæ. Eccleſia elegans & nitida, cujus chorus fornicem habet, navis laquear, ut pleræque illarum partium baſilicæ. Sub altari majori eſt crypta Notkeri pietate celebrata. In occidentali baſilicæ parte, ubi porta nulla eſt (quod in multis monaſteriis obſervavimus) ſed a latere, viſitur alia crypta, in qua ſanctus Otmarus primum ſepultura donatus eſt. Ibi exſtructum nuper

elegans oratorium, cum ſacris corporibus Roma recens advectis: quorum oſſa, ut fit in illis partibus, continue diſpoſita & vittis pretioſis religata, medio vitro ſpectantium oculis objecto, totam oſſeam compagem conſpicuam reddunt. Ad meridiem locatæ ſunt regulares officinæ, adeoque bibliotheca optimis libris referta, cum typographica officina. Omnia modeſtiam, elegantiam & nitorem ſpirant, maxime eccleſia, in qua quæcunque ad ſacra pertinent, accuratiſſime & religioſiſſime præſtantur. In omnibus porro Germanicis monaſteriis unum habetur Muſeum, quod vocant, id eſt, amplum ædificium, duplicem habens fornacem, diſtinctaſque ſolis aſſeribus cellulas pro religioſorum numero, ubi per totum ferme diem extra officia divina hyeme verſantur. In refectoriis etiam, quæ humilia & laqueari ornata ſunt affabre elaborato & ſplendido, habentur fornaces ad calorem excitandum. In hoc denique monaſterio degunt religioſi centum, præter juvenes religioſæ vitæ candidatos, qui in omnibus Helveticis monaſteriis recte inſtituuntur ſub habitu fere monaſtico, præter cucullam. Fratres laici barbam promittunt, ut olim,

id-

Idcirco dicti quondam Fratres Barbati. Primus post Abbatem vocatur Decanus, quod nomen in solis monasteriis obtinet, ubi Abbas princeps est, ut Fuldæ, Campidonæ, ad sanctum Gallum, Einsidlæ & Corbejæ novæ. alibi vocantur Priores; tertius ubique Subprior. Apud S. Gallum studia litterarum vigent pro religiosis, quorum multi præter Latinam linguas Græcam &Hebraicam callent. Unus ex eis doctissimus Pater Cælestinus ex familia Sfondratensi, in Liguribus clarissima, opus quoddam philosophicum condit, in rebus etiam theologicis & jure canonico versatissimus. Domnus Hermannus bibliothecarius historiam monasteriorum Helveticorum meditatur. Altera quam istuc accessimus die, Dominica prima Augusti, facta est supplicatio, ad quam magna Fidelium multitudo ex vicinis pagis confluxit. Litaniæ aliæque preces vulgari idiomate a promiscuo sexu cantatæ, sed vocibus ac modulis optime compositis distinctisque. Sic in Missa cum sacra communio porrigitur, *Domine, non sum dignus* a Sacerdote germanice dicitur, uti & pleræque publicæ in ecclesia extra divinum Officium preces.

Redeo ad bibliothecam, in qua præter

editos magna est veterum optimæ notæ librorum copia, ex quibus multa in nostros usus collegimus, adjutante Hermanno. Quosdam alios insigniores noto in gratiam studiosorum. *Orosii historia* eleganter scripta cum hac clausula in fine: *Plura in hoc libro fatuitate cujusdam, ut sibi videbatur (scioli) male scripta domnus Notkerus jussit in locis asscribi. Assumtis ergo duobus exemplaribus, quæ Deo dante valuimus, tanti viri judicio fecimus.* Alius est codex, *Alcimi Aviti poemata* continens ab editione Coloniensi plane diversa. Ibidem *Ferrandi Diaconi liber ad Reginum Comitem: Prosperi opera* fere omnia: *Ruricii Lemovicensis epistolæ.* Rabani *epistola ad Heribaldum episcopum Alcedronensem*, id est Autissiodorensem, & alia ejusdem. Item *Quintiliani institutiones* in codice perantiquo, quem Poggius exscribendum accepit ex ipsa sancti Galli bibliotheca, non *apud salsamentarium* reperit, ut Paulus Jovius affirmavit, & ex eo alii. In fine quorumdam Alcuini operum hæc leguntur. *Anno DCCCVI ab Incarnatione Domini Indictione XIV, anno 28 regnante Karolo Imperatore, VIII Idus Februarii, die Veneris, divisum est regnum illius inter filiis suis, quantum unusquis-*

quisque post illum habet: & ego alio die hoc opus (perfeci.) Et in fine prognostici auctore Juliano: *Utere feliciter SPASSANDE Papa jugiter per sæcula longa.* Ad hæc Trithemii historia Hirsaugiensis triplo auctior quam in editis: ne quid dicam de revelationibus sanctæ Gertrudis, quæ item a vulgatis multum differunt. Denique in alio codice hæc de Hildegarda Ludovici Germaniæ Regis primi filia adjecta sunt. *X Kal. Januarii HILDEGARDA virgo Christi, & domni Hludovvici Regis filia, de hoc sæculo migravit ad Christum, & humata est in ecclesia sanctæ Regulæ & Felicis martyrum Christi in castello Turego.* (Zurich)

Hoc jacet in tumulo Christi dignissima virgo
HILDEGARDA, nitens moribus egregiis.
Hæc fuit eximii HLUDOWICI filia Regis:
Mentem sponte suam voverat illa Deo.
Bis denos octo vita compleverat annos,
Migrans ad sponsum virgo beata suum.

In brevi Chronico Weingartensi de ea sic legitur: *Anno DCCCLVII Serenissimi Hludovici Regis filia* HILTIGART *obiit.* Asservatur in eadem bibliotheca vetus monasterii sancti Galli delineatio, ante annos octingentos depicta, omnes loci officinas adjunctis versibus

 sibus

ſibus accurate exhibens: cujus exemplum Hermanni beneficio accepimus. Idem etiam nobis oſtendit omnes monaſterii ſui chartas, omnia diplomata & inſtrumenta in unum corpus nuper typis domeſticis redacta: cujus collectionis unum exemplum in archivo eccleſiæ Romanæ; alia quædam in celebrioribus aliquot Helvetiæ monaſteriis repoſita ſunt: cetera privatim in ipſo monaſterio ſancti Galli reſervantur ad documentum poſterorum. Idem præſtiterunt Einſidlenſes noſtri: ut ſi quo incendii vel belli caſu ipſa primaria inſtrumenta perire contingat, jacturam utcumque ſarciat hæc collectio.

Luſtrato ſancti Galli monaſterio, adjuncti etiam opidi bibliothecam adivimus, quæ una cum collegio publico exſtat eo in loco, ubi tempore ejuratæ religionis Dominicanæ ſanctimoniales degebant, quæ eximium catholicæ Fidei ſpecimen dederunt. Oſtenſi ſunt in ea bibliotheca inediti quidam libri Vadiani, multæque ejuſdem & variorum ad ipſum epiſtolæ idiographæ: cetera non ſunt magni momenti. In omnibus antiquis codicibus Germanicis, etiam germanico idiomate ſcriptis, eadem eſt litterarum forma atque in Gallicanis. Ipſo

Ipſo tempore nuntium de Viennenſi per Turcos obſidione accepimus, quod nos de proſequendo itinere aliquantum ſuſpenſos reddidit, animo reputantes, an tuta futura eſſet via in Bajoariam usque, quo armorum Turcicorum terror indubie penetraverat. Accedebant etiam aliæ rationes, quæ nos fortaſſe ſuſpectos redderent in tam difficili temporis articulo; aut certe a bibliothecis luſtrandis, qui unus erat noſtræ profectionis ſcopus, excluderent. Sed tandem animum obfirmavimus, accepto conſilio adeundi ſaltem Campidonam, ex quo certiora de rerum ſtatu nuntia habere poſſemus. Sic itaque ex ſancti Galli monaſterio diſceſſimus, quod poſtremum vidimus ex Congregatione Helveto-Benedictina.

Hæc anno 1602 inſtituta eſt, quo tempore reverendiſſimi Abbates Bernardus Sancti Galli, Auguſtinus Einſidlenſis, Joannes Jodocus Murenſis, Benedictus Fiſchingenſis, ſe in unum aliquod communis Congregationis corpus coadunare decreverunt. Id vero litteris ſuis approbavit Clemens VIII, ceterosque Abbates ad æmulationem provocavit. His animati Abbates duo, Mich. Fabarienſis & Geroldus Rhenovienſis, ejusdem ſe

Congregationis corpori adjunxerunt, aliis aliisque deinceps ad duodecim monasteriorum numerum succedentibus. Gregorius XV & Urbanus VIII privilegiis & immunitatibus auxerunt hanc Congregationem, quæ excepto carnium ad certos dies usu, nihil minus habet ab aliis Congregationibus strictioris disciplinæ. Hæc didicimus ex reverendo Patre Placido Zurlaubeno, religioso Murensi, Congregationis ejusdem tunc Secretario, quem reverendissimo Abbati Augustino recens mortuo successisse inaudio. Ad itineris lineas regredior.

Post quinque dierum ad sanctum Gallum moram, inde profecti die 5 Augusti cum P. Hermanno bibliothecario, Roschati (*Roschat*) ad lacum Potamicum pransi sumus, excepti a religiosis ex cœtu sancti Galli. Conditum est eo in loco monasterium satis amplum tempore motuum illorum, qui occasione religionis exorti sunt, monachis e sancti Galli opido & monasterio exturbatis, & occupato ab hæreticis monasterio. Cum enim spes fere nulla monachis affulgeret recuperandæ pristinæ stationis, Abbas alteri ibidem construendæ adjecit animum. Quin etiam novis hujus loci ædificiis per hæreticos

cos furentes everſis, nihilominus in parietinis denuo erigendis perſeveravit: ſed tandem prima ſede monachis reſtituta, pauci apud Roſchatum relicti ſunt. Ibi tunc verſabatur Cæleſtinus Sfondratus ſupra laudatus, qui nos pridie ad ſanctum Gallum convenerat. Sub meridiem, cum, reflante vento, lacum navigio, uti conſilium erat, trajicere non poſſemus, longo circuitu laci ambitus, qui tribus leucis in latum, quatuordecim in longum porrigitur, partim nobis circumeundus fuit, ut ea ipſa die, Rheno transmiſſo, Brigantium (*Bregentz*) accederemus, ſancti Galli quondam ſeceſſu illuſtratum: cui adjacet Augia major, (*Mehtzravv*) quod monaſterium nobis propter breve tempus inviſere non licuit.

Poſtera die, quæ Chriſti Domini Transfigurationi ſacra erat, Lindaviam (*Lindavv*) Calviniſtarum opidum prætergreſſi, apud Tetnangum (*Tetnang*) opidum Montisfortis Comitis Miſſas celebravimus: inde per Ravensburgum urbem imperialem Weingartenſe Sueviæ monaſterium, ubi ante paucos annos Pater Bucelinus ſcriptis notus obierat, admiſſi, abſente reverendiſſimo domino Abbate electo, humaniſſime biduo

recreati ſumus. Hinc nova ſe nobis rerum facies aperuit, viæ planiores, mores diverſi, paulo minus quam Helvetici libertatem præ ſe ferentes, dialectus (uti ex aliis audiebamus) politior, ruſticanæ domus non ita integræ & elegantes: denique in Benedictinis monaſteriis alia Congregatio, Suevica nimirum, quæ a tempore Concilii Conſtantienſis, id eſt ab anno 1416, originem ducit. Ea quondam ampliſſima & in tres propagata provincias, nunc ad ſolam Suevicam redacta eſt. Illius Congregationis ſynopſim hiſtoricam ſcripſit ante paucos annos amicus noſter Georgius Geiſſerus, Prior Villingenſis religioſiſſimus. Habitus noſtrorum ubique in illis partibus uniformis, niſi quod Helvetici, cum in eccleſiam cucullati procedunt, circumductum brachio ſiniſtro roſarium geſtant præter morem aliorum. Weingartenſe monaſterium, liberum & imperiale, tunc copias ſubmittebat in Viennæ ſubſidium, nempe quinquagenos pedites armatos, quibus ſtipendia villæ & pagi, monaſterio ſubjecti ſuppeditant, ceteroqui exemti ab annuis tributis. Weingarti exſtat veterum Welfonum conditorium, qui monaſterii fundatores habentur. Eorum

hi-

historia legitur in vetusto codice bibliothecæ amplissimæ, in qua etiam multi libri scripti servantur. In veteri Kalendario, quod libro Evangeliorum præmittitur, fit mentio de Judita istic sepulta. *III Nonas Augusti Judita Dux.* In alio additur, *Regina Angliæ hic sepulta. Dedit pretiosissimum thesaurum ecclesiæ, sanguinem Dominicum reliquiis sanctorum, pallis & plenariis*, id est Missalibus integris. Idem sanguis Domini istic cum summa veneratione colitur. Initio cujusdam codicis, in quo Gregorii Magni expositio in Ezechielem continetur, hæc legimus antiquissimo charactere: *Oportet monacho ubicumque exierit, Eucharistiam semper secum vehat.* Et in fine codicis:

Præsul EBERHARDUS Christi famulamine tactus,
Hunc tribuit librum Christi genitricis ad usum.

Scriptus est liber iste ante conditum Weingartense monasterium, cujus ecclesia sanctum Martinum Patronum habet. Quidam optimus codex perantiquus continet *vitam sancti Anscharii* primi Archiepiscopi Bremensis: alius egregius *Justini Trogi epitomen.* Habes in consequentibus veterrimas

rimas formulas Andegavenses ex eadem bibliotheca exceptas, atque Willelmi Hirsaugiensis Prologum in consuetudines monasterii sui, quæ duobus libris ibidem continentur. Omnes fere libri etiam editi corio cervino, ut passim in Germanicis bibliothecis, operti sunt, ob cervorum venationem frequentem, quorum capita cum ramis seu cornibus, aut certe eorum exstantes effigies in suis habitaculis affigere solent.

Augusti nona Weingarto per Algoiensem pagum, comitante domno Maximiliano venimus Campidonam, quæ celebris est nobilium Suevorum Abbatia sesquimilliario horario a montibus Tirolensibus ad Hilaram fluviolum, a quo inditum pago seu tractui nomen Hilergovæ. Prope urbis Campidonæ muros (quæ urbs tota hæreticis modo paret) situm est monasterium, ædificiis novis & ornatissima ecclesia magnifice exstructum. Id duplici quadro amplissimo constat, præter atria & habitacula ministrorum. Unum quadrum Abbatis ædibus, aliud Religiosorum cellis assignatum, cum gemina utrumque contignatione. Inferiori ex æquo respondet solum ecclesiæ, quæ ad occidentalem cœnobii plagam

gam in aggere posita est. Loco nunc præest magno cum splendore *illustrissimus* Abbas & Princeps D. Rupertus, Cardinalis Badensis successor, is quem olim apud nos in monasterio sancti Dionysii prope Parisios morantem noveramus. Quanta vero humanitate & facilitate nos exceperit optimus Abbas, verbis explicari non potest. Ibi exstat conventus quatuor & viginti nobilium cum sex nobilibus pueris, vitæ religiosæ candidatis, qui rubeas togas gerunt. In Germania quatuor erant præcipua ejusmodi monasteria, in quæ soli probatæ nobilitatis juvenes admittebantur, nempe Abbatia Fuldensis, Campidonensis, sancti Galli & Einsidlensis. In duabus prioribus, non in posterioribus hactenus perseverat iste ritus, uti etiam in Murbacensi Alsatiæ monasterio: quem ritum non ab ipsis Abbatiarum primordiis, sed tempore procedente receptum fuisse constat. Campidonæ habetur typographica officina, omnibus numeris absoluta. Haut procul a monasterio, id est, non unius horæ intervallo, visitur locus, in quo versabantur ante viginti annos Religiosi, quos Capitulares vocant, dum novi monasterii ædificia construerentur. Loco

voca-

vocabulum eſt *Suavesberg*, ubi ſub Romano Abbate monaſterii inſtauratore viguit ſeveriſſima per aliquot annos monaſticæ vitæ diſciplina, abſtinentia perpetua, juge ſilentium, nudipedium, labor manuum duriſſimus: ſed intercedente nobilium vicinorum & poſtmodum Nuntii Apoſtolici auctoritate, remiſſa eſt pro ritu aliorum ejuſdem regionis monaſteriorum, quibus hæc ſeveritas hoc cœlo & ſolo, illis corporibus intolerabilis viſa eſt. Hunc locum adivimus in comitatu illuſtriſſimi Abbatis, ibique vidimus domnum Bonifacium, nobis aliunde jam probe notum, qui ibidem ab omni hominum conſortio remotus, in ſumma vitæ auſteritate per annos tres perſtiterat, primo illo vitæ perfectioris propoſito nunquam remiſſo. Campidonenſe monaſterium ſub veneratione beatæ Mariæ & ſanctorum Gordiani & Epimachi primitus conditum eſt ab Hildegarde Caroli M. uxore, quæ ibidem ſepulta creditur a Campidonenſibus, tametſi Mettis ad ſanctum Arnulfum alii ſepultam perhibent, & pro ſancta habetur. Pleraque vidimus Abbatiæ diplomata, etiam authentica, quorum aliqua in conſequentibus referemus. Inde ſup-

petiæ

petiæ centum militum Viennam submissæ sunt eo tempore, quo ibi moram egimus.

Post biduum discessuros non prius sivit abire illustrissimus Abbas, quam promissione facta, ut ex Bajoaria iterum ad se reverteremur. Fide accepta, novos equos, atque insignem comitatum præberi jussit, dato nobis duce usque Augustam Vindelicorum domno Corbiniano, sancti Udalrici conventuali, tunc vero apud Campidonam Philosophiæ professore. Et primo quidem ipsa die Augusti 12 venimus in monasterium Uttenburanum, *(Ottenbour)* quo litteris Campidonæ acceptis jam invitati fueramus. Illustris est hæc Abbatia, sex horarum itinere a Campidona, ad Gunzium *(Gnutz)* amnem. Ecclesia dedicata est sanctis Alexandro & Theodoro Martyribus, quorum reliquiæ in ea servantur. Eorundem thecæ *Mariæ Comitissæ sigillum* ex agathe appositum est Bibliotheca ibidem multis libris referta etiam mss., ex quibus nonnulla in nostros usus excerpsimus, in his duas homilias sancti Faustini ex Homiliario perantiquo. In veteri Necrologio de Totone seu Tottone, primo loci Abbate hæc legimus. *XIII Kal. Decembr.*

Toto

Toto noster Abbas, qui corpus sancti Alexandri huc attulit, & cujus parentes locum istum fundaverunt. Tottonis parentes Silachus & Ermiswinda sub annum 764 monasterium condiderunt. De Totone iterum in brevibus annalibus ad cyclos Paschales: *Anno MCLXIII Toto sepelitur*, id est novo tumulo reconditur. Anniversarium quotannis pro eo celebratur. Abhinc uno lapide distat egregium beatæ Mariæ oratorium, Elderense appellatum, quod magno Fidelium concursu honoratur. Nulla humanitatis in nos Officia prætermisit reverendissimus Abbas Benedictus, cooperante etiam R. P. Alberto Priore, qui studiis nostris favet. Ibidem superiori seculo floruit Nicolaus Ellembogius, vir bonarum litterarum amantissimus, qui postquam patris exemplo Medicos apud Montem-pessulanum audisset, reversus in patriam, Ottemburanorum monachorum numero adscriptus est anno 1505, ubi reluctante Abbate suo, Latinis litteris Græcas & Hebraicas conjunxit, ac tandem Gymnasio trilingui Ottemburæ instituto, ludum aperuit anno 1543, favente inprimis Wolfgango Abbate & Principe Campidonensi. Commercium litterarum ha-

habuit cum Erasmo, Reudelino, Eckio, & aliis ejusdem temporis hominibus litteratis. Ex novem libris ejus epistolarum restant libri duntaxat septem, in bibliothecam Colbertinam advecti cura eruditissimi Stephani Baluzii, a quo hæc didicimus. Ellembogii institutum etiam nunc viget apud Ottemburanos, ubi quidam monachorum pueros litteras docent.

In pervigilio assumtæ Virginis Ursinium (*Irsin*) accessimus, quo in loco subsequens festum a nobis celebratum. Monasterium est Ordinis nostri sex leucis ab Uttembura dissitum, ubi etiam codices mss. habentur non pauci, sed omnes recentioris ætatis. Deinde adito beatæ Mariæ oratorio celeberrimo, quod in campo Lycio situm est, postero die Augustam Vindelicorum (*Ausbourg*) tendimus per eumdem campum Lycium, a Lyco (*le Lec*) fluvio ita dictum, qua nulla jucundior aut amœnior planities videri potest, æquabili solo, saluberrimo cœlo, ad decem horarum intervallum porrecta.

Ad portam Augustanam datis publicæ fidei litteris, quas in posterum per totam Bajoariam passim exhibere necesse fuit, in

d san-

ſancti Udalrici (*S. Ulric*) Abbatiam acceſſimus, ad ejus januam, quoad religioſorum prandium finiretur (nam tempore prandii monaſterii aditus non patet) ſubſiſtere coacti. Deinde illuc admiſſi cum magna comitate reverendiſſimi Abbatis Romani, tridui moram egimus in illo monaſterio, quò nullum ad religioſam diſciplinam accommodatius aut elegantius in illis partibus videre memini; ſicut nullam urbem in iisdem Auguſtana præclariorem, ſi civium frequentiam excipias. Horum plusquam media pars Lutheranis conſtat. Multæ in urbe ſunt Catholicorum eccleſiæ multique conventus. Cathedralis beatæ Mariæ ſacra eſt: ſancti Udalrici baſilica eximia, theſaurus inſignis, periſtylium, Capitulum baſilicæ dignitati reſpondens, bibliotheca Capitulo proxima, itidem ornatiſſima, & libris cum novis, tum antiquis, ſi qua alia, maxime referta; Dormitorium commodum, ædes Abbatis & hoſpitum ampliſſimæ, omnia præter baſilicam nova, & a Gregorio Abbate LI, qui anno 1664 vivere deſiit, elegantiſſime conſtructa. In eccleſia tunc appendebat imago beatæ Mariæ aſſumtæ, in ſerico panno depicta. Cauſam ſciſcitanti reſponſum

ſum eſt, hunc eſſe morem in totos triginta a feſto dies, quib9 per totam provinciam citra diſpenſationem nuptias celebrare non licet. Quantum ex bibliotheca profecerimus, teſtabuntur ea, quæ in conſequentibus referemus: in quibus eſt Candidi Arriani epiſtola non integra ad Victorinum Rhetorem, ejusdemque Victorini ad eundem reſponſio. In periſtylio ad Capituli januam tumulus cernitur Caroli Stengelii, ſcriptis editis clari, qui ex monacho ejus loci Abbas Anhuſanus, illic obiit anno 1663, ætatis LXXXII, poſt annos regiminis 33.

Publicam urbis Auguſtanæ bibliothecam etiam inviſimus, quam vir ſummus Marcus Velſerus, Auguſtanus Duumvir, egregie amplificavit. Latini codices in ea non tam magni momenti ſunt quam Græci, in quibus eximii ſunt novi Teſtamenti venerandæ antiquitatis, Johannis Chryſoſtomi, Photii, Procopii, Gazæi Sophiſtæ, cujus commentarios in Octateuchum Conradus Clauſerus Tigurinus ex eodem codice latine vertit, ediditque Tiguri anno 1505. Indidem etiam Peireskius quædam Cyrilli & Libanii orationes nonnullas a Velſero accepit. Ibidem exſtat exemplar octavi Con-

cilii generalis. Ex codicibus Latinis historia miſcella Paulo Diacono tribui ſolita, absque autoris nomine in pervetuſtis membranis ſcripta eſt.

Auguſti die 19. trajecto Lyco fluvio, Bajoariam ingreſſi ſumus, deducente nos R. P. Amando ſancti Udalrici Subpriore. Jucunda fuit nobis in illa provincia peregrinatio per unum fere menſem: in qua prata, nemora, fluvii inſignes, aliaque omnia ad vitæ uſum & voluptatem accommoda abunde reperiuntur, præter vites, quæ in interioribus ejus partibus deſunt. Exacta diſciplina per totum hunc principatum viget, ubi nullus hæreticis locus permittitur. Hinc etiam res novas ſcribendi libido arcetur, quando hæc licentia Germanos falſis ſubinde rumoribus per diverſa trahit. Ita quippe ambagibus perplexa ſunt omnia, dum ex partium ſtudiis nova cuduntur, ut vix ullum nuntium, cui fidem dare poſſis, ventiletur. De viatoribus etiam & advenis Bajoarii ſevere inquirunt. In patibulis ſane frequentibus ſignum exhibetur manus cultro præciſæ, quæ pœna eſt hominis, locum unde profectus ſit alium a vero fingentis, cum tempore peſtis id ab eo exigitur.

Ce-

Cetera humani Bajoarii, & ad pietatem compositi, quod innumera templa & oratoria, præsertim in honorem beatissimæ Virginis, testantur, quæ ad triginta millia apud eos erecta videntur, omnia cum accurato decore & cultu. Primum ex illis lustravimus Kebacense monasterium, (*Kebach*) in quo sanctimoniales Ordinis nostri versantur. Ad Veronicam hujus parthenonis Abbatissam scripsit Nicolaus Ellembogius monachus Ottemburanus, superius laudatus: cujus soror, Barbara nomine, ibidem Abbatissæ officium gessit. Deinde ad Scheyrense virorum pervenimus ipsa die, quo Augusta discessimus. Locus sic dictus a Cruce, in diœcesi Frisingensi. Ibi degit venerabilis senex P. Ægidius *Cranbeck*, qui *Calendarium Benedictinum* quatuor tomis, aliosque libros composuit vulgavitque. Gregorius loci nunc Abbas, in theologicis & mathematicis apprime versatus, novis ædibus cœnobium exornavit; idemque monasterii sui Chronicon editum nobis liberaliter concessit. Conradus monachus Chronicon illud ab anno 1096 inchoavit, atque ad suum tempus, id est ad sæculum 3 deduxit: Stephanus Abbas ad nostrum sæculum

produxit & in lucem emitti curavit anno 1623. Hic Conradus manu sua varios exaravit membraneos codices, ab Aventino laudatos: quorum unus magistri Petri, cognomento Comestoris, scholasticam historiam continens, in quinque primis foliis artium liberalium imagines repræsentat, præmissa beatæ Mariæ effigie cum his aliisque scriptoris verbis: CHONRADUS PECCATOR AUCTOR ET SCRIPTOR HUJUS OPERIS. Deinde in secundo folio picta Musica, & in tertio Astronomia exhibetur, adjunctam habens a dextris Ptolemæi effigiem, sidera contemplantis ope instrumenti longioris, quod instar tubi optici, quatuor ductus habentis, concinnatum est, & in fronte hujus libri conspicitur.

CONRADUM hujus codicis scriptorem ante annum MCCXLI vixisse affirmat Stephanus Abbas in limine prædicti Chronici, ubi quæ de illo tubo vidimus & scribimus observat, conjicitque Conradum hoc instrumenti genere usum fuisse.

Sequenti die Geisenfeldam accessimus, deducente nos R. P. Priore Scheyrensi, hospitio accepti a sanctimonialibus nostris, quæ ibi perquam laudabiliter vivunt. In eccle-



Ptolemæus.

ecclesia ad latus aquilonare deprehendimus tumulum primæ loci Abbatissæ Gerbirgis, cujus effigies ad parietem hos versus perantiquos, quantum expiscari potuimus, præfert, Hundio ignotos:

Hic jacet in tumba GERBIRGIS filia Regis
Græci Stertoris, Eberhardique fuit
Neptis, hujus loci prima fertur Prælata fuisse.

Inde relicto ad lævam Monasterio (*Munster*) olim e nostris, venimus Ratisbonam, quæ civitas Geisenfelda distat decem horarum intervalla; hospitati in monasterio sancti Emmerammi, ubi magna est veterum librorum supellex. In sacrario ecclesiæ ostensa nobis est casula sancti Wolfgangi illius urbis Episcopi, cujus primarius tumulus in navi ad latus epistolæ: sed corpus in cryptam occidentalem translatum est. Sancti Emmerammi sepulcrum cernitur ad latus meridionale majoris altaris in sancti Georgii sacello: quod primum loci oratorium est. In thesauro (ut vocant) habetur insignis Evangeliorum liber, quo nullum pretiosiorem aut elegantiorem unquam vidimus, litteris aureis majusculis optime scri-

ptus anno 870 mandato Caroli Calvi: deinde ſancti Emmerammi eccleſiæ conceſſus ab Arnulfo Imperatore, uti Arnolfus ejusdem loci monachus tradit. In primo folio Ramvoldi Abbatis, qui codicis operculum ante annos fere ſeptingentos renovari curavit, exſtat effigies ſub his verbis & verſibus,

RAMVOLDUS INDIGNUS ABBAS

Hunc librum Carolus quondam perfecit honorus,
Quem mox Emrammo RAMVOLD renovaverat almo.

In ſecundo folio verſo imago Caroli Calvi, omnino ſimilis ei, quæ habetur in codice Mettenſi, modo Colbertino, cernitur cum his verſibus.

Hic reſidet CAROLUS divino munere fultus,
Ornat quem pietas & bonitatis amor.
HLUDWIC juſtus erat, quo Rex non juſtior alter,
Qui genuit prolem hanc tribuente Deo.
Alma viro peperit JUDITH de ſanguine claro,
Cum genitor regnis jura dabat propriis,
Hic nomen magni Caroli de nomine ſumſit,
Nomen & indicium ſceptra tenendo ſua.

Hic

Hic David vario fulgescit stemmate Regis,
Atque Salomonica jura docentis habet.
Istius imperio hic codex resplendet & auro,
Qui bona construxit multa favente Deo.

A dextris minister ensem manu gestat cum hoc versu:

Arma tibi faveant Christi stabilita per ævum.

A sinistris alter lanceam cum clypeo:

Muniat & clypeus semper ab hoste suus.

A latere prioris illius ministri Francia pingitur cum cornucopia:

Francia grata tibi, Rex inclite, munera defert.

A latere posterioris Gothia cum simili cornu:

Gotia te pariter cum regnis inchoat almis.

Porro in fine codicis scriptores codicis hæc de se scribunt:

Bis quadringenti volitant & septuaginta
Anni, quo Deus est Virgine natus homo.
Ter denis annis Karolus regnabat & uno,
Cum codex actus illius imperio.
Hactenus undosum calamo descripsimus æquor,
Litoris ad finem nostra carina manet.

Sanguine nos uno patris matrisque creati,
Atque sacerdotis servat uterque gradum.
En Beringarius, Liuthardus nomine dicti,
Queis fuerat sudor difficilisque nimis.
Hic tibimet lector, succedant verba precantis,
Ut dicas, capiant regna beata poli.

Hunc librum ex Parisiensi sancti Dionysii monasterio una cum sancti Martyris corpore furtim sublatum; donoque Arnulfo Imperatori, atque ab eodem ecclesiæ S. Emmeranmi traditum asserunt. At mirum est, inquiebam, Arnolfum ejusdem cœnobii ex Comite monachum, qui sub annum millesimum scribebat, meminisse istius codicis ab Arnulfo concessi, nulla corporis sancti Dionysii mentione facta. Rogavimus deinde nobis ostendi ejus corpus seu reliquias: illi abstruso loco reconditas dicentes, duos nobis lapides doni testes protulerunt, in quorum uno antiquis litteris uncialibus hoc exaratum legitur: *Sub Ebulone Abbate sancti Dionysii Gisalbertus furavit.* In alio: *Furatus est V Non. Junii, huc venit prid. Non. Decembris tempore Tutonis Episcopi,* absque ulla corporis aut libri mentione. Præter hæc ibidem asservatur parvum

vum altare mobile, quod Arnulfus Imperator in castris gestari curabat, aureis laminis opertum, quadratæ figuræ, uno pede latum, altum duobus, præter turriculam, quæ in crucem desinit: Hi versus turriculæ adscripti sunt:

Rex Arnulfus amore Dei perfecerat istud,
Ut fiat ornatus se - - - - - tibus istis.

Ad portam claustri, qua in ecclesiam aditus patet, visitur tumulus satis elegans, super quem exstat effigies cujusdam Aureliæ, quam Hugonis Capeti filiam putant, super quatuor lapides erecta. In margine lapidis superioris hæc leguntur:

Hîc pia florescit Aurelia virgo sepulta,
Quæ pœnas nescit cœli dulcedine fulta.

Lieutvvinus Camerus. forte Camerarius, *Canonicus & Scholasticus majoris ecclesiæ.*

Appensa est a capite una tabella, in qua hi versus haud inelegantes, sed recentius descripti.

Contegor hoc tumulo soboles clarissima Regum,
Gallia quam genuit, nunc tenet Imbripolis.
Huc profuga adveni fugiens consortia sponsi,
Servarem ut castum, Christe, cubile tibi.

Præ-

Præſtat hinc Ramvvoldus opem, dum vita manebat,
Ut pia libarem thura precesque Deo.
Vin tempus vitæ? uſa fui vitalibus auris
Luſtra decem, his annos inſuper adde duos.
Hîc exſpecto tuum diſtrictum, Chriſte, tribunal,
A dextris ſedeam, tunc dabis, inter oves.

In his verſibus etſi *Regum ſoboles*, id eſt ex genere regio dicatur, non tamen filia Regis, Hugonis aut alterius. In inferiori lapide, qui huic ſuperiori ſubſternitur, operculi inſtar tumulum contegente, Romanis, id eſt antiquisſimis litteris, hæc appoſita ſunt in margine lapidis.

. . . . . O. M. ET. PERPETUÆ. SECURITATI. ET. MEMORIÆ. DULCISSIMÆ. AURELIÆ. M. AUR. FILIÆ. P. AEL. SILVANUS. CONJUGI. INCOMPARABILI.

Ex hac inſcriptione colligimus, vel duplicem fuiſſe Aureliam, quarum una conjugata antiquis Romanorum temporibus vixerit, alia virgo & quidem recentior: vel certe unam, quæ primis illis temporibus vixe-

xerit, cujus epitaphium cum posteri legere non potuissent, illud cuidam Aureliæ posteriori affinxerint.

Ad hæc in eadem sancti Emmerammi ecclesia jacet Arnulfus Imperator ad latus epistolæ, quem tamen alii apud Ottingas sepultum dicunt; Ludovicus ejus filius in medio chori, Henricus Dux Bajoariæ sancti Henrici Pater, in aquilonari chori ambitu, cum hoc epitaphio:

Heinricus Regis Pater & defensio legis,
Bavariæ cultus, pius est hîc Duxque sepultus.

Prope eum Wermundus nobilis Comes; & in eodem latere, ad portam quà patet aditus in chorum, Arnoldus Bajoariæ Dux pessimus, qui sæculo X vixit. Pene altare visitur crypta, in qua sepultus Ramvoldus, quem primum restitutæ ad sanctum Emmerammum disciplinæ Abbatem instituit Wolfgangus, arcessitum est Trevirensi monasterio sancti Maximini. Hujus anniversarium quotannis recolunt, tametsi in privatis orationibus ut sanctus invocatur. Ad vestibulum cryptæ hi versus leguntur:

Consecrat ædiculam mandrita Lupambulus istam,

Ab-

Abbas Ramvoldus quam tibi, Christe, struit.

Lupambulus latina est interpretatio nominis Wolfgangi.

Præter monasterium sancti Emmerammi aliud est sancti Jacobi ad Scotos, ubi residet excellentissimus D. Verjutius Comes Creciacensis, Christianissimi Regis Legatus, & summus rerum Francicarum in Diæta Ratisponensi moderator, qui nos omni gratiarum genere cumulavit. Nos enim ad mensam suam admisit non semel, atque præsentia sua ad sanctum Emmerammum dignatus est. Præterea curru suo nos vehi jussit in suburbanum Ordinis nostri cœnobium Pruveningense, (*Priviling*) conditum a sancto Ottone Bambergensi Episcopo. Primus loci Abbas beatus Erminoldus, cujus sepulcrum paullulum e terræ planitie erectum in navi ecclesiæ exstat cum hoc epitaphio. *Anno Domini 1121 in festo Epiphaniæ Domini obiit beatus Erminoldus hic sepultus, vir sacris in vita & morte præclarus, justorum memoria dignus. Oret pro grege ovium.* Monasterii hujus historiola typis vulgata est. Ingolstadii anno 1626. Inde eodem cursu perreximus ad Cartusiam Prulensem vicinam,

nam, quæ olim Ordinis noſtri Abbatia erat.

Præter hæc, tria quondam in urbe fuerunt Ordinis noſtri ſanctimonialium cœnobia: quorum unum Patribus Societatis Jeſu ceſſit: duo alia, nempe Superius & Inferius, modo Canonicas habent. In urbe, præter Eccleſias multas Catholicorum, octo tantum familiæ Catholicæ permittuntur. Suburbium ſoli Catholici occupant. Interfluit Danubius, qui ponte lapideo ad inſulam ligneo ad ſuburbium jungitur. Lapideus undecim fornicibus conſtat.

Redeo ad ſanctum Emmerammum, in cujus bibliotheca codices, amplius mille habentur, multi optimæ notæ. Unus continet varias virorum doctorum epiſtolas, tempore Alcuini ſcriptas, quas nobis deſcribi rogavimus. Multa etiam nos ipſi, quantum per quatuor dierum otia licuit, deſcripſimus, quæ inferius ex parte edita ſunt. Alia quædam hic notare juvat. Exſtat in uno codice *Expoſitio paſſionis Chriſti per Candidum Presbyterum* Alcuini diſcipulum, inedita. In alio *Rhoſwitæ Gandersheimenſis* in Saxonia ſanctimonialis opera omnia. Tum in alio *Petri Abælardi, qui a plerisque Bajolar-*

lardus dicitur. In hoc codice ſunt ejus *Sententiæ*, capitulis triginta ſeptem comprehenſæ (ea eſt Introductio ad Theologiam) deinde liber ineditus, *qui dicitur* SCITO TEIPSUM, de quo ſanctus Bernardus. Præclarus eſt *codex Traditionum* ſcriptus ab Anomoto, dicatusque Ambriconi Epiſcopo. In fine codicis, qui expoſitionem ſancti Auguſtini in epiſtolam canonicam ſancti Johannis continet, hæc leguntur. *Librum hunc pro remedio animæ meæ ego in Dei nomine Baturicus Epiſcopus ad Frankhoneſurth ſcribere præcepi. Scriptus eſt autem diebus ſeptem & in octavo correctus in loco eodem anno VII regiminis epiſcopatus mei & octingenteſimo vigeſimo tertio Dominica Incarnationis. Scriptus autem per Ellenhardum & Dignum, Hildoino orthographiam præſtante, i. e.*,(ſi beneinterpretor)dictante. In alio codice ab annis fere nongentis ſcripto leguntur *Canones ſancti Gregorii Papæ urbis Romæ*, ubi quæ de Abbatis & monachorum ordinatione Theodoro Cantuarienſi Epiſcopo vulgo tribuuntur, ſub nomine Gregorii M. habentur. *Vita ſancti Chriſtophori*, auctore WALTHERO *Nemetenſi Subdiacono*, nuncupata eſt Balderico Epiſcopo atque HAZECHÆ *ſancti-*

ctimoniali urbis Quidilinæ, id eſt Quindelinburgenſis, *Cimiliarchæ*, *cum primum regno ſucceſſit tertius Otto.* Neſcio an aliquod operæ pretium ſit notare fabuloſam illam de ſancti Hieronymi morte epiſtolam Joſephi ad Damaſum & Theodoſium, aliasque Auguſtini ad Cyrillum & Cyrilli ad Auguſtinum ſimilis farinæ epiſtolas, ſcriptas eſſe *in codice ſub anno Domini 1471 per Henricum Thuener*. Intereſt aliquando noſſe etiam fabularum antiquitatem & originem. Neque porro gravitate ſua indignum judicavit vir ſummus Petrus de Marca agere de origine ſuppoſiticiæ Turpini fabulæ in hiſtoria Benearnenſi. Appoſite Plinius Junior in libri 8 epiſtola 24. *Sit apud te honor antiquitati*, *ſit fabulis quoque.* Majoris momenti eſt, quod in Gloſſis mſs. ſuper Canones Apoſtolorum & Decretales Pontificum legitur de Fermento in epiſtola Innocentii Papæ I ad Decentium: cujus vocis interpretatio viros eruditos in diverſas traxit ſententias, aliis de Euchariſtia, aliis de eulogiis interpretantibus. Sic autem legitur in codice perantiquo: *De fermento quod dicit*, *mos eſt Romanis*, *ut de*

Missa, quæ cantatur in cœna Domini, & in Sabbato sancto, & in die sancto Paschæ, & in Pentecosten, & in Natali Domini die sancto per totum annum servatur, & ubicumque per stationes, si ipse Papa ad Missam præsens non fuerit, de ipsa Missa mittitur in calicem, cum dicit Pax Domini sit semper vobiscum. *Et hoc dicitur Fermentum. Tamen Sabbato sancto Paschæ nullus Presbyter per ecclesias baptismales neminem communicat, antequam mittatur ei de ipsa sancta, quam obtulit Dominus Papa.* Ex quibus nemini dubium in posterum relinqui debet, hunc Innocentii locum aliosque similes de Eucharistia esse interpretandos. Inter ceteros codices unus est, qui de variis operibus ex auro & argento fabrefaciendis tractat. Opus haud quaquam spernendum. Sed hæc morosiora sunt.

Die 25 Augusti festum sancti Ludovici solemni pompa in monasterio Scotorum coram excellentissimo Legato celebratum est, tympanis tymbalisve cum buccinis ad musicorum voces & musica instrumenta respondentibus. Post prandium, actis excellentissimo Oratori maximis gratiis, Ratisbona discessimus, ipso jubente ad quatu-

or

or horaria milliaria ejus carpento vecti Salisburgum versus, quod iter quatuor amplius diebus ægre confecimus. Eodem die in quodam vico, beatæ Mariæ sacro, hospitati sumus, ubi rustici ludis solemnibus, quasi in alta pace, propositis præmiis festive vacabant, dum interim Vienna extremo expugnationis periculo defungeretur. Mirati sumus tantam istorum hominum, quibus suprema clades imminebat, securitatem. Sub vesperam publicis pro hac re supplicationibus interfuimus per unam ferme horam, quo intervallo rosarium, aliasque preces promiscuum vulgus præeunte Sacerdote (qui etiam concionem de impendenti calamitate habuit) communi voce ac vernacula lingua; feminæ expansis in crucis formam manibus, recitabant. Inter ipsas preces is, qui loci spectabilior videbatur, nescio quid suspicatus, litteras nostras sibi exhiberi postulavit. Reversi in hospitiolum, omnia cænacula, triclinia & atria promiscui vulgi conferta multitudine (qui religionis caussa, nescio an etiam ludi, convenerat) plena invenimus: ut vix potuerimus

ſecretum nobis angulum impetrare.

Inde monaſterio Malleſtorfenſi Ordinis noſtri ad Laberam amnem (quod etiam *Johannesberg* a ſancto Johanne Evangeliſta Patrono dicitur,) obiter luſtrato, venimus in opidum *Abbauſen* ad Iſeram fluvium, deinde in urbem Oetingam ad Oenum,ubi inſignis eſt baſilica in honorem beatæ Virginis. In platea municipii duas obſervavimus feminas lapidi inſidentes, aſſere biforato in collum utriusque injecto. Miſſus a nobis interpres, qui cauſam percontetur. It, redit & narrat, eas ſimul rixando depugnaſſe: hoc pœnæ genus rixoſis mulierculis imponi ſolitum. Uno abhinc milliari communi exſiſtit ſacellum ejusdem Deiparæ, non modo Germanorum, ſed etiam exterarum gentium frequentia maxime celebratum, Altœtinga, ad alterius Oetingæ diſcrimen, id eſt vetus Oetinga, appellatum. Raitenhaslacenſe deinde Ciſtercienſium monaſterium ad Salam ſitum adivimus, de quo quia poſt ſolis occaſum eo ingreſſi, atque prima luce inde egreſſi ſumus, nihil obſervare potuimus. In urbem *Laufen* cum imbre

bre continuo madefacti ad prandium venissemus, apparari ignem in hospitio jussimus, non advertentes inusitatos esse in Germania parabiles more nostro ignes in focis apertis, humique stratis, sed tantum fornaces & hypocausta æstate frigida, quæ etiam tepefacta madidos per breve prandii spatium non exsiccassent; aut certe focos in elata lapidum structura ad culinarium usum. Post meridiem tempestas melior, via pejor. Saltzburgum pervenimus ipsa die 28 Augusti hospitati in percelebri Abbatia sancti Petri, ubi omnis nobis humanitas exhibita est a religiosissimo Abbate ceterisque cœnobitis, præcipue R. P. Josepho Mezgero Priore atque Universitatis Procancellario, quem litteris antea noveramus.

Saltzburgum civitas est ad Salam haud ignobile flumen, a quo nomen traxit, olim Juvavum appellata. Sita est in angulo Bajoariæ, accessu difficilis, nec minus valida prominentium montium excelsis jugis, quibus veluti muris cingitur. Ædes habet amplissimas & elegantes, quibus longe præcellit palatium Principis, id est

Archiepiſcopi, nam ab aliquot ſæculis Saltzburgum eſt caput Principatus, cujus ditio milliaribus Germanicis fere viginti octo in longum, quatuordecim in latum porrigitur. Eximia eſt baſilica ſancti Rudperti (Domum appellant) marmore & lapidibus quadratis magnifice exſtructa ac tabulis cupreis coöperta. Inſignis etiam eccleſia monaſterii ſancti Petri, quæ ſancti Rudperti quondam ſede ac tumulo illuſtrata eſt. Urbem vel ſuo ſitu validiſſimam munit arx in prærupto monte poſita, ad quam calle non niſi anguſto & ſupino itur. Duplex murorum ambitus, munitiſſimæ turres, aliaque præſidia eam inexpugnabilem reddunt. Poſtridie quam eo acceſſimus, Principem ſalutavimus, datis litteris ab excellentiſſimo Chriſtianiſſimi Regis Legato Gravellio, cui is inter amicos eſt. Mirati ſumus ingens Principis ſatellitium & aulicorum comitatum inſignem. Nempe apud Germanos Principes, uti quondam, teſte Tacito, ſic etiam nunc *hæc dignitas, hæ vires, magno ſemper electorum juvenum globo circumdari; in pace decus, in bello præſidium.* Inde

de illustrissimum Guillelmum Furstembergensem, magni Ferdinandi Monasteriensis germanum fratrem, majorem ecclesiæ Decanum convenimus, virum, in quo modestia & humanitas cum aliis virtutibus certant. Ille nos latine primum, deinde gallice affatus, gratissimas habuit litteras, quas nomine illustrissimi D. Verjutii ipsi porreximus. De majoris ecclesiæ monumentis & libris sciscitantibus respondit, nihil superasse a nuperis incendiis: si quid ex ea urbe sperandum, id in monasterio sancti Petri reliquum esse. Et quidem ibi amplissimam novorum librorum copiam invenimus, & aliquot mss. quorum unus est Hieronymi expositionem in Proverbia, Ecclesiasten, aliosque sacros libros continens, ex dono Arnonis Archiepiscopi. Hoc monasterium non minus pietate, quam scriptis suis tunc ornabat D. Josephus Mezgerus Prior mox laudatus, & ipse Universitatis Saltzburgensis præcipuum ornamentum: quicum amicam disputationem habuimus de ætate sancti Rudperti Episcopi & Apostoli sui, quam integro sæculo serius retuli contra vul-

vulgatam opinionem. Sententiam hac de re meam expoſui in tomo tertio de Actis ſanctorum noſtrorum, quam ille in hiſtoria Salisburgenſi, quæ ſub prelo tunc verſabatur, amice impugnavit. Sunt ipſi trini fratres Mezgeri, omnes religioſi ad ſanctum Petrum, hic quidem Prior & Univerſitatis Procancellarius (nam Cancellarii titulum Princeps retinet) alter Decani, tertius Prorectoris dignitatem habet:

Animæ quales neque candidiores
Terra tulit.

Sed ille triplex nodus nuper heu! ſolutus eſt, Joſepho amico noſtro ſub finem Octobris mortuo ad ſanctum Gallum, ubi ex pulmonis vitio decubuit, dum ſacram Eremum, nempe Einſidlenſem, voti cauſa peteret.

Prorectoris viſitatione præventi, atque in ædes Univerſitatis, ubi tres Theologiæ Doctores ſæculares ſolemni ritu admittendi erant, invitati, totum illius Univerſitatis ſplendorem non ſine magna voluptate vidimus. Primus elegantem orationem habuit Procancellarius, alteram Decanus, tertiam unus ex candidatis, vir eloquens &

& bonus Orator. Anulus, epomis, fax, pileus ſacer pro Doctoratus inſignibus tradita fuere, dum interim buccinæ & tymbala ad ſingulos ritus concreparent. Peractis omnibus, ſolemni pompa Univerſitas, Magnifico Rectore primas obtinente, ad ſancti Petri eccleſiam proceſſit, ubi canticum ſacrum in gratiarum actionem muſicis modulis, concinentibus organis decantatum eſt. Hoc officio Abbatiæ ſancti Petri ſe gratam exhibet pia Univerſitas, quæ illam uti alteram parentem agnoſcit. Præcipuum habet fundatorem Marcum Archiepiſcopum. Hæc ab anno 1622 inſtituta, jam tribus facultatibus conſtat. Theologiam, Jus Canonicum, Philoſophiam artesque humaniores ſoli docent Benedictini, qui ex certis provinciis Saltzburgenſi, Bavarica, Suevica, Auſtriaca & Stiriaca aſſumuntur. Jus civile docent Doctores ſæculares: Medicinæ facultas ibi adhuc nulla.

Pridie illius diei in parthenone Nunbergenſi, quem beata Erentrudis ſancti Rudperti neptis in vicino colle inſtituit, ſacra fecimus, ubi religioſiſſimæ virgines Be-

nedictinæ degunt: deinde pretiosa quæque & reliquias sacras vidimus: a meridie profecti ad sacram ædem beatæ Mariæ in Plana, qui locus est in colle situs uno milliari germanico ab urbe, piorum concursu celebris, ubi ex concessu Principis Maximiliani modo Benedictini versantur. Montes ipsa die Augusti 29 recenti nive conspersi erant, cum totis quinque diebus terra imbre continuo compluta fuisset.

Post tres dies cum discedere gestiremus, Princeps nobis significavit, optare se, ut sequenti interessemus publico spectaculo, in quo Nabuchodonosoris historia versibus senariis in collegio exhibenda erat. Paruimus, interfuimus. Festiva omnia, theatrum elegans, machinæ sæpius mutatæ, tubicines, fidicines, multa spectantium frequentia, præmia studiosis in fine distributa. Interfuit spectaculo illustrissimus Princeps, cum magna nobilium virorum ac feminarum corona, ex quibus multi Viennæ atque Austriæ Proceres utriusque sexus, omnes fere Gallicano more induti, assistebant, Turcorum metu eo refugere coacti.

Se-

Septembris die 22, antequam ex urbe discederemus, mandavit iterum Princeps nos curru suo deduci in hortos suos Helbronenses, a claro fonte sic dictos, qui unius horæ spatio ab urbe distant. Vallis est angusta, fertilis, nec inamœna, inter horridos montes perpetuis nivibus tectos. Ædes Principis modestæ, horti sunt elegantissimi, floribus, arboribus, aquis irriguis ac subsilientibus instructi: Lacus exquisitis piscibus referti, aves diversi generis, speluncæ denique cavatæ, incrustatæ, conchyliatæ, & quid non ad voluptatem & usum? quæ omnia non sine aquæ superfusione spectavimus. Reversi in urbem, post prandium cum multa gratiarum actione a sancti Petri monasterio discessimus, onusti libellis & munusculis, quæ nobis Mezgeri fratres contulerunt.

Saltzburgo duodecim horarum itinere distat Seonense cœnobium (*Seon*) ex nostris, sic dictum a circumfluo lacu. Adalbertus loci Abbas humanissimus nos benigne excepit, veteres inscriptiones Romanas aliaque monumenta nobis ostendit, sui monasterii historiam, a Stengelio editam dedit,

dit, in qua prædictæ inſcriptiones referuntur, uti etiam in Metropoli Salisburgenſi.

Menſis die 4 Waſſerburgum opidum prætergreſſi (qua die ſereniſſimus Bavariæ Princeps Elector celeribus equis illa tranſiit voti cauſa Alœtingam, deinde ad caſtra Cæſariana profecturus) venimus ad Atlenſe (*Atll*) ſancti Michaëlis monaſterium ad Oenum, mox ad Rottenſe (*Rot*) Ordinis noſtri, quod Apoſtolis Petro & Paulo atque ſancto Marino dicatum eſt.

Proxima die in Tegernſenſe, (*Tegernſee*) tum in Benedictoburanum longo circa Tirolenſes alpes flexu diverſuri, noctem duximus in vico *Wair*, ubi eſt collegium Canonicorum regularium Ordinis ſancti Auguſtini. Eadem via pridie Marcus de Aviano, Capucinus pietatis fama celebratiſſimus, ad caſtra Cæſaris in extremo Viennæ diſcrimine properaverat. Nos contrario itinere contendimus in Tegernſenſe monaſterium, ſic dictum a lacu, qui unius horarii milliaris longus intervallo, inter Alpium juga valle anguſta fluit. In Eccleſia viſuntur pone altare majus tres loculi ex marmore

more ad parietem ordinati, quorum unus est sancti Quirini ecclesiæ patroni, alter Chrysogoni martyris, tertius Castorii itidem martyris, unius ex quatuor Coronatis. In media navi exstat tumulus Otkarii & Adalberti, sed ab annis tantum ducentis ex marmore compositus. Hi loci conditores fuerunt, & quidem Franci, qui ex aula Pippini Regis illuc sese receperant. In eadem navi ad altare sancti Viti apparet sepulcrum Ellingeri Abbatis, quem beatum appellant, tametsi nullo publico cultu honoratum. Is monasterium Benedictoburanum ad rectiorem normam revocavit sæculo XI. In medio choro jacet Caspar Abbas, reformationis (ut vocant) Tegernsensis auctor ante annos ducentos. In bibliotheca plurimi sunt codices mss., quos inter *Cypriani opera* eleganter scripta, sed ab annis circiter trecentis *Dionysii libri* de cœlesti hierarchia, de divinis nominibus, de mystica theologia, *quos de novo transtulit frater Ambrosius Ordinis Camaldulensium, & emendavit. Vita sancti Ruperti* Episcopi Saltzburgensis cum veteri nota marginali, quæ sententiam nostram de ejus ætate confirmat. *Quantum elici potest ex successione*

ſione Regum Francorum, ſanctus Rupertus floruit anno Domini DCCIIII. Hæc nota tantum ab annis 250 ſcripta, codex ante ſexcentos. Ampliſſimum Martyrologium, in quo Sanctorum acta fuſe referuntur, cum præfatione ad unumquemque menſem. Auctor ait ſe juſſu patris Erchanpoldi id operis ſuſcepiſſe. Ad hæc variæ Abbatum Tegernſenſium epiſtolæ, ex quibus præcipuas deſcripſimus; & varii in Regulam noſtram Commentatores, plerique Tegernſenſes aſcetæ.

In vigilia Nativitatis beatæ Mariæ ſub veſperam ad Benedictoburanum cœnobium (*Benedictbayrn*) acceſſimus, boni ominis nomen: ſed res nec nomini, nec feſto reſpondit. Solemnis erat ipſa die translatio ſanctæ Anaſtaſiæ, cui eccleſia loci dedicata eſt. Cum diu in veſtibulo monaſterii conſtitiſſemus, circumſtante nos famulorum turba, qui nos avide proſpectabant, quaſi ex novo orbe advectos; dictum eſt tandem nobis non ſupereſſe locum in diverſorio, propter hoſpitum, qui eo die illuc convenerant, multitudinem. Hoſpitii præfectus, vir ſane honeſtus, viſus eſt id gravate ferre; obtulitque vadem ſchedulam ad compa-

tan-

randum noctis insequentis hospitium. Actis gratiis, nulla viatici necessitate nos eo deflexisse reposuimus: sed ad videndum ea, quæ ad historiam monasterii atque Ordinis in suis monumentis pertinere possent. Hoc unum rogare, ut per breve, quod ad noctem supererat temporis spatium, liceret monasterium & bibliothecam lustrare. Non potuit negare vir bonus. Itaque vidimus cœnobium novis & præclaris ædificiis instructum, ecclesiam nondum absolutam, bibliothecam elegantem cum pergula ad libros superiores. Vocatus e cœnaculo bibliothecarius adfuit, incoctam bilem in Francos despumans. Multa jactantem comiter excipiebat Michaël noster, evolvendis libris alias intentus, patienterque ferebat pro tempore: sed cum iræ longius irent, modeste cum eo pugnabat, non quidem tunc Germanus sed ut res exigebat, ex animo Gallus. Ille nihilo placatior, duriora reponere, falsas rumores pro veris in os ingerere. Venit in Michaëlis auxilium Helvetus interpres noster, etiam latine sciens, qui multa apte de Rege ac de regno, deque tota gente (& is quondam ex regiis

ex-

excubitoribus fuerat) honorifice dixit. Hic vix pedem ex bibliothecæ aditu, nescio quid visurus extulerat, cum bibliothecarius fores ipsi cum multo fragore occlusit. Hæc non sine fremitu senserunt in suo regno Musæ humaniores. Interim libros revolvere pergimus, atque inter editos sparsim etiam scriptos invenimus. In illis feliciter unus occurrit, primorum fundatorum Abbatum epitaphia versibus continens, ex quibus constat, eos Francos fuisse. Ergo, inquam, non tam male de vobis meriti sunt Franci, quibus vestram debetis originem. Et quidem eo titulo nobis jus hospitii vindicare licebat. Sub hæc, dum illi nescio quid mussitant, epitaphia describimus, quorum hæc summa est: Francos germanos, scilicet Lantfridum, Waldramnum & Gundramnum, ex aula Pippini eo secessisse, atque unum post alterum conditi ab se loci Abbates fuisse. In alio codice homiliis per annum præmittitur Caroli M. epistola a nobis edita in lib. I Analectorum. In alio Acta sancti Fotini & sanctæ Balbinæ martyrum Lugdunensium. Hæc cursim tantum deliba-

bare nobis licuit, cum instantis noctis tempus cogeret nos in viculum aliquantisper dissitum divertere, ubi quæ tantum domunculæ erant in regia ad Tirolenses via, sed honestius hospitium, quam ut in agresti loco nobis sperandum foret.

Die festo beatæ Mariæ, propter loci incommodum (nam ibi nulla ecclesia erat) relictis ad tempus Alpibus, reductoque ad Bajoariæ interiora itinere, Monachium (*Munich*) contendimus, Missa ad Bolferzhausenum opidum celebrata. Monachium fessi pervenimus ad vesperam, quæ civitas serenissimi Principis Electoris sedes ad Isaram fluvium (*l'Isere*) sita est, in hospitio Galli cujusdam Abbavillensis gallicano more excepti. Quippe ea in urbe nullum est Ordinis nostri cœnobium. Propius olim aberat Abbatia Eberspergensis, quinque horarum itinere inde distans, nunc unita Monachiensi collegio Patrum Societatis Jesu. Hæc unio facta est tempore Willelmi V Bajoariæ Ducis, qui Collegium condidit, ecclesiam tanto conditore dignam erexit, ac pretiosis cimeliis ditavit. Proximo die salutatum imus excellentissimum domi-

num *de la Haye*, Legationibus clarum, tum extra ordinem Missum ad Principem. Litteras ei dedimus: ipse vero nos solita sua comitate ac benignitate complexus, mensaque dignatus est, in currum admisit, omnia quæ in urbe curiosa aut visu digna erant, nobis reserari curavit, ædes sacras, Principis palatium, excepta bibliotheca, in quam non facile quisquam admittitur citra nutum Principis, qui tunc aberat. Huic rei provisum erat ab illustrissimo Meldensium Antistite, qui pro sua in nos benevolentia litteras a serenissima Delphina in nostri gratiam impetraverat; sed quæ debito fructu caruerunt absente Principe. Inter ædes sacras præcipue sunt beatæ Mariæ & sancti Petri parœciales, certe magnificæ & elegantes, nec minus ecclesia Patrum Soc. Jesu, cujus omnia cimelia R. P. Rector nobis ipse demonstrare non est gravatus. Idem apud Patres Teatinos præstitit eorum Præpositus R. P. Veranius, qui Philosophiam novam nuper quatuor tomis edidit, vir humanissimus. Teatinorum domum haut longe a palatio magnifice condidit Adelais Sabauda, serenissimæ Delphinæ

pa-

parens felicis memoriæ, quæ in Patres Teatinos magnopere propenſa erat. Templum novum condidit, eccleſiæ Patrum Soc. Jeſu magnificentia vix impar. Unius inde viculi intervallo diſtat Palatium, quod inter omnia Germanica præcipuum eſt, non tam externo ædium cultu, quam interiori atriorum & cubiculorum apparatu. Quatuor habet partes, verius palatia dixeris, cum ſua quæque area ſeu aula. Præcipuum eſt Imperatoris dictum: cujus ſcala ad atrium atriumque ipſum, materiæ atque operis pretio neſcio an ulli cedat. In alia porticu infinitam videas antiquarum ſtatuarum copiam: in proſpectu e feneſtris palatii hortos inſignes, ex alia parte armamentarium: ex omni denique gratiſſimum & ſaluberrimum cœlum atque adſpectum.

Feria ſexta, quæ Septembris decima erat, ex caſtris mandavit Princeps, uti ad commendandam Deo proximam in Turcos Chriſtiani exercitus expeditionem, ſanctiſſimum Sacramentum ad publicum cultum exponeretur per horas quadraginta, nempe ad Dominicam diem, quo hæc inſignis actio,

qua vix ulla præclarior aut celebrior, patranda erat. Interfuimus, uti decebat, ſolemnibus illis precibus, in quibus laudabilis ſane viget inſtitutio. Nempe ſi quando divina Euchariſtia ſpectabilis exponitur, invitantur oſtiatim a Parocho ſingulæ familiæ, ut per turmas ad orationem conveniant. quod fit ſecundum cujusque ordinem, ut viri ſeorſim, deinde fœminæ conjugatæ, mox juvenes adoleſcentes, ac puellulæ item juvenes, denique tum ſervi, tum ancillæ poſt certum orationis ſpatium ſibi ipſis ex ordine ſuccedant.

In ſequenti die venimus in Andecenſe (*Andex*) noſtri Ordinis monaſterium, quod alio nomine Mons-ſanctus appellatur, ſex horarum itinere Monachio diſtans, in colle ſitum, ex quo gratiſſimus circumquaque proſpectus. Sed præ omnibus jucundus nobis fuit conſpectus urbaniſſimi Abbatis Mauri, viri docti, & Bajoariæ monaſteriorum Viſitatoris, qui Andecenſes ædes ex integro, cum ante annos novem igne cœleſti deflagraſſent, elegantiſſime reſtituit. Eccleſia beatiſſimæ Virginis cultu celebris ac reliquiis: bibliotheca optimis libris referta

ſed

ſed ingenioſis emblematibus ac picturis a Mauro Abbate ornata, quam idem auget indies.

Poſtera die Wesbrunenſis (*Wesbrun*) Benedictinæ item familiæ Abbatia, quatuor inde leucis, nobis ſeſe obtulit; antiqua quidem, ſed non ita ſplendida & elegans. In media eccleſiæ navi proſtat antiqua Crucifixi imago ad tumulum duorum Welſonum, qui monaſterii inſtauratores fuerunt. In horto copioſe ſcaturiunt tres fontes, qui Weſonis dicuntur; Weſo autem filius Taſſilonis, a quo Weſone ejusque fonte inditum loco nomen ferunt. In bibliotheca non multi ſuperſunt codices antiqui. Plerosque ante annos quingentos deſcripſit *Diemoth Sanctimonialis*: quo nomine extitit ſæculo decimo apud Saxones Demoth Abbatiſſa Winethuſinenſis.

Inde egreſſi rurſus ad Tirolenſes Alpes declinavimus, viſuri Faucenſe (*Fueſſen*) Ordinis noſtri cœnobium in diœceſi Auguſtenſi, a ſancto Magno primitus conditum, quod a Wesbrunenſi tredecim leucis diſtat. Medio in itinere ſita eſt Præmonſtratenſium Abbatia Stængadenſis (*Staingaden*) anno

1147 constructa. Illic cum ad publicum hospitium prandii causa divertissemus, hoc intellecto Abbas loci humanissimus & meliori quidem valetudine dignus, (quippe qui ex passione colica totus contractus est) nos vini honorarii & piscium munere, homines exteros, nec aliunde sibi notos, recreavit. Fauces occidente sole advenimus, opidum ad Lycum fluvium, cui opido monasterium originem dedit. Hic modica librorum supellex, tametsi mss. non desunt, plerique recentiores; tenues facultates, Abbas modestus, qui historiolam monasterii sui nobis concessit. In folio cujusdam codicis inter alia invenimus instrumentum nobilis matronæ Azilæ *de Musteren*, quæ pro remedio animæ suæ & conjugis sui Otilonis dat ecclesiam de *Roderatesboven anno Incarnationis Domini 919 sub Papa MARINO, sub Rege HEINRICO, qui tertius post Ludewicum fuit, sub Duce Alamannorum BURCHARDO, sub Antistite Augustense HILTINO, sub Abbate GISELONE.* Subscribit inter alios DIEPOLDUS *provinciæ Comes.* Hunc locum refero propter nomen Marini Papæ, quo nomine Pontifex ad Romanæ ecclesiæ clavum tunc non sedebat,

sed

ſed Johannes X. An is & Marinus dictus? Similis difficultas occurrit in Actis ſancti Udalrici Epiſcopi Auguſtenſis, qui Romam adiiſſe anno 909 dicitur Marino Pontifice. An Marinus quidam per illa tempora, quibus indigni plerique Pontifices ſanctam illam ſedem occupabant, pro Pontifice habebatur a Germanis? Fateor me hærere. At hæc itineris diverticula prætereo.

Die feſto Exaltationis ſanctæ Crucis, proximo poſt Idus Septembris, iterum Campidonam ex condicto revertimur, non minori quam primum humanitate ab illuſtriſſimo Abbate accepti. Poſtridie, quæ feria quinta erat hebdomadæ, in quam incidebant quatuor tempora, ex annuo more ſolemnes habitæ ſunt preces pro benefactoribus; & quidem duæ Miſſæ celebratæ, una de defunctis, altera de beata Maria. Hujus rei cauſa convenerunt omnes parochi eccleſiarum, quæ a Campidonenſi Abbatia pendent, numero triginta quinque atque Miſſas ſinguli pro defunctis perſolverunt. Idem fit ad ſingulas quatuor temporum vices, feriis quintis, cum antea in ipſis jejunii diebus fieret. Sed propter inſequens epulum, religi-

 onis

onis causâ in vacantem feriam hic ritus differendus visus est. Iisdem quatuor temporibus subditi quique in Germania persolvunt census suos, quos *Angarias* vocant. Hinc quatuor tempora vulgari nomine *Angariæ* appellantur.

Ipsâ die sub vesperam Oeniponte (*Inspruc*) perlata sunt felicia nuntia, nempe solutam esse tandem obsidionem Viennensem, Turcorum castra perfracta; cæsâ ex eis octo millia, reliquos cum magno Viziro fugatos; impedimenta & pretiosam supellectilem in Christianorum potestate relicta; denique diem Dominicam, Septembris duodecimam, hoc insigni facinore consecratam fuisse. Timidior fuit primum de hoc faustissimo nuntio lætitia. Neque enim satis tutum videbatur, re nondum confirmata, animum permittere gaudio tam ingenti, tamque insperato: cum huc usque mali ominis plena fuissent omnia. Sanitati nihilominus Christianorum heroum, qui Turcos debellasse ferebantur, propinatum est, sed modeste, ut in tanta festivitate.

Die 17 cum plurima gratiarum actione Campidona discedentes, iterum redimus ad Wein-

Weingartense monasterium, ac sequenti die reverendissimus Abbas, recens ordinatus, per domnum Maximilianum nobis amicissimum curavit nos deduci in Salemense (*Salemweiler*) Ord. Cisterciensis cœnobium, vivente sancto Bernardo anno 1137 constructum. Huic præsidet eximius Abbas, Germaniæ superioris monasteriorum Commissarius Generalis, eruditus vir & ingenii elimati, qui nos magna comitate sequenti die detinuit. In bibliotheca invenimus codicem unum inter alios, in quo Ratramni liber de corpore & sanguine Domini continetur sub hoc titulo: *Incipit liber Ratramni de perceptione corporis & sanguinis Domini ad Karolum M.*, id est Calvum, qui *Magnus* non semel appellatus est. *Jubes gloriose Princeps* &c. In fine, *Explicit liber Ratramni de corpore & sanguine Domini.* Tum, *incipit secundus de prædestinatione ad eundem.* Codex ante annos septingentos scriptus videtur & quidem ante Salemium conditum. Ad hæc ibidem habentur *historia expeditionis Jerosolymitanæ* sub Frederico Ænobarbo, quam alibi etiam reperimus. *Statuta alterius Friderici* contra constitutiones Pontificias:

Bernonis Abbatis Augiensis opuscula inedita, de quibus inferius suo loco: *Acta Concilii Constantiensis* in maximo folio cum egregiis figuris & symbolis gentilitiis eorum omnium, qui Concilio intersuerunt. Initio hæc præmittitur inscriptio: *Hic sequuntur tituli cæremoniarum depictarum in libro Concilii Constantiensis, quem cives composuerunt anno Domini 1414. Extractum anno 1491.*

Die 21 Septembris Salemio discessimus Constantiam adituri, quæ a Salemio non amplius quinque horarum intervallo distat. Erat sancti Matthæi Apostoli festus dies, quo die Uberlingæ opidi, (*Uberlingen*) qua transeundum erat, portas clausas offendimus (is ob hostium metum mos est in plerisque locis munitis) tempore divinorum. Portis urbis nihilo minus reseratis, atque lacu transmisso, pervenimus tandem ad priores portas suburbii Constantiensis, in quo situm est Petroburgense (*Petershausen*) Ordinis nostri monasterium, Rheno fluvio & ponte sublicio divisum ab urbe, quæ Cæsareis addicta est. Sciebamus morosos istic esse adventantium exquisitores. quod in causa fuerat, ut nec a Constantia (quod itineris

neris consequentia exigere videbatur) inciperemus. Ad interrogata respondit Dux noster Maximilianus, Weingarto nos venire affirmans. Ingredimur, Petroburgenses nostros invisimus, animo inde recedendi visa ecclesia cathedrali, in qua celebre illud habitum est Concilium: cum nulla nobis spes esset quidquam reportandi ex illa urbe, cui nos ob innatam de Francis suspicionem non admodum acceptos fore sciebamus. Post prandium socio nostro clam me suggestum est, Consiliarium quendam Cæsareum a Cæsareo ministro accepisse litteras, quibus significabatur, Benedictinos duos Gallos cum interprete totam peragrare Germaniam, incertum qua causa: profecturos demum Constantiam, ubi accurate investigari & interrogari eos per Consiliarium oporteret: Abbati Petroburgensi rem delatam per Consiliarium, postulato, si eo diverteremus, se ut moneret. Conspiratione hac detecta, egressum invisa urbe maturavimus, Augiense monasterium adituri. Ita Cæsareorum insidias declinavimus.

Augia, (*Richenow*) cognomento Dives, ab antiquis appellata, in exigua Rheni insula po-

posita est duabus infra Constantiam leucis. Locus quondam non minus litterarum studiis, quam religione insignis, a ducentis pene annis Abbatem non alium habet quam Constantiensem Episcopum, qui Religiosos istic alit numero tredecim. Biduum nos cordatissimo affectu detinuit R. P. Prior. Ecclesia non admodum elegans, sed antiqua. Ibi exstat Caroli Imperatoris, cognomento Crassi, lapis sepulcralis vetus, cui ejus epitaphium inscriptum est. Versus ad parietem recenti scriptura in commodum lectorum depicti sunt; quos hic appono:

Pannonas & Cimbros diverso marte subegit,
Carolus a crasso corpore nomen habens.
Sed bene quas juvenis regni tractavit habenas,
His iterum senior dispoliatus obit.

In bibliotheca reliqui sunt codices permulti venerandæ antiquitatis: tantum quosdam hic notare juvat. Liber in majori folio insignis, in quo habentur omnes *Patrum expositiones in Orationem Dominicam*, *atque etiam variæ fidei Confessiones:* In alio *Relatio Symmachi præfecti urbis Romæ ad Theodosium.* Tum *Vigilii libri quinque adversus hæreses*; ad hæc *epi-*

epistola Vitalis & Tonantii ad Capreolum Episcopum & ad consulta *responsio.* Gregorius Turonensis *de gloria Martyrum* antiquissimus. *Homiliæ a Paulo Diacono digestæ*, in duobus magnis voluminibus scriptæ ab annis octingentis. Sirmundi PRÆDESTINATUS cum hoc titulo, qui dilutiori tantisper atramento scriptus est, sed antiqua manu: OPUS SANCTI PRIMASII DISCIPULI AUGUSTINI DE HÆRESIBUS NUMERO XC. Habetur alius in bibliotheca metropolitanæ ecclesiæ Remensis absque nomine auctoris ex dono Hincmari, is, quo Sirmundus usus est in sua editione adornanda. Augiensis codex scriptus est ante annos octingentos. Isidorus Hispalensis Episcopus in cap. 9 de Scriptoribus Ecclesiasticis mentionem facit de Primasio Episcopo, qui *composuit sermone scholastico de hæresibus libros tres, directos ad Fortunatum Episcopum: explicans in eis, quod olim B. Augustinus in libro hæreseon imperfectum, morte interveniente, reliquerat: in primo ostendens, quid hæreticum faciat: in secundo & tertio digerens, quid hæreticum demonstret.* Isidorus addit, eum claruisse *Juliano regnante.* Hoc Primasii specimen

men non male convenit Prædestinato vulgato, qui distinctus est in libros tres, sed absque Fortunati Episcopi appellatione; recensetque octoginta octo hæreses ab Augustino assignatas in libro ad Quod vult deum: quibus duas alias addit Nestorianorum & Prædestinatorum, nulla Eutychianorum facta mentione. Sed hæc non sunt hujus loci.

Septembris die 23 trajecto lacu, in opidum quod Ratolfi-cella appellatur, appulimus, cujus loci ecclesia sancto Ratolfo Abbati dedicata est. De ea cecinit Georgius Tibianus apud Goldastum.

Urbs antiqua viget Ratolfi-cella vocata,
Florigeri hic colles pictaque prata virent.
Hic numerosa juga & scopulosi vertice colles,
Udaque perpetuo gramine terra viret.

Sequenti die Villingam accessimus, salutato inter eundum monte Duellio, (*Dwiel, nunc Hohendwiel*) ubi olim Ordinis nostri monasterium, cujus Abbas sæculo nono Waldfredus, ibidem sepultus non sine opinione sanctitatis: nunc arx Ducis Wirtembergensis. Medio in itinere Danubium tribus aut quatuor ab origine leucis angusto pon-

ponte ligneo transivimus. Villinga (*Villingen*) opidum est Austriacæ domus hæreditarium ad Brigam fluviolum, (*la Brige*) ubi refugium habuerunt cœnobitæ Benedictini sancti Georgii, quod cœnobium duabus inde leucis situm, non ita pridem invasit Dux ipse Wirtembergensis. Itaque Villingæ degunt Religiosi numero duodecim, quorum Abbas septuagenarius, historiæ nostræ studiosissimus, & Prior D. Georgius Geysserus, studiorum nostrorum fautor singularis omni nos humanitatis & caritatis officio exceperunt.

O qui complexus & gaudia quanta fuére.

In ea urbe apud Minoritas, Observantinos vocant, multi habentur codices scripti, sed nullius momenti.

Postridie dum abitum paramus, dum optimus Abbas in procumbentium colla ruit, ille sacculum numis plenum in manus meas injecit, multis obtestatus, suo ut de paupere censu tantillum hoc in viatici supplementum acciperemus. Ego vero quasi recepta pruna, protinus manum excutiens, gratiis dictis, cum ille donum urgere perseveraret: Et nos, inquam, omnium hominum igna-

ignavissimos, si tam liberaliter a vobis excepti, etiam pecuniam hanc, nullius indigi, acciperemus. Abbas contra instare ardentius, favente Geyssero. Sed tandem illi cedere coacti, nos haud sine lacrymis dimiserunt, dato honesto comite, qui nos per Herciniam sylvam deduceret. Horrescit animus ad solum Herciniæ nomen, ubi horrida omnia, loca invia: ubi nullus fere vicus, præter opidum Erenbachum, quod quasi Herciniæ gentis caput est, nobis occurrit. In convallibus angustissimis prata sunt sat pinguia ad pastum pecorum, montium & collium declivia ferendis segetibus ingrata, imo & alendis ovibus, ob nimiam herbarum (uti ajunt) pinguedinem. Variæ hinc inde casæ cum suo pleræque molendino, in quod aquæ derivantur per canaliculos ex tubis abiegnis. Abietes annosi passim, sponte in truncum cadunt & putrescunt, cum convehendis impares sint multis in locis viæ. Ex illis viis inviis, imo præcipitiis non evasissemus, nisi ducem nobis dedissent boni nostri Villingenses. Ipsa die tandem accessimus ad monasterium sancti Petri, quod tribus a Friburgo Brisgoviæ leucis distat, in

ex-

extrema ſylva Hercinia, ubi paulo liberius cœlum eſſe incipit. Monaſterii ædes inſtaurabantur, quæ a Cæſarianis nuper cum Galli milites iſtic præſidium ſtatuiſſent, ſubjecto igne conſumtæ ſunt, noſtris tamen ab igne & hoſtium manu intactis.

Inde Friburgo, Briſaco & Columbario (*Colmar*) permeatis, venimus in monaſterium Vallis-Gregorianæ (*Munſter ſ. Gregorienthal*) e Congregatione ſancti Vitoni: ubi nobis humanitas omnis exhibita eſt. Locus olim etiam *Confluens* dicebatur, ob confluxum duorum rivulorum, quorum unus nomine *Bertiembach*, in alium influit, qui *Fechina* dicitur, uti nos docuit Ludovici Pii diploma Gottefrido Abbati conceſſum.

Die 30 Septembris per Alſatiæ amœniſſimam plagam, qua nullam jucundiorem aut fertiliorem vidiſſe memini, Argentoratum tendimus per vallem Leporinam, in qua Cella, vocabulo Lebraha, olim condita eſt a Fulrado Abbate: cui etiam originem ſuam debet vicina ſancti Hippolyti Præpoſitura, quam obiter ſalutavimus. Opidum in declivi montis poſitum, hactenus ſancti Hippolyti (*S. Bilt*) nomen retinet. Tribus in-

de leucis abeſt Scheleſtadium, ubi Prioratus ſanctæ Fidis, Cluniaco quodam, nunc Patribus Societatis Jeſu addictus, qui ibi Collegium habent. Scheleſtadium prætergreſſi, venimus ipſa die in monaſterium Ebersheimenſe (*Ebersmunſter*) quod nomen Apri locum ſignificat, dictum olim *Novientum*, regnante Theoderico Chlodovei junioris filio conditum ad fluvium Illam. Atticus, ſanctæ Othiliæ pater, monaſterii auctor fuiſſe traditur. Antea eodem in loco Dianæ fanum fuiſſe ab Julio Cæſare erectum ferunt. Secundus loci Abbas Columbus Cella eccleſiam a ſe conditam per ſanctum Pirminium dedicari curavit. Deodatus regnante Carolo M. ibidem Abbas pro ſancto habetur. Templum & officinæ regulares a milite Suecico violatæ, modo inſtaurantur a Bernardo Abbate humaniſſimo. Ab eo loco duabus tantum leucis abeſt Andelagenſe cœnobium, (*Andlaw*) a Richarda Imperatrice, Caroli Craſſi uxore, conditum, ejusdemque ſeceſſu illuſtratum, quod modo Canonicarum eſt.

Die 1 Octobris Argentoratum venimus, urbem maximam, ſitu & civium frequentia nulli

nulli in illis partibus secundam, munimentis, Regis Christianissimi jussu recens exstructis, incomparabilem & inexpugnabilem. Ea in urbe bis sacra fecimus in principe beatæ Mariæ ecclesia, cujus rotundus fornix Orientem versus ævo Caroli M. constructus dicitur, cetera recentiorum sunt temporum. Porta ecclesiæ major elegantissime fabricata, altissimam habet turrim, quantam nusquam vidimus, exquisito opere concinnatam, cui aliæ duæ adjiciendæ erant, sed infectæ. Publicam urbis bibliothecam vidimus auspiciis clarissimi & eruditissimi Ulrici Obrechti, urbis Advocati generalis & Archivarii, qui nos honorario vino non semel, librisque ab se editis donavit, & suam ipsius bibliothecam librosque varios, doctis observationibus ad marginem sua manu distinctos nobis ostendit.

Post duos dies ex urbe profecti, in Vogesi saltus secundum longos & asperos montes, qui Alsatiam a Lotharingia dirimunt, contendimus, pertransito primum Molsheimio, quinque ab Argentorato leucis, ubi ante subactam a Rege urbem Capituli Argentoratensis sedes erat. Post Alsatiæ mon-

tes ſuperatos, primum nobis occurrit Se-nonienſe monaſterium, (*Senone*) aptiſſime ad regularem diſciplinam concinnatum a reverendiſſimo Joachimo Vivino, Congregationis ſancti Vitoni Abbatē regulari, qui nos cum magna benevolentia excepit. Duplex ibi eccleſia, una beatæ Mariæ rotundo opere, a ſancto Gundelberto Epiſcopo ac primo conditore exſtructa: altera ſancti Petri, qua nunc Religioſi utuntur. Poſtea luſtratâ ſancti Deodati eccleſiâ, (*S. Dié*) cujus majorem Præpoſitum venerabilem ac doctum D. Riguetum ſalutavimus, ad Medianum monaſterium (*Moyenmontier*) divertimus, ubi abſente reverendiſſimo Abbate nihilo minus accepti ſumus ea humanitate, quæ reverendis Patribus Congregationis ſancti Vitoni familiaris eſt. Eamdem experti ſumus in aliis Lotharingiæ & Campaniæ monaſteriis, præcipue apud Sanctum Michaëlem ad Moſam; cujus loci Abbas clariſſimus D. Henricus Heneſo, amicus noſter, nos ſolita benevolentia complexus eſt. Eadem Virduni, eadem Moſomi humanitas.

Sedanum cum perveniſſemus, audito illuſtriſſimum Remorum Archiepiſcopum

Du-

Ducem ipsâ die Carolopolim advenire, eum adivimus, tum ut obsequia ipsi nostra exhiberemus, tum ut itineris nostri, cujus approbator fuerat, rationem eidem redderemus. Quanta vero nos bonitatis significatione exceperit, nec reticere decet, nec licet nobis exprimere. Demum lustratis Remis, beatissimæ Virginis Lætitiensis ecclesiam convenimus: ubi actis Deo Optimo Maximo pro felici itineris successu gratiis, Laudunum, deinde Suessionas, ac postmodum Meldas, ubi illustrissimum Antistitem, qui nostro etiam itineri faverat, salutavimus, profecti, tandem Parisios sani & incolumes nos recepimus.

Vix domum appuleramus, cum ab uno e nostris, amico meo, litteris mihi significatum est apud Suessiones inter rudera eversi torcularis inventam esse sequentem inscriptionem, Lapidi antiquo incisam.

I S I
MYRIONYMAE
ET. SERAPI
EXSPECTA . . . . . .
METIS. AUG. D...
V. S. L.

Similis est inscriptio apud Gruterum de Iside myrionyma p.83 cujus tituli rationem affert Johannes Marshamus in chronico Canone Ægyptiaco p. 132, nempe quod variis nominibus Isis afficeretur. Altera pars nostræ inscriptionis *Serapi exspectato* seu *exspectatissimo*, Autor, METIS., forte *Augur Deorum, vota solvit libens.* Quæ studiosis examinanda relinquimus.

Hactenus longum iter, Lector, brevi stylo descripsi, tametsi longiorem fecit haud dubie sermonis & observationum jejuna exilitas. Multa de moribus variarum gentium, quas vidimus, adnotare nobis fuisset inpromtu, si ita convenire existimassem. At ne aut laudando quibusdam adulari, aut improbando aliis detrahere viderer, multa suppressi. Quod si in nonnullis præter modestiæ leges quædam retulisse de nobis honorificentius, quam par erat, quidam existimet; reputet apud se quisquis ejusmodi est, id me eo animo fecisse, ne eorum beneficiis, qui nos obstrinxerant, ingrati videremur. Et porro præcipuus hujusce descriptionis scopus est, ut omnes agnoscant, quantum publica res litteraria illustrissimo

Col-

Colberto debeat, qui post alia longe majoris momenti itinera, ex Regis munificentia in artium & scientiarum gratiam ab ipso procurata, etiam hoc qualecumque fieri curavit. Hic inquam est hujus itinerarii scopus. *Maximum enim existimo quæstum, memorem gratumque agnosci.* Porro etsi aliis non proderit, nobis certe profuerit satisfecisse officio, implesse quod debemus.

FINIS.



JOANNIS LAUNOII

CONSTANTIENSIS,
PARIS. THEOLOGI

DE

SCHOLIS CELEBRIORIBUS


SEU A CAROLO MAGNO, SEU
POST EUNDEM CAROLUM PER OC-
CIDENTEM INSTAURATIS

LIBER.

AD FRANCISCUM HENRICUM Lugdunensem Patritium.

TUum est opus ac meum, VIR AMPLISSIME, quod publicam in lucem emitto. Tuum quidem, quia anni sunt complures, quod in eo contexendo ergodioctes meus fuisti. Sapienter pro more tuo judicabas, id genus operis nec fructu nec delectatione cariturum, & aliunde ad gentis nostræ redundaturum esse gloriam. Meum vero, si tamen meum dici possit quod ab aliis accepi. Quibus enim in locis docerentur ac florerent literæ, apud varios Auctores disquisivi, excerpsi, & corpus in unum compegi: atque ita præter chartam & atramentum inibi nihil est fere meum. Diceres me Justum Lipsium Politica sua scribentem inspexisse, quem imitarer. Interim labore suo toto fruetur Jacobus Middendorpius, qui ingentem de Academiis commentarium elucubravit. Has non attingo, Scholas persequor, quas viri graves & docti magna cum laude prius rexerunt, quam fundarentur Academiæ, & Principum ac Pontificum munificentia & privilegiis sedem stabilem ac domicilium certum haberent. Initia Parisiensis Academiæ excutio, & quæ intercurrunt a vero abhorrentia rejicio. Sed illius progressum, & cetera intacta prætereo, quæ Cæsar Egassius Bulæus copiose atque eleganter persequitur. Historiam ille scribit, ego non scribo, cum ex aliis, tum ex hoc quoque, quod scribere historiam summi est in dicendo oratoris. Seligam duntaxat nonnulla, quæ cum ad Academiæ, tum præsertim ad Theologicæ Facultatis celebritatem, famam, amplitudinem & doctrinam pertinere mihi videntur.

CAPUT



CAPUT I.

Carolus Magnus Scholarum & bonarum artium instaurator in Occidente.

DElibaturus aliquid de Scholis illustrioribus, & Professorum auditoriis, quæ ab ætate Caroli Magni claruerunt in diversis Occidentis, & potissimum Galliæ partibus, operæ pretium esse reor, ut quam ipse Carolus in erigendis Scholis & fovendis Professoribus curam ac studium posuit, id laboris genus cum primis attingam. Multa passim occurrunt, quibus huic muneri satisfaciam; sed cum delectu modum servabo. Sic igitur ea de re Monachus Engolismensis in vita ejusdem Caroli scribit ad annum 787. *Et reversus est piissimus Carolus, & celebravit Romæ Pascha cum domino Apostolico: ecce orta est contentio per dies festos Paschæ inter cantores Romanorum & Gallorum. Dicebant Galli melius se cantare & pulchrius quam Romani. Dicebant se Romani doctissime cantilenas Ecclesiasticas proferre, sicut docti fuerant a Sancto Gregorio Papa; Gallos corrupte cantare, & cantilenam sanam destruendo dilacerare. Quæ contentio ante dominum Regem Carolum pervenit. Galli vero propter securitatem*

domini Regis Caroli, valde exprobrabant cantoribus Romanis. Romani vero propter auctoritatem magnæ doctrinæ, eos stultos, rusticos & indoctos, velut bruta animalia affirmabant, & doctrinam Sancti Gregorii præferebant rusticitati eorum. Et cum altercatio de neutra parte finiret, ait piissimus Rex Carolus ad suos cantores: Dicite palam quis purior, & quis melior, aut fons vivus, aut rivuli ejus longe decurrentes? Responderunt omnes una voce, fontem velut caput & originem puriorem esse, rivulos autem ejus, quanto longius a fonte recesserint, tanto turbulentos, & sordibus ac immunditiis corruptos. Et ait dominus Rex Carolus: Revertimini vos ad fontem Sancti Gregorii, quia manifeste corrupistis cantilenam Ecclesiasticam. Mox petiit dominus Rex Carolus ab Hadriano Papa cantores, qui Franciam corrigerent de cantu. At ille dedit ei Theodorum & Benedictum, Romanæ Ecclesiæ doctissimos cantores, qui a Sancto Gregorio eruditi fuerant; tribuit Antiphonarios Sancti Gregorii, quos ipse notaverat nota Romana. Dominus vero Carolus revertens in Franciam, misit unum cantorem in Metis civitate, alterum in Suessionis civitate, præcipiens de omnibus civitatibus Franciæ magistros Scholæ Antiphonarios eis ad corrigendum tradere, & ab eis discere cantare. Correcti sunt ergo Antiphonarii Francorum, quos vnusquisque pro arbitrio suo vitiaverat addens vel minuens, & omnes Franciæ cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam. Excepto quod tremulas vel tinnulas, sive collisibiles, vel secabiles

biles

biles voces in cantu non poterant perfecte exprimere Franci, naturali voce barbarica frangentes in gutture voces potius, quam exprimentes. Majus autem magisterium cantandi in Metis civitate remansit; quantumque magisterium Romanum superat Metense in arte cantilenæ, tanto superat Metensis cantilena ceteras Scholas Gallorum. Similiter erudierunt Romani cantores supradicti cantores Francorum in arte organandi, & dominus Rex Carolus iterum a Roma artis Grammaticæ & computatoriæ magistros secum adduxit in Franciam, & ubique studium literarum expandere jussit. Ante ipsum enim dominum Carolum Regem in Galliæ nullum fuerat studium liberalium artium. Ex his igitur, ut quæ ad Ecclesiasticum cantum pertinent, mittantur, primum apparet literarum studia, quæ priscis Ecclesiæ temporibus viguerant in Galliis, & præstantissimos cultores habuerant, paulatim excidisse: deinde ut instaurarentur in Galliis literarum studia, & Scholæ instituerentur publicæ, Carolum laborasse, scilicet ut quæ temporum detrimenta senserant hactenus, suo tempore sarcirentur. Hinc non multo post suum ita consilium exponit in epistola, quam ad Baugulfum Abbatem Fuldæ misit. Ea autem sic se habet:

Carolus Dei gratia Francorum & Longobardorum Rex, ac Patritius Romanorum, Baugulfo Abbati & omni congregationi, tibi etiam commissis fidelibus oratoribus nostris in omnipotentis Dei nomine amabilem direximus salutem. Notum igitur sit Deo placitæ devotioni vestræ, quia nos una cum fideli-

delibus nostris consideravimus, utile esse, ut Episcopia & monasteria nobis Christo propitio ad gubernandum commissa præter regularis vitæ ordinem, atque sanctæ religionis conversationem, etiam in literarum meditationibus eis, qui donante Domino discere possunt, secundum uniuscujusque capacitatem, docendi studium debeant impendere, qualiter sicut regularis norma honestatem morum, ita quoque docendi & discendi instantia ordinet, & ornet seriem verborum, ut qui Deo placere appetunt recte vivendo, ei placere non negligant recte loquendo. Scriptum est enim: Aut ex verbis tuis justificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis. quamvis enim melius sit bene facere, quam nosse, prius tamen est nosse, quam facere. Debet ergo quisque discere, quod optat implere, ut tanto uberius quid agere debeat, intelligat anima, quanto in omnipotentis Dei laudibus sine mendaciorum offendiculis cucurrerit lingua. Nam cum omnibus hominibus vitanda sint mendacia, quanto magis illi secundum possibilitatem declinare debent, qui ad hoc solummodo probantur electi, ut servire specialiter debeant veritati? Nam cum nobis in his annis a nonnullis monasteriis sæpius scripta dirigerentur, in quibus quod pro nobis fratres ibidem commorantes in sacris & piis orationibus decertarent, significaretur, cognovimus in plerisque præfatis conscriptionibus eorundem & sensus rectos & sermones incultos, quia quod pia devotio interius fideliter dictabat, hoc exterius propter negligentiam discendi lingua inerudita exprimere sine reprehensione non

va-

valebat. Unde factum eſt, ut timere inciperemus, ne forte minor eſſet, quam recte eſſe debuiſſet, in eis ſanctarum Scripturarum ad intelligendum ſapientia: & bene novimus omnes, quamvis periculoſi ſint errores verborum, multo periculoſiores ſunt errores ſenſuum. Quamobrem hortamur vos literarum ſtudia non negligere, verum etiam humillima & Deo placita intentione ad hoc certatim diſcere, ut facilius & rectius divinarum Scripturarum myſteria valeatis penetrare. Cum autem in ſacris paginis ſchemata, tropi, & cetera his ſimilia inſerta inveniantur, nulli dictum eſt, quod ea unusquisque legens tanto citius ſpiritualiter intelligit, quanto prius in literarum magiſterio plenius inſtructus fuerit. Tales vero ad hoc opus viri eligantur, qui & voluntatem & poſſibilitatem diſcendi, & deſiderium habeant alios inſtruendi. Et hoc tantum ea intentione agatur, qua devotione a nobis præcipitur. Optamus enim vos, ſicut decet Eccleſiæ milites, & interius devotos & exterius doctos, caſtosque bene vivendo, & ſcholaſticos bene loquendo, ut quicumque vos propter nomen Domini, & ſanctæ converſationis nobilitatem ad videndum expetierit, ſicut de aſpectu veſtro ædificatur viſus, ita quoque de ſapientia veſtra, quam in legendo ſeu cantando perceperit, inſtructus, omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat. Hæc Caroli mira eſt in inſtituendis per Epiſcopia & monaſteria gnavitas, quam & ſingularis in Deum pietas, & de utilitate publica bene merendi ſtudium & amor plurimum commendant.

Eidem rei fidem facit amplissimam secundum Cabilonense Concilium, quod anno 813. habitum est. Sic autem loquitur cap. 6. *Oportet etiam, ut sicut dominus Imperator Carolus, vir singularis mansuetudinis, fortitudinis, prudentiæ, justitiæ ac temperantiæ, præcepit, Episcopi Scholas constituant, in quibus & literaria solertia disciplinæ, & sacræ Scripturæ documenta discantur, & tales ibi erudiantur, quibus merito dicatur a Domino: Vos estis sal terræ, & qui condimentum plebibus esse valeant, & quorum doctrina non solum diversis hæresibus, verum etiam Antichristi monitis, & ipsi Antichristo resistatur, ut merito de illis in laude Ecclesiæ dicatur: Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* Cujus præcepti Concilium meminerit, illius specimen habetur cum in iis quæ jam retulimus, tum in libro 1. capitularium num. 62. *Obsecramus etiam, ut bonam & probabilem vitam & conversationem habeant, sicut ipse Dominus in Evangelio suo præcepit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est, ut eorum bona conversatione multi attrahantur ad servitium Dei, & non solum servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios aggregent, sibique socient, & ut Scholæ legentium puerorum fiant, psalmos, notas, cantus, compotum, Grammaticam per singula monasteria vel Episcopia discant; sed & libros Catholicos bene emendatos habeant, quia sæpe, dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant. & pueros vestros non sinatis eos*

vel

vel legendo, vel ſcribendo corrumpere, & ſi opus eſt Evangelium & Pſalterium & Miſſale ſcribere, perfectæ ætatis homines ſcribant cum omni diligentia.

Præterea accedit ſextum Pariſienſe Concilium, quod anno 829. celebratum eſt, libro 3. cap. 12. Imperatori Ludovico paternam in inſtaurandis Scholis operam ita proponit: *Similiter obnixe ac ſuppliciter veſtræ celſitudini ſuggerimus, ut morem paternum ſequentes, ſaltem in tribus congruentiſſimis Imperii veſtri locis Scholæ publicæ ex veſtra auctoritate fiant, ut labor patris veſtri & veſter per incuriam, quod abſit, labefactando non pereat, quoniam ex hoc facto & magna utilitas & honor ſanctæ Dei Eccleſiæ, & vobis magnum mercedis emolumentum, & memoria ſempiterna accreſcet.* Quibus verbis manifeſtum eſt, in votis habuiſſe Carolum, ut cum pluribus in locis, tum maxime in tribus Imperii Scholæ publicæ excitarentur: deinde tria hæc Imperii loca non exprimi, in quibus excitarentur Scholæ: tum demum Epiſcopos adhortari Ludovicum, ut quibus in rebus nondum erat factum ſatis Carolo, ipſe perficeret, ne quem uterque in reſtituendis literarum ſtudiis laborem impenderat, priſtina redeunte incuria caſſus & inanis redderetur.

Neque hoc loco prætereundum eſt, Imperatorem noſtrum, quod in revocandis bonarum artium ſtudiis egit, id egiſſe cum ex aliis, tum ex hoc quoque, quod ipſe plura diſciplinarum genera diligenter excoluerit. Hujus rei locupletisſimum teſtem ha-

habemus Eginhardum in vita Caroli: *Inter cœnandum*, inquit, *aliquod acroama aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiæ, & antiquorum Regum gesta. Delectabatur & libris Sancti Augustini, præcipueque his, qui de civitate Dei prætitulati sunt.* Et paullo post: *Erat eloquentia copiosus & exuberans, poteratque quidquid vellet, apertissime exprimere, nec patrio tantum sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit, in quibus Latinam ita didicit, vt æque illa ac patria lingua orare esset solitus. Græcam vero melius intelligere, quam pronunciare poterat. adeo certe facundus erat, vt etiam dicaculus* (alias didascalus) *appareret. Artes liberales studiosissime coluit, earumque Doctores plurimum veneratus magnis afficiebat honoribus. In discenda Grammatica Petrum Pisanum Diaconum senem audivit, in ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcuinum, item Diaconum de Britannia, Saxonici generis hominem, virum undecunque virum præceptorem habuit. Apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipue tamen Astronomiæ ediscendæ plurimum temporis & laboris impertivit. Discebat & artem computandi, & intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur. Tentabat & scribere, tabulasque & codicellos ad hoc in lectulo sub cervicalibus circumferre solebat, ut cum tempus vacuum esset, manum effigiandis literis assuefaceret.* Hæc ille, quibus apprime docemur, quam in literarum studia propensionem habuerit, & qua in scientia Petrum Pisanum, & Alcuinum audiverit, illum in

Gram-

Grammatica, hunc in reliquis disciplinis, quas Eginhardus aperte recenset. Deinde nec Theologiam, nec multiplicia veterum instituta ignorare potuit, qui Beati Augustini libris delectaretur, & iis maxime, quos Pater sanctissimus de civitate Dei composuit. Tum versatus est in historiis & antiquorum Regum gestis, quorum notitia prudentem efficit principem. Denique in condendis corrigendisque legibus, in pangendis carminibus, & aliis id genus studiis plurimum se exercuit, ut tradit idem Eginhardus his verbis: *Post susceptum Imperiale nomen, cum adverteret multa legibus populi sui deesse, (nam Franci duas habent leges plurimis in locis valde diversas) cogitavit, quæ deerant, addere, & discrepantia unire, prava quædam ac perperam prolata corrigere. Sed in iis aliud nihil ab eo factum est, quam quod pauca capitula, & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum, quæ sub ejus dominatu erant, jura, quæ scripta non erant, describere ac literis mandari fecit. Item barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus ac bella canebantur, scripsit, memoriæque mandavit. Inchoavit & Grammaticam patrii sermonis. Mensibus etiam juxta linguam patriam nomina imposuit, cum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus appellarentur. Item ventos duodecim propriis appellationibus insignivit, cum prius non amplius quam vix quatuor ventorum vocabula possent inveniri.*

Ad Eginhardum Lupus adjungitur Ferrariensis Abbas, in epistola ad eundem prima: *Itaque patienter, quæso, & benigne advertite animum, dum altius meas repeto cogitationes, ut nosse possitis, quam hoc non perperam, nec juvenili moliar levitate. Amor literarum ab ipso fere initio pueritiæ mihi innatus est, nec earum, ut nunc a plerisque vocantur, superstitiosa otia fastidio sunt; & nisi intercessisset inopia præceptorum, & longo situ collapsa priorum pene studia interiissent, largiente Domino, meæ aviditati satisfacere forsitan potuissem. Siquidem vestra memoria per famosissimum Imperatorem Carolum, cui literæ eo usque deferre debent, vt æternitati parent memoriam, cœpta revocari aliquantulum quidem extulere caput, satisque constitit veritate subnixum præclarum dictum: Honos alit artes, & accenduntur omnes ad studia gloria.*

Idem scribit Jonas Aurelianensis Episcopus, in libro I. de cultu imaginum. *Sed divina*, inquit, *gratia adminiculante, nullus apud Galliam Germaniamque ejus* (Felicis Urgellitani) *error locum invenire quivit, quoniam non solum apud Germaniam studia literarum, & amor sanctarum Scripturarum, verum etiam apud eandem Galliam ejusmodi memorabilis viri* (Caroli) *solertissimo studio, & ferventissimo desiderio actum est, ut, Domino opem ferente, in sibi commissis Ecclesiæ filiis & liberalium artium apprime disciplina, & divinarum Scripturarum perfecte polleret intelligentia.* Nulla igitur relinquitur dubitatio, quin quæ Carolus studia literarum ab aliis excoli voluit, ipse diligenter

genter excoluerit, & majestate condecoraverit sua.

Ceterum quæ hactenus de eximia Caroli in restituendis literarum studiis cura disseruimus, sufficiunt, opinor, ut quibus in locis olim hodieque publicæ aperiuntur Scholæ, Carolus uti scientiarum & artium instaurator, ac cujuslibet Academiæ parens optimus colatur. Itaque nihil omnino necesse est, fabulas fingere, vel tueri fictas, quibus Carolo asseratur immortale illud nomen, aut pridem assertum retineatur apud posteros. Etenim qui solidis abundat laudibus, hac inani superstitione non indiget. Non augetur mendacio veritas, & virtus sibi satis ingens campus est, cum ad sui ostentationem, tum ad nominis æternitatem. Facessant igitur, qui primum in vulgus sparserunt, exceptos a Carolo ex Hibernia & Anglia homines Bedæ discipulos, qui gratis docerent, & per Occidentis Imperium Academias fundarent.

CAPUT II.

Quædam superducta expositæ veritati commenta recensentur, & ipsa propemodum recensione confutantur.

QUi ut a virtute, sic & a vitio consecrari virtutem arbitrati sunt, historiam Caroli Magni stulte interpolarunt, & res ab eo vere & præclare gestas nonnullis mendacibus additamentis infecerunt; tantum abest, ut ea quæ de instaurandis per Imperium Scholis gesserat, illustriora redderentur apud sapientem posteritatem.

Hos

Hos autem inter fabulatores primas sibi vendicat Monachus ille Sangallensis, qui de gestis Caroli Regis Francorum & Imperatoris libros ad Carolum Crassum duos composuit: in quorum uno hæc traduntur, capp. 1. 2. & 3. *Omnipotens Regum dispositor, ordinatorque regnorum & temporum, cum illius admirandæ statuæ pedes ferreos vel testaceos comminuisset in Romanis, alterius non minus admirabilis statuæ caput aureum per illustrem Carolum erexit in Francis. Qui cum in occiduis mundi partibus solus regnare cœpisset, & studia literarum ubique propemodum essent in oblivione, contigit duos Scotos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ devenire, viros & in sæcularibus & in sacris Scripturis incomparabiliter eruditos, qui cotidie, cum nihil ostenderent venale, ad convenientes emendi gratia turbas clamare solebant: Si quis sapientiæ cupidus est, veniat ad nos, & accipiat eam; non venalis est apud nos, quam tamen idcirco venalem se habere professi sunt, quia populum non gratuita, sed venalia mercari viderunt, ut sic vel sapientiæ, sicut ceteris rebus coemendis eos incitarent, vel (sicut sequentia comprobant) per tale præconium in admirationem verterent & stuporem. Denique tamdiu conclamata sunt ista, donec ab admirantibus ut insanos illos putantibus, ad Caroli Regis semper amatoris & cupidissimi sapientiæ perlata fuissent. Qui sub omni celeritate ad suam eos præsentiam evocatos interrogavit, si vere, ut ipsa fama comperit, sapientiam secum haberent. Qui cum inquisisset ab illis, quid pro ipsa peterent, re-*

spon-

sponderunt, loca tantum opportuna, & animas ingeniosas, & sine quibus ista peregrinatio transigi non potest, alimenta, & quibus tegamur. Quo ille percepto ingenti gaudio repletus, primum quidem apud se utrumque parvo tempore tenuit. Postea vero cum ad expeditiones bellicas urgeretur, unum eorum nomine Clementem in Gallia residere præcepit, cui & pueros nobilissimos, mediocres & infimos satis multos commendavit, & eis prout necessarium habuerunt, victualia ministrari præcepit, habitaculis opportunis ad meditandum deputatis: alterum vero in Italiam direxit, cui & monasterium Sancti Augustini juxta Ticinensem urbem delegavit, ut qui illuc ad eum voluissent, ad discendum congregari potuissent.

Audito autem Albinus de natione Anglorum, quod gratanter sapientes viros religiosissimus Regum Carolus susciperet, conscensa navi venit ad eum. qui erat in omni latitudine Scripturarum supra ceteros modernorum temporum exercitatus, utpote discipulus doctissimi Bedæ peritissimi post Sanctum Gregorium tractatoris. Quem usque ad finem vitæ jugiter secum retinuit, nisi quando ad ingruentia bella processit, adeo ut se discipulum ejus, & ipsum magistrum suum appellari voluisset. Dedit autem illi Abbatiam Sancti Martini juxta Turonicam civitatem, ut quando ipse absens esset, illic requiescere, & ad se confluentes docere deberet. Cujus in tantum doctrina fructificavit, ut moderni Galli sive Franci antiquis Romanis vel Atheniensibus æquarentur.

Cum-

Cumque virtuosissimus Carolus post longum tempus in Galliam reverteretur, præcepit ad se venire pueros, quos Clementi commendaverat, & offerre sibi epistolas, & carmina sua: mediocres igitur & infimi præter spem omnibus sapientiæ condimentis dulcoratas obtulerunt, nobiles vero omni fatuitate tepentes præsentarunt. Tunc sapientissimus Carolus æterni judicis justitiam imitatus, bene operatos ad dexteram segregatos his verbis allocutus est: Multas gratias habete, filii, quia jussionem meam & utilitatem vestram juxta possibilitatem exequi fuistis intenti. Nunc ergo ad perfectum attingere studete; & dabo vobis Episcopia & monasteria permagnifica, & semper honorabiles eritis in oculis meis: Deinde ad sinistros cum magna animadversione vultum contorquens, & flammato intuitu conscientias eorum concutiens, ironice hæc tolerabilia verba intonando potius, quam loquendo jaculatus est in illos: Vel nobiles vos primorum filii, vos delicati & formosuli in natales vestros & possessiones confisi, mandatum meum & glorificationem vestram postponentes, literarum studiis neglectis, luxuriæ, ludo, inertiæ, vel inanibus exercitiis indulsistis. & his præmissis solitum sibi sacramentum, augustum caput, & invictam dexteram ad cælum convertens fulminavit: Per Regem cælorum non ego magnipendo nobilitatem & pulchritudinem vestram, licet alii vos admirentur; & hoc proculdubio scitote, quia nisi cito priorem negligentiam vigilanti studio recuperaveritis, apud Carolum nihil unquam boni acquiretis.

Ite

Iterum cap.8. *Gloriosissimus itaque Carolus per totum regnum suum studia literarum florere conspiciens, sed ad maturitatem Patrum præcedentium non pervenire condolens, & plusquam mortale laborans, in hanc tædiatus vocem erupit: O utinam haberem duodecim clericos ita doctos, omnique sapientia sic perfecte instructos, ut fuerunt Hieronymus & Augustinus, ad quod doctissimus Albinus ex ipsorum comparatione merito se indoctissimum judicans, in quantum nullus mortalium in conspectu terribilissimi Caroli audere præsumeret, maxima indignatione concepta, sed parumper ostensa respondit: Creator cæli & terræ similes illis plures non habuit, & tu vis habere duodecim.* In his autem bene multis certa sunt pauca. Certum quidem est, Alcuinum fuisse Caroli præceptorem, & Sancti Martini Turonensis monasterium rexisse, & a Carolo regendum accepisse: quod & scripta ad eundem Carolum epistola Alcuinus profitetur. Sed reliqua partim falsa sunt, incerta partim, & partim fabulosa. Imprimis falsum est Alcuinum Bedæ auditorem fuisse. quo enim tempore Beda lucis usuram amisit, eam nondum aut vix profecto acceperat Alcuinus. Bedam ad annum 731. migrasse, Floriacense Chronicum, Hermannus Contractus, Sigebertus, Gepidanus, Odorannus, & Ecclesiasticorum Annalium conditor affirmant. Alcuinus vero excessit anno 804. ut vita ipsius, Floriacense Chronicum, Odorannus & vetus Chronicum incerti Auctoris tradunt. Qui autem obiit anno 804. nondum forte natus erat anno 731. vel si

natus erat, certe præceptorem nondum habere potuit Bedam, qui hocce anno rebus humanis exemptus eſt. Hunc Albinum (ſic etiam vocatur Alcuinus) ſcriptor ex ignorantia confundit cum illo Albino, cujus Beda meminit in præfatione hiſtoriæ Anglorum: *Auctor*, inquit, *ante omnes atque adjutor opuſculi hujus Albinus Abbas reverendiſſimus, vir per omnia doctiſſimus extitit.* Quare noſter Albinus cum Bedæ mentionem facit, non ſuum utique, ſed temporis ſui nobiliſſimum magiſtrum appellat: *Rocogitate*, inquit epiſt. 49. *nobiliſſimum noſtri temporis magiſtrum Bedam Preſbyterum, quale habuit in juventute diſcendi ſtudium, qualem nunc habent inter omnes laudem, multo majorem apud Deum remunerationis gloriam.*

Alcuinus præterea ſemel atque iterum ſe ab Egberto Eboracenſi Archiepiſcopo inſtitutum fuiſſe teſtatur, ſemel quidem in epiſt. ad Carolum Regem apud Malmesburienſem libro 1. de geſtis Anglorum cap. 3. *Sed ex parte*, inquit, *deſunt mihi ſervulo veſtro exquiſitores ſcholaſticæ eruditionis libelli, quos habui in patria per bonam & devotiſſimam magiſtri mei Egberti induſtriam, vel mei ipſius qualemcumque ſudorem.* Iterum ibidem in epiſt. ad Cambaldum Eboracenſem Archiepiſcopum: *Laus & gloria Deo, qui dies meos in proſperitate bona conſervavit, ut in exaltatione filii mei cariſſimi gauderem, qui laboraret vice mea in Eccleſia, ubi ego nutritus & eruditus fueram. & præceſſit in theſauris ſapientiæ, in quibus me magiſter meus dilectus Egbertus Archiepiſcopus hæredem reliquit.* Sic ali-

alium a Beda præceptorem audivisse se planissimum facit.

Deinde falsum est quoque, quod Monachus Sangallensis de Alcuini in Galliam adventu cap. 2. scribit his verbis: *Audito autem Albinus de natione Anglorum, quam gratanter sapientes viros religiosissimus Regum Carolus susciperet, conscensa navi venit ad eum.* Alcuinus enim duobus in locis aperte significat, se non ante in Galliam venisse, quam a Carolo Rege accerseretur. Primus autem locus est in libro adversus Elipandum primo: *Antequam ego eodem sapientissimo Rege Carolo jubente venissem in Franciam, hæc eadem vestri erroris secta eodem glorioso Principe præsidente, præsente solum, quem multum laudare soles, vestræ partis tunc temporis defensore, ventilata est in celeberrimo loco, qui dicitur Raiginisburg, & synodali auctoritate Sacerdotum Christi, qui ex diversis Christiani Imperii partibus convenerant, æterno anathemate damnata.* Alter locus est in epist. 23. ad Carolum Regem: *Hæc enim vestram sollicitudinem optimam, domine mi David, semper amare & prædicare agnoscebam, omnesque ad veram sapientiam discendam exhortari, immo & præmiis honoribusque sollicitare, atque ex diversis mundi partibus amatores illius vestræ bonæ voluntatis adjutores convocare studuistis, inter quos me etiam infimum ejusdem sanctæ sapientiæ vernaculum de ultimis Britanniæ finibus adsciscere curastis.* Igitur qui jussus a Carolo, qui vocatus in Galliam venit, non ea ratione venit, quam memorat Monachus Sangallensis.

Tertio incertum, ni melius dicam, falſum eſt, quod tempore Caroli per totum ejus Imperium literarum ſtudia floruerint, ſi hæc ad eorum amuſſim, quæ cap. 1. retulimus, expendantur. Concilium Cabilonenſe anno 813. ſtatuit, ut Epiſcopi Scholas conſtituerent, in quibus & *literariæ ſolertiæ diſciplinæ & ſacræ Scripturæ documenta* diſcantur. Concilium Pariſienſe anno 829. Ludovicum Caroli filium rogat plurimum, vt in tribus ſaltem Imperii locis Scholæ publicæ ex ejusdem Ludovici auctoritate fiant. Horum autem neutrum præſtari neceſſe fuit, ſi tunc per totum Imperium artes bonæ omnes florerent. Qua tamen ratione, qui ex Alcuini ludo prodierant, varias Regni partes illuſtrarunt, per totum Caroli Regnum literarum ſtudia florere non immerito dici potuerunt. Sed incertum omnino eſt id, de quo hinc Carolum mœrentem ac loquentem, inde Alcuinum reſpondentem inducit.

Denique fabuloſa eſt narratio de Scotis illis duobus, qui ex Hibernia cum mercatoribus Britannis ad Galliæ litus appulerunt; ſed cum venale haberent nihil, omni vocis contentione clamarunt: *Si quis ſapientiæ cupidus eſt, veniat ad nos, accipiat eam, non venalis eſt apud nos.* Quæ cum ita ſint, non abs re dubitavit aliquando Henricus Caniſius, utrum Monachi Sangallenſis opus luce dignum foret, cum quæ ibi tractatur hiſtoria, fabulis nonnumquam aſpergatur. Ceterum obſervandum eſt, ea, quæ Monachus Sangallenſis habet libro 1. cap. 1. & 2. ex Chronicis Metropolis Arelatenſis ad ver-

verbum libro 23. alias 24. cap. 73. ſpeculi hiſtorialis apud Vincentium referri.

Teſtimonium Vincentii Bellovacenſis refertur & refellitur.

Vincentius Bellovacenſis in ſpeculi hiſtorialis libro 23. alias 24. cap. 73. Monachi Sangallenſis fabulas amplificat ex certis quibusdam Chronicis, quæ ſic exſcribit: *Hoc itaque Monaſterium* (Sancti Martini) *poſt hoc, ut dictum eſt, donante Carolo, ſuſcepit regendum Alcuinus, ſcientia, vitaque præclarus, qui & ſapientiæ ſtudium de Roma Pariſius tranſtulit, quod illuc quondam a Græcia translatum fuerat a Romanis, fueruntque Pariſius fundatores hujus ſtudii quatuor Monachi Bedæ diſcipuli, ſcilicet Rabanus, Alcuinus, Claudius, & Joannes Scotus.* In his commenta numerare plura licet: primum eſt, ſapientiæ ſtudium ab Alcuino Roma translatum eſſe Lutetiam Pariſiorum, cum, ut vidimus, alios Alcuinus, quam Romanos præceptores habuerit. Deinde ab Rege Carolo, non Roma, ſed ex Britanniæ finibus in Galliam accerſitus eſt. Alterum, Pariſienſis ſtudii fundatores eſſe quatuor Bedæ diſcipulos, quorum nomina recenſet. Quæ enim cap. 1. diſſeruimus, palam oſtendunt, nullam a Carolo Pariſiis conſtitutam eſſe Scholam publicam, neque etiam Alcuinum ibidem docuiſſe unquam ſignificat. Duo tantum ſunt loca, in quibus Alcuinum rexiſſe Scholas colligimus: palatium Regis, & Cæſarodunum Turonum. Primum ſic indicat in epiſtola ad Regem: *Et ego,* inquit,

quit, *ignarus, nesciens Ægyptiacam Scholam in palatio Davitica versari gloriæ. Ego abiens Latinos ibi dimisi, nescio quis introduxit Ægyptios.* Secundum in epistola 15. *Ego itaque, licet parum proficiens, cum Turonica quotidie pugno rusticitate. Vestra vero auctoritas palatinos erudiat pueros, ut elegantissimum proferant quidquid vestri sensus luciducissima dictaverit eloquentia, ut ubique nominis charta decurrens, regalis sapientiæ nobilitatem ostendat.* In pluribus quidem Galliæ locis Alcuinum nunc in comitatu Regis, nunc extra comitatum Regis versatum se testatur esse; sed alibi, quam in palatio Regis, vel Turonis docuisse nunquam testatur. Et hac in parte quicquid sine antecessorum patrocinio dicitur, contemnitur. Tertium, quatuor illos Monachos fuisse auditores Bedæ, non quidem Alcuinum, ut jam ostendimus, non Rabanum, qui cum obierit anno 856. ut scribunt Hermannus Contractus, Lambertus Schafnaburgensis, Marianus Scotus, Sigebertus, Chronica duo, unum Monasterii Sancti Galli, alterum Hildenshemiense, scriptoresque alii, audire non potuit Bedam, qui anno 731. excessit e vita. Joannes vero Scotus longo post Rabanum tempore mortuus est, de quo ut & de Claudio dicturi adhuc sumus.

Joannis Victorini testimonium refertur & refellitur.

JOannes Cœnobii S. Victoris ad Lutetiam canonicus eandem fabulosam narrationem persequitur

tur in memoriali historiarum. Verba sunt illius sub annum 788. *Alcuinus hoc tempore vita & scientia præclarus, de Britannia oriundus, studium de Roma Parisius transtulit, quod illuc quondam a Græcia translatum fuerat a Romanis. fuerunt quoque Parisius hujus studii fundatores quatuor Monachi Bedæ discipuli, Rabanus, Alcuinus, Claudius, Joannes Scotus. Nam primo venerunt de Hibernia cum mercatoribus Britanniæ Monachi Scoti, Claudius, qui & Clemens, & ob hoc in Gallia scientiam venalem se habere clamantes. quos cum ab admirantibus velut eos insanos putantibus Carolus audivisset, quæsivit, quid pro ea vellent, & responsum est nihil præter victum & vestitum cum bonis & locis opportunis. Tunc Carolus eos retinuit, Claudium faciens Parisius morari, & Joannem Scotum apud Papiam misit. Post Alcuinus, audito quod Carolus viros scientes amaret & honoraret, capta opportunitate venit in Franciam, quem Carolus secum retinuit, & ab eo est instructus præcipue in Grammatica, Dialectica, Arithmetica, Astronomia, deditque ei Rex Abbatiam Sancti Martini Turonensis, ut cum Carolus iret ad bella ingentia, & alter remanens ibi studeret, & ad se confluentes doceret.* Hic Auctor præter memoratas a Monacho Sangallensi & Vincentio fabulas adjecit duo, quorum unum est, Claudium alio nomine dictum esse Clementem, atque ita cum Sangallensis Monachus Hibernum illum Clementem, & Vincentius ex Chronicis suis Claudium vocant, eundem hominem intelligunt: alterum, Joannem Scotum a Ca-

rolo fuisse Papiam ablegatum, qui eo loci Academiam erigeret. At Joannes Scotus cum in Annalibus Ecclesiasticis obierit anno 883. vide, quæso, quo ætatis suæ anno Papiam mitti potuit a Carolo, qui anno 814. ex hac hominum colluvione discessit.

Tum quæ de hoc Joanne Scoto dicit Guillelmus Malmesburiensis libro 2. de gestis Anglorum cap. 4. Joannis Victorini narrationem evertunt. *Hoc tempore* (ab anno 872. ad annum 880. *creditur fuisse Joannes Scotus, vir perspicacis ingenii & multæ facundiæ, qui dudum occupantibus undique bellorum fragoribus, in Franciam ad Carolum Calvum transierat, cujus rogatu Hierarchiam Dionysii Areopagitæ in Latinum de Græco, verbum e verbo transtulit. Composuit etiam librum, quem περὶ φύσεων μερισμοῦ, id est, de naturæ divisione intitulavit propter perplexitatem necessariarum quæstionum solvendam bene utilem, si tamen ignoscatur ei in aliquibus, in quibus a Latinorum tramite deviavit, dum in Græcos acriter oculos intendit. Succedentibus annis munificentia Alfredi allectus venit in Angliam, & apud monasterium nostrum a pueris, quos docebat, graphiis, ut fertur, perforatus, etiam martyr æstimatus est.* Rogerius Hovedenus idem habet in prima Annalium parte.

Hic supersedeo recensere, quæ tradunt Jacobus Magnus in Sophologio, lib. I. cap. 15. Robertus Guaguinus lib. 4. de gestis Francorum, in Carolo Magno, Polidorus Vergilius lib. 4. & 5. Historiæ Anglorum, Joannes Major Parisiensis e Schola Theologus

logus lib. 2. de gestis Scotorum cap. 13. Robertus Gouletus Parisſ. Theologus, in Compendio de fundatione Universitatis Parisſ. & Genebrardus lib. 3. Chronographiæ; cum quæ hi Scriptores tradunt, eadem sint atque ea, quæ jam retulimus, & continuo dispunximus. His autem, & aliis eorum exscriptoribus opponendum est, quod illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum conditor Baronius ad annum 109. num. 51. scribit: *Jura veritatis sunt ampliora omni antiquitate, quippe quæ nulla plurimorum sæculorum valeant præscriptione lædi, nec innumera testium multitudine obrui atque labefactari.* Tertullianus prævivit Baronio, cum in libri de præscriptione hæreticorum capite 31. discernendi verum a falso regulam hanc statuit: *Ex ipso ordine manifestatur id esse dominicum & verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses*, (dicamus historicorum opiniones) *quibus nulla constantia competit ad defendendam sibi veritatem.*

CAPUT III.

Episcoporum studium & opera in instaurandis Scholis.

INter Episcopos, quorum industria & pietas in instaurandis sub Imperatore Carolo Scholis excelluit, principatum sibi vindicat Theodulfus Aurelianensis. Hoc ipse testatissimum reliquit duo-

bus in locis Capitularis, quod ad Diœcesis suæ Presbyteros habuit ante annum 800. Et primo quidem num. 19. his verbis: *Si quis ex Presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum ad Scholam mittere, in Ecclesia sanctæ Crucis, aut in monasterio Sancti Aniani, aut Sancti Benedicti, aut Sancti Lifardi, aut in ceteris de his cœnobiis quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus.* Hic non pro omnibus, sed pro certis adolescentium generibus Scholæ parantur. Adolescentes ii sunt vel Presbyterorum nepotes, vel consanguinei. Loca vero, in quibus adolescentium fiat institutio, designantur nominatim quatuor, Ecclesia sanctæ Crucis, monasterium Sancti Aniani, monasterium Sancti Benedicti, & monasterium Sancti Lifardi, inter quæ monasterium Sancti Benedicti, quod, ni fallor, Floriacense debet intelligi, Scholam postea fuisse celebrem ostendemus. Deinde num 20. *Presbyteri per villas & vicos Scholas habeant, & si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas literas eis commendare vult, eos suscipere ac docere non renuant, sed cum summa caritate eos doceant, attendentes illud, quod scriptum est: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, excepto quod eis parentes caritatis studio sua voluntate obtulerint.* Theodulfus sic erigendas a Presbyteris suis Scholas instituit, non pro certis quidem, sed pro

cun-

cunctis adolescentium generibus, ad quas qui mittuntur, summo caritatis studio docendi sunt. Nullum vero Scholarum locum, sed villas & vicos sine discrimine præscribit. Minervale demum, quod exigatur, decernit nullum; sed quidquid illud potest esse, liberæ parentum voluntati relinquit.

Porro ad Episcoporum curam & studium in erigendis Scholis pertinent Ecclesiasticæ institutiones, quæ Caroli Magni Capitularibus promiscue inseruntur. Qua profecto in re veniunt in partem laudis & gloriæ, quæ ob Scholarum instaurationem huic Regi & Imperatori tribuenda est.

CAPUT IV.

Schola Palatii.

IN Palatio Regis illustrem fuisse Scholam Alcuinus docet in epistola ad Carolum, ubi sic habetur: *Ego ignarus nesciens Ægyptiacam Scholam in Palatio Daviticæ versari gloriæ, ego abiens Latinos ibi dimisi, nescio quis subintroduxit Ægyptios.* Quibus ex verbis facile perspicitur, Palatium Regis habuisse Scholam, in qua optimæ quæque artes & disciplinæ traderentur. Quod & luculenter confirmat Jonas Aurelianensis Episcopus, in præfatione librorum, quos de imaginum cultu scripsit: ubi aperte tradit duo, quorum unum est, Claudium, qui Taurinensis Episcopus fuit, in Schola Palatii docuisse: alterum, Claudii commentarios de imaginum cultu in eadem Palatii Schola examini traditos & improbatos fuisse.

Pri-

Primum ex his colligitur verbis: *Is namque Deo dilectissimus Princeps inter cetera bonitatis suæ studia erga divinum cultum amplificandum multiplici modo ferventia, quendam Presbyterum natione Hispanum, nomine Claudium, qui aliquid temporis in Palatio suo in Presbyteratus militaverat honore, cui in explanandis sanctorum Evangeliorum lectionibus quantulacumque notitia inesse videbatur, ut Italicæ plebis, quæ magna ex parte a sanctorum Evangelistarum sensibus procul aberat, sacræ doctrinæ consultum fieret, Taurinensi Præsulem subrogari fecit Ecclesiæ.* Alterum vero ex his verbis: *Memoratus denique libellus* (Claudii) *eidem domino nostro genitori vestro sincerissime ac religiosissime orthodoxam fidem colenti ob defensionem sanctæ matris Ecclesiæ, quæ ab eodem Claudio, sicut textus suarum literarum prodit, hostiliter impugnabatur, delatus est. Qui ab eo, suique Palatii prudentissimis viris examinatus justo judicio est repudiatus.* Egregiam omnino Palatii Regum Scholam fuisse oportet, in qua præcipua sacræ doctrinæ cura poneretur, & libri pessimæ notæ damnarentur. Neque vero permirum videri debet, Scholam extitisse in Palatio Regis, eamque præcellentem, quando & ipsa domus Regis vocitaretur Schola, quemadmodum agnoscunt Præsules, qui ex habita apud Carisiacum synodo ad Ludovicum Germaniæ Regem scripserunt. Sic autem habetur in epistolæ cap. 12. *Domum vestram domesticam sic nutrite, regite & disponite, ut quando regni populus ad vos convenerit, in vobis & in domesticis vestris videant,* qua-

qualiter se atque domum, cùm quanta humilitate atque castitate, quam sobrie, quam juste, quam pie disponere debeant & gubernare, quia, sicut Sapiens dixit, secundum mores domini erit familia custodita & idonea. Domus Regis Schola dicitur, id est, disciplina, quia non tantum Scholastici, id est, disciplinati & bene correcti sunt, sicut alii, sed potius Schola ipsa, quæ interpretatur disciplina, id est, correctio, dicitur, quæ alios habitu, incessu, verbo & auctoritate, atque totius bonitatis continentia corrigat. Quibus verbis Episcopi præstant duo, & Regis domum afferunt Scholam esse, & rationes adducunt optimas, quibus ita nuncupetur. His Episcopis jam ad annum 809. præiverat Leo III. in collatione, quæ inter ipsum & Imperatoris Caroli legatos habita est de symbolo fidei in secretario Sancti Petri Apostoli. Est autem ejusmodi: *Missi. Quia vero, ut dicitis, & verum dicitis, bonum est cantare id ipsum symbolum: nunquid enim si sermo plenus recta fide e medio tollatur, idem sermo ab omnibus, ac si contra fidem sit, condemnabitur? Quale ergo datis consilium, ne id ipsum ad aliquod transeat exitium? Papa. Si prius quam ita cantaretur, interrogatus essem, ne insereretur* (filioque) *utique respondissem. At nunc, quod tamen non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, ita mihi videtur utrumque posse fieri, ut paulatim in Palatio, quia in nostra sancta Ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem symboli intermittatur, sicque fiat, ut quod id ipsum ut cantaretur, non qualibet imperan-*

rantis auctoritas, sed potius audiendi id fecisset novitas, si dimittatur a vobis, dimittetur ab omnibus, & ita fortasse quantum esse potest, non incongrue utrumque fieri possit, ut quod jam nunc a quibusque prius nescientibus recte creditur, credatur, & tamen illicita consuetudo sine cujusque fidei læsione tollatur. Respectabat Pontifex ad Palatii Scholam, sive quæ Ecclesiastico cantui, sive quæ sacræ doctrinæ præsideret. Etenim quæ tunc inter Episcopos ventilabatur quæstio, ad Scholam utramque pertinebat; & si res ex seipsa pensetur, ad Theologiæ Scholam magis pertinebat.

Verum ubi Schola, ibi & Bibliotheca esse debet. Quare Ludovicus Caroli filius e Palatio suo libros suppeditavit Amalario Diacono, ut ex iis Canonicorum regulam excerperet & componeret. Id ita factum testatur Ademarus in Chronico. Ejus verba sunt: *Ubi habito Concilio, id est, Indict. 10. anno imperii sui 3. ab Incarnatione Domini 816. jussit fieri regulam Canonicis excerptam de diversis Patrum Scripturis, decrevitque eam observandam a Canonicis, ut sicut Monachi respiciunt ad librum regulæ Sancti Benedicti, sic perlegant Canonici inter se librum vitæ Clericorum: quem librum Amalarius Diaconus ab Imperatore jussus collegit ex diversis Doctorum sententiis. Dedit ei Imperator copiam librorum de Palatio suo, ut ex ipsis, quæ viderentur congrua, excerperet.* Ecce regalis Palatii Bibliotheca, cujus Imperator copiam Amalario fecit.

Quo

Quo vero tempore Lotharius tenebat Imperium, Schola hæc multum adhuc clarebat. Id tradit Angelomus Luxovienſis Monachus in præfatione Canticorum ad eundem Imperatorem. *Nuper*, inquit, *excubantem me in veſtro ſacro Palatio ſub obtentu, inquam, traditionum liberalium artium, enucleationumque divinarum ſcilicet Scripturarum dignata eſt veſtra ſagax prudentia, ſicuti non eſt immemor, accerſire veſtræ ſolerti prudentiæ, mecumque habere oraculum. Sed poſt ſpiritualia cæleſtis vitæ colloquia, & ſuffragia orationum placuit imperando, immo intentando imperare, ut ſtyli officio juxta antiquorum Patrum ſenſum, & frugalitatem ingenioli mei opuſculum in Cantica Canticorum Salomonis, ubi Chriſti & Eccleſiæ conjunctio, allegoriarumque myſteria, quæ ceteris veteris Teſtamenti τοῖς βιβλίοις contineri probantur, digererem.* Sic Angelomus in Schola Palatii artibus optimis & Theologiæ operam dedit, ſive tum ſæcularem virum, ſive Monachum ageret.

CAPUT V.

Schola Turonenſis.

CÆſaroduni Turonum inſtitutam fuiſſe ab Alcuino Scholam, Alcuinus ipſe docet in epiſtola, quam ad Davidem Angliæ Regem ſcribit. *Ego*, inquit, *Flaccus veſter ſecundum exhortationem & bonam voluntatem noſtram aliis per tecta Sancti Martini ſanctarum in olla Scripturarum miniſtrare ſatago, alios vetere antiquarum diſciplinarum mero*

mero inebriare studeo, alios Grammaticæ subtilitatis enutrire pomis incipiam, quosdam stellarum ordine, ceu picto cujuslibet magnæ domus culmine illuminare gestio, plurimis factus, ut plurimos ad profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad decorem Imperialis regni vestri erudiam, ne sit vana Dei omnipotentis in me gratia, nec vestræ bonitatis largitio inanis. Sed ex parte desunt mihi servulo vestræ eruditiores eruditionis scholasticæ libelli, quos habui in patria per bonam & devotissimam magistri mei industriam, vel etiam mei ipsius qualemcumque sudorem. Ideo hæc vestræ excellentiæ dico, anne vestro forte placeat totius sapientiæ desiderantissimo consilio, ut aliquos ex pueris vestris remittam, qui excipiant inde nobis necessaria quæque, & revehant in Franciam flores Britanniæ, ut non sit tantummodo in Euborica hortus conclusus, sed in Turonica emissionis paradisi cum pomorum fructibus. Deinde id ipsum adhuc prodit Alcuinus in epistola 15. *Ego itaque parum proficiens cum Turonica quotidie pugno rusticitate: vestra vero auctoritas palatinos erudiat pueros, ut elegantissime proferant, quicquid vestri sensus lucidissima dictaverit eloquentia, ut ubique regalis nominis charta decurrens, regalis sapientiæ nobilitatem ostendat.* Quibus verbis apparet, Turonensem Scholam cum auctoritate magistri, tum discipulorum numero floruisse.

Porro ad annum 868. celebris adhuc erat Schola illa, quemadmodum significat examinatio Willeberti Catalaunensis ordinandi, quæ tomo 2. Concilio-

ciliorum Galliæ extat. Sic autem interrogat Willebertum Hincmarus Metropolita: *Item ubi didicisti?* Respondet Willebertus: *Ipse in Schola Turonica liberalibus disciplinis erudiendus traditus sum.* Ita Catalaunensis Episcopus e Turonensi Schola politum se esse profitetur, in qua liberales disciplinæ omnes docerentur. Quin etiam usque ad annum 1050. perstitit, vel si quando consenuit & decoxit, hoc tempore lacertos movere & revirescere cœpit, dum Berengarius docuit. Qua de re sic loquitur Chronicum Turonense MS. *Anno 1060. clarebat Magister Berengarius Grammaticus, Andegavensis Archidiaconus & Thesaurarius, nec non & Magister Scholarum, & Camerarius Ecclesiæ Beati Martini Turonensis, in Grammatica & Philosophia clarissimus, & in Necromantia peritissimus, a Roma discedens Turonis venit, ibique in insula, quæ Sancti Cosmæ dicitur, sæculi pompis abrenuncians, fere per 28. annos assidue Domino militavit, aliique plures Canonici Beati Martini sancto Spiritu magistro, & salutari ejus admonitione instituti, mutatis vestibus sese ad illam insulam contulerunt.* Odorannus monasterii S. Petri Vivi Senonensis Monachus in Chronico Berengarium appellat *Turonensem Magistrum, & admirabilem Philosophum.* Baldricus Burguliensis Abbas hoc illum carmine celebrandum censuit:

Tota Latinorum facundia marcida floret,
Dum Berengario Turoni viguere magistro.
Invida sors Turonis, ubi tantum lumen ademit.
Clauditur in Jano, patuit tibi janua vitæ.

En tua, magne senex, jacet hoc sub fornice gleba,
Ad reditum propriæ suspirans conditionis,
Promittatque licet veniam tibi spes meritorum,
Hanc tamen acceleret lector pia vota vovendo.

Hi quidem Scriptores a doctrina & fide laudant Berengarium, non quod semper recte docuerit, sed quod in iis, quæ non recte docuit, nec acer, nec pertinax fuerit. Et sane libenter acquievit in Romanæ Ecclesiæ judicio, quod in consessu 113. Episcoporum Nicolaus II. tulit anno 1059. Id abunde testatur emissa ab illo fidei professione, quæ etiam postea, cum multis Doctoribus probe Catholicis paullo videretur austerior, a Gregorio VII. temperata est. Quo factum, ut professiones fidei etiamnum supersint duæ, quarum unam Berengarius edidit Nicolao II. Pontifice, alteram Gregorio VII. In utraque nihil pertinaciæ, studium vincendi nullum, sed summa animi demissio comparet. Hæc autem omnia cum dissimulent ii, qui non pœnitentem, sed errantem sequuntur Berengarium, perperam interpretantur Odorannum, Baldricum, Turonense Chronicum, in quo præter ea, quæ recensui, habetur Berengarii epitaphium, quod Hildebertus Cenomannorum, mox Turonum Pontifex conscripsit. *Anno 1088.* (inquit Chronicum) *obiit Magister Berengarius Grammaticus, fidelis & vere Catholicus, super cujus tumulum hoc epitaphium est insertum:*

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.

Quem

Quem rectæ fidei veſtigia prima tenentem
Jani prima dies abſtulit, auſa nefas.
Illa dies, damnoſa dies, & perfida mundo,
Qua decus & rerum forma (ruina!) ruit,
Qua ſtatus & virtus, qua ſpes, qua gloria cleri,
Qua cultor juris jure ruente ruit.
Quicquid Philoſophi, quicquid cecinere Poetæ,
Ingenio ceſſit, eloquioque ſuo.
Cui veſtis textura rudis, cui non fuit unquam
Ante ſitim potus, nec cibus ante famem.
Quem natura parens cum mundo contulit, inquit
Degenerant alii, naſcitur ille mihi.

Porro Papyrius Maſſonus fallitur, cum libro 3 Francicorum Annalium ſcribit, Berengarium fuiſſe Scholaſticum Andegavenſem. Hic enim fuit tantum Andegavenſis Archidiaconus & Theſaurarius, ſed Scholarum Sancti Martini apud Turonos Magiſter & Camerarius, quemadmodum indicat Turonenſe Chronicum, quod Maſſonus non ſatis diligenter inſpexit. Sed rem dirimunt Odorannus, qui Berengarium Turonenſem Magiſtrum, & Baldricus ipſeque Andegavenſis, qui Turonenſes Scholas rexiſſe Berengarium apertiſſime declarant. Non Andegavenſis ergo, ſed Turonenſis fuit Scholaſticus. Qui honor gravibus duntaxat doctiſque viris olim deferebatur, & in maximis Eccleſiis, cujusmodi eſt Sancti Martini, Scholaſtici munus erat clerum docere. Maſſonus in Chronico conjunxit, quæ ſeparanda eſſe ex Odoranno & Baldrico colliguntur. Porro autem de iis, quæ ad Berengarii vitam, hæreſim & pœnitentiam ſpectant, con-

ſulendus eſt Franciſcus Roya Andegavenſis Anteceſſor, qui hac de re peculiarem librum edidit anno 1656.

CAPUT VI.

Schola Fontanellenſis.

QUi Fontanellenſis monaſterii Chronicon ſcripſit, Scholæ hujus meminit in cap. 15. *Gervoldus hujus Fontanellenſis cœnobii conſtituitur rector anno Dominicæ Incarnationis* 787. Et poſt alia: *Scholam in eodem monaſterio eſſe inſtituit, quoniam omnes pene ignaros literarum invenit; ac de diverſis locis plurimum Chriſti gregem aggregavit, optimiſque cantilenæ ſonis, quantus ordo temporis ſinebat, edocuit. Erat enim præfatus Gervoldus, quanquam aliarum literarum non nimium gnarus, cantilenæ tamen artis peritus, vocisque ſuavitate ac excellentia non egenus.*

Sub hujus tempore bonæ recordationis Presbyter nomine Harduinus florebat, qui in cella clari martyris Saturnini, quam Beatus Wandregiſilus ædificaverat, ob gratiam vitæ contemplativæ remotior degens, quæ ſita in latere montis plagæ Aquilonaris præfatum cœnobium ſpectat, plurimos Arithmeticæ artis diſciplina alumnos imbuit, ac arte ſcriptoriæ erudivit. Erat enim in hac arte non mediocriter doctus. Unde plurima Eccleſiæ noſtræ proprio ſudore conſcripta reliquit volumina. Id eſt, volumen quatuor Evangeliorum Romana litera ſcriptum, Epiſtolarum Beati Pauli Apoſtoli volumen unum,

unum, Sacramentaria volumina tria, Lectionarium volumen unum: item lectionum Evangelii volumen unum, homiliarum quadraginta Gregorii Papæ volumen unum, librum de Arithmetica, cum epistolis de ratione Paschali, volumen unum, librum unum Beati Augustini de civitate Dei ab undecimo ad decimum octavum, volumen unum, librum venerabilis Bedæ de naturis rerum ac temporibus, volumen unum, Psalterium cum Canticis ac Hymnis Ambrosianis, & terminis Paschalibus, volumen unum, librum vitarum Sanctorum Wandregisili, Ansberti & Wlfranni, Confessorum Christi, volumen unum, quæstionum Sancti Ansberti ad Hinnium reclausum volumen unum, Antiphonarum Romanæ Ecclesiæ volumen unum. Quinam autem ex hac Schola limati prodierint, aut quamdiu illa subſtiterit, me latet.

CAPUT VII.

Schola Lugdunensis.

TUronis Lugdunum veniamus, & Leidradum adeamus Antiſtitem, qui Lugdunenſi Scholæ atteſtetur in epiſtola ad Carolum Imperatorem: *Denique postquam secundum jussionem vestram sæpedictam Ecclesiam suscepi juxta vires parvitatis meæ, omni industria egi, ut Clericos officiales potuissem sicut jam Deo favente ex magna parte mihi habere videor; & ideo officio vestræ pietatis placuit, ut ad petitionem meam mihi concederetis redditus, qui ab antiquo fuerant de Lugdunensi Ecclesia, per*

quam Deo juvante, & mercede vestra annuente, in Lugdunensi Ecclesia est ordo psallendi instauratus, ut juxta vires nostras secundum ritum sacri Palatii omni ex parte agi videatur quicquid ad divinum persolvendum officium ordo exposcit. Nam habeo Scholas cantorum, ex quibus plerique ita sunt eruditi, ut alios etiam erudire possint. Præter hæc vero habeo Scholas Lectorum, non solum qui officiorum lectionibus exercentur, sed etiam in divinorum librorum meditatione spiritalis intelligentiæ fructus consequantur: de quibus nonnulli de libro Evangeliorum sensum spiritalem cum ex parte adipisci possunt: plerique vero librum Prophetarum secundum spiritualem intelligentiam adepti sunt. Similiter libros Salomonis, vel libros Psalmorum, atque etiam Job. In libris quoque conscribendis in eadem Ecclesia in quantum potui, elaboravi. Ecce tibi Lugdunensis Schola, in qua quicquid cum ad ritus Ecclesiasticos, tum ad Theologiam spectat, apprime traditur. Hanc vero Scholam fuisse nobilissimam, testes sunt Florus, Agobardus, Amulo, Remigius, scriptis illustres, & alii, qui Carolo Magno, Ludovico Pio, Lothario & Carolo Imperatoribus in ea claruerunt.

Neque hoc solum tempore, sed etiam annis consequentibus hæc Schola nominis splendorem retinuit. Sic enim Odilo in vita Sancti Majoli scribit: *Juvenili jam imminente ætate altiora & potiora in divinis, acriora in humanis studiis, & graviora non distulit attentare, & ideo per utramque exercitatus doctrinam non timuit accedere Lugdunen-*

nensem ad aram: deinde apud hanc urbem Philosophiæ nutricem & matrem; & quæ totius Galliæ ex antiquo more & Ecclesiastico jure non immerito retinet arcem; Antonium, eruditum virum & prudentem in liberalibus studiis habere voluit præceptorem. Idem tradit anonymus auctor Divionensis, cujus fragmentum editum habetur in Historia Reomaensis monasterii cap. 2. *Majolus peritorum sermonibus inhiabat, cordisque gazophylacium magistrorum sententiis adimplebat. Unde factum est, ut literarum discendarum desiderio instigatus, audita cujusdam Antonii opinione, qui magnæ deditus Philosophiæ Lugdunenses regebat Scholas, illuc gressum dirigeret, formaque discipuli assumpta, præsidentis magisterio se devotus committeret.*

Postremo ad annum 1290. vigebat adhuc Lugdunensis Schola in iis literarum studiis, quæ ad Jus Canonicum & Civile pertinent. Huic rei fidem præbet quorundam arbitrorum sententia, quæ super quadam Archiepiscopi & Capituli lite intervenit: *Item cum inveniremus discordiam esse inter Archiepiscopum & Capitulum supradictos super danda licentia Doctoribus legere volentibus in civitate Lugduni in Jure Canonico & Civili, prædictam definivimus discordiam.* Hæc autem sententia extat in tabulario Sancti Germani Pratensis ad Lutetiam. Hactenus de Lugdunensi Schola, quæ annos, ut apparet, bene multos duravit.

Ceterum Imperiale Palatium a Leidrado sacrum appellatur, ut olim Principum constitutiones sa-

cræ appellantur in Conciliis, & maxime coluntur. Appellatio hæc ævi progreſſione tranſivit ad Romanæ Eccleſiæ Palatium, cui qui præſidet, Magiſter ſacri Palatii vocatur; & hujus Scholam regebat olim, ſeque eam ſuo in libros Sententiarum commentario Avenione rexiſſe, teſtatur Durandus Pariſienſis ex Ordine Prædicatorum Theologus, qui ad Anicienſem provectus eſt Eccleſiam, & ex Anicienſi poſtea ad Meldenſem translatus.

CAPUT VIII.

Schola Fuldenſis.

FUldenſis monaſterii, quo nullum fuit in Germania celebrius, Schola quin originem & decus ſuum repetat a Baugulfo Abbate dubitari non poteſt. Huic enim pro inſtaurandis literarum ſtudiis Carolus Magnus ſcripſit epiſtolam, quam cap. 1. integram dedimus. Ægilis Abbas, qui poſt Ratgarium Fuldæ præfuit, hujus Scholæ exercitationes recte confirmat, *in monaſterio Scholam eſſe* ſcribens, ubi *lex divina jugi exercitatione diſceretur & doceretur:* deinde in his verſibus:

Abbatis poſthac ſubductus in æde,
Hinc puer imberbis Scholæ defertur in arcem,
Lex æterna Dei ſemper, qua munere Chriſti
Diſcitur a pueris, ſeniorumque ore docetur.

Lupus Ferrarienſis Abbas luculentum huic Scholæ perhibet teſtimonium in epiſt. 1. ad Eginhardum, ubi de ſe ſic ſcribit: *Quare cum & ante pro-*

propter opinionem vestram, quam sapiente viro dignam imbiberam, tum præcipue propter expertam mihi libri illius facundiam, desideravi deinceps aliquam nancisci opportunitatem, ut vos præsentes alloqui possem, ut quemadmodum vos meæ parvitati vestra tum probitas, tum sapientia fecerat claros, ita me vestræ sublimitati meus etiam erga vos amor, & erga disciplinas studium commendaret. Neque vero id optare desistam, quamvis ipse incolumes in hac vita vos esse cognovero, quod posse contingere, hoc magis in spem ducor, quo ex Gallia huc in Transrhenanam concedens regionem, vobis vicinior factus sum. Nam a præfato Episcopo ad venerabilem Rabanum directus sum, uti ab eo ingressum caperem divinarum Scripturarum.

Hujus Scholæ dignitatem ita depingit Joannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi: *Viguit igitur eo tempore in monasterio Fuldensi maxima religio Monachorum sub regimine Rabani Mauri Abbatis, quæ se per totam Europam fama pervolitante diffuderat in ora omnium: eratque laus & memoria Fuldensium Monachorum apud Imperatores, Reges & Principes in magno pretio, non solum propter sanctitatem vitæ, sed etiam propter incomparabilem scientiam literarum, qua Fuldenses Monachi eo tempore præ ceteris multis dicebantur eruditi: unde multi ex eis in diversis Ecclesiis ad apicem Pontificatus fuerunt assumpti.* Idem Trithemius persequitur in Strabo: *Strabus Monachus Fuldensis, natione Teutonicus, Rabani scriba, notarius & discipulus, vir certe ipse undequaque do-*

ctissimus, qui divinarum Scripturarum sensa norat, bono explanante magistro, literis & divinis & humanis ad plenum instructus Theologus, Philosophus & Poeta celeberrimus, ingenio juxta linguaeque facundia promptus.

Rabano, cum factus est Abbas, in Schola successit Strabus discipulus: qua de re sic Trithemius in eodem Chronico: *Rabano in Abbatem sublimato, ejus discipulus Strabus Scholae publicae praelatus est, qui Gerungum tunc adolescentem Rabano praecipiente singulari dilectione prosecutus est. Mos erat in Fuldensi coenobio his temporibus Monachos non solum in Scripturis sanctis instituere, sed etiam in omni saecularis scientiae literatura ad plenum erudire; probe enim judicabant sapientissimi viri, divinas Scripturas neminem posse intelligere, quem literas saecularis doctrinae contigisset ignorare.*

Haec quidem recte, sed rectius adhuc & ordinatius in vita Rabani describuntur ab eodem Trithemio: *Ratgarius memorabilis Abbas utilitati cupiens consulere plurimorum, de fratrum suorum consilio Scholam in monasterio Fuldensi publicam instituit, cujus magisterium Rabano commendavit. Anno itaque Dominicae Nativitatis 813. Indictione Romanorum sexta, Rabanus annorum 25. monasterii Monachorum Scholae praeficitur, & eum docendi modum, quem ab Albino nunc didicerat, etiam apud Fuldenses Monachos inviolabilem servare jubetur. Qui mox ut docendi subivit officium, per omnia curavit Albinum sequi & imitari magistrum, ut juniores videlicet Monachos primum doceret in Grammati-*

maticis, & cum apti viderentur ad majora, gravioribus etiam firmarentur institutis. Cumque novæ hujus institutionis apud Germanos fama transiisset in publicum, plures cœnobiorum Prælati eam docendi formam laudantes, alii Monachos suos ad Fuldam miserunt, sub Rabani ferula sacris imbuendos studiis: alii vero Scholas erexerunt in monasteriis propriis, quibus præceptores de præfato cœnobio doctiores quosque præfecerunt. Sed in tempore brevi valde crevit numerus discipulorum Rabani docentis, & per totam Germaniam & Galliam eruditionis & sanctitatis ejus veneranda opinio se diffudit. Unde factum est, quod non solum Abbates Monachos, sed etiam nobiles terræ filios suos Rabani docendos magisterio subdiderint. Quos ille, ut erat mansuetissimus, omnes summa cum diligentia informabat, prout uniuscujusque vel ætas, vel ingenium permittebat, alios in Grammaticis, alios vero in Rhetoricis, atque alios in altaribus divinæ atque humanæ Philosophiæ scripturis, sine invidia communicans, quod singuli ab eo postulassent; omnes vero, quos in auditorium suum docendos admisit, non solum prosa, sed etiam carmine quicquid occurrisset, scribere informavit, multos insignes doctos atque sapientissimos auditores habuit. Et post alia: *Strabus Monachus Fuldensis, patria Francus Orientalis, qui magistro in regimine Scholarum Fuldæ successit, vir in omni plenitudine scripturarum doctissimus.* Hic verbis non opus est aliis, quæ Fuldensis Scholæ majestatem clarius repræsentent. Et certe Rabanus & Strabus Doctores sunt duo, qui tunc in omni disci-

difciplinarum genere palmam ceteris præripuiſſe viſi ſunt. Quæ vero Trithemius de Rabano dicit, non ex ſeipſo dicit, ſed ex Meginfredo, qui ex monimentis certiſſimis Rabani vitam compoſuerat.

CAPUT IX.

Schola Oſnaburgenſis.

SI Albertus Crantzius verum memoriæ prodit lib. 1. Metropolis cap. 2. Carolus Magnus Oſnaburgenſi Scholæ initium dedit: de qua ſic loquitur: *Cumque hanc inſignem Eccleſiam Oſnaburgenſem moliretur, uſuvenit Carolo Magno, ut multo mercaretur habuiſſe tum ſe viros linguæ Græcæ gnaros, quos opponeret legationi, quæ ei tunc venerat ex Conſtantinopoli ab Irene Regina, & Nicephoro Patricio, qui tum Orientis Imperium occupabat. Admonitus autem ea re Carolus dedit privilegium novæ Eccleſiæ, ut utriusque ibi linguæ Scholæ haberentur, præeſſentque Doctores viri inſignes. Sed novitas Chriſtianiſmi & populo nec dum bene formato, & crebræ Saxonum ac diuturnæ rebelliones hoc inſtitutum interceperunt.* Et paulo poſt, ex privilegio Caroli: *Et ea de cauſa ſtatuimus, quod in eodem loco Græcas & Latinas Scholas in perpetuum manere ordinavimus, nec unquam Clericos utriusque linguæ gnaros deeſſe confidimus. Datum 13. Calendas Januarii, anno 4. imperii noſtri, 37. regni noſtri in Francia, atque 31. in Italia. Actum Aquisgrani in Palatio.* Hanc vero Scholam, quia ſplendorem

dorem nullum, vel pene nullum ævi progressione prosecuta est, prætermisissem, nisi Carolum habuisset auctorem, cujus gloriæ detrahendum nihil esse puto. Quamquam non valde repugnarem ei, qui quæ de hac Schola tradit Crantzius, in dubium vocaret. Is enim est historicus paullo recentior, qui de rebus antiquis sine antiquioris testimonio scribit. Si tamen germanum est Caroli privilegium quod laudat, sicut germanum esse apparet, illud vetustioris testis loco haberi & debet & potest. Quidquid id est, Sebastianus Munsterus erectæ a Carolo Scholæ fautor & approbator accedit in libro 3. Cosmog. cap. 457.

CAPUT X.

Schola Metensis.

CElebris fuit hæc Schola, quo tempore Drogo Caroli Magni filius Metensem Ecclesiam administravit. Id alia probare possent; sed sufficiet Ludovicus Imperator, Drogonis frater, qui filium suum Pipinum Drogoni Metensi jam Episcopo erudiendum tradidit, ut auctor est Regino Abbas in libro 2. Chronicorum ad annum 853. *Carolus Pipinum Regem Aquitaniæ nepotem suum, ipsis eum prodentibus, eo quod pace soluta eadem provincia a suis indigenis devastaretur, & multa illic mala impune patrarentur, cepit, & captum cum consilio Episcoporum & procerum attondit, & habitu monachico indutum Suessionis in monasterium S. Medardi misit. Inde duobus Monachis consentientibus,*

bus, simul & opem ferentibus, fuga dilapsus est. Sed iterum captus in insula Nectis, castro munitissimo custodiæ mancipatur. Fuit vero iste Pipinus filius Pipini filii Ludovici Imperatoris, de quo ferunt, quod eum pater, videlicet Ludovicus Imperator, dum adhuc puerilis esset ætatis, voluerit ad clericatus officium promovere, ac Drogoni Episcopo Metensi, avunculo videlicet suo commendare erudiendum liberalibus simul & Ecclesiasticis disciplinis. Tunc ergo in hac urbe viguerunt & liberales artes, & Ecclesiasticæ disciplinæ, quibus puerilis ætas ad omne officii genus informaretur. Ego autem facile crederem, Chrodegandum, Metensem Episcopum, qui tempore Caroli Martelli floruit, hujus Scholæ fundamenta jecisse. Quod uti credam, faciunt hæc verba, quæ de Chrodegando habentur tom. 2. historiæ Francorum: *Jam hinc vir egregius & omnibus præconiis efferendus Chrodegandus Antistes eligitur, ex pago Hasbaniensi oriundus, patre Sigrammo, matre Landrada, ex genere primæ nobilitatis progenitus. Hic in Palatio majoris Caroli ab ipso enutritus, ejusdemque Referendarius extitit, ac demum Pipini Regis temporibus Pontificale decus promeruit. Fuit autem omnino clarissimus, omnique nobilitate coruscus, forma decorus, eloquio facundissimus, tam patrio, quam etiam Latino sermone imbutus. Servorum Dei nutritor, orphanorum, viduarumque non solum altor, sed & clementissimus tutor. Cumque esset in omnibus locuples, a Pipino Rege, omnique Francorum cœtu singulariter electus Romam directus est, Stephanumque venerabilem*

bilem Papam, ut cunctorum vota anhelabant, ad Gallias evocavit. Hic clerum adunavit, & ad instar cœnobii intra claustrorum septa conversari fecit, normamque eis instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent, quibus annonas vitæque subsidia sufficienter largitus est, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodo officiis excubarent. Ipsumque clerum abundanter lege divina, Romanaque imbutum cantilena, morem atque ordinem Romanæ Ecclesiæ servare præcepit. Quod usque ad id tempus in Metensi Ecclesia factum minime fuit. Hæc ex antiquis Galliæ Scriptoribus, qui Chrodegandum apprime noverant. Verum hæc Schola magistros non habuit, quibus ad longum tempus duraret, sed iis deficientibus, famam existimationemque amisit.

CAPUT XI.

Ludovici Pii & Episcoporum opera & studium in instaurandis Scholis.

HActenus expedivimus, quæ ad Carolum Magnum spectare visa sunt; nunc imus expeditum, quæ de proposito argumenti genere sub Ludovico Caroli filio contigerunt. Prius tamen nosse oportet, post mortem Caroli literarum studium refrixisse nonnihil, ut quid debeatur Ludovico, certius agnoscamus. Quod autem de imminuto studiorum calore notamus, id Lupus Ferrariensis Abbas scribit in epistola I. ad Eginhardum: *Nunc,* inquit, *oneri sunt, qui aliquid discere affectant, & velut*

velut in edito sitos loco studiosos quoque imperiti vulgo affectantes, si quid in eis culpæ deprehenderint, id non humano vitio, sed qualitati disciplinarum affectant. Id dum alii dignam sapientiæ palmam non capiunt, alii famam verentur indignam, a tam præclaro opere destiterunt. Mihi satis apparet propter seipsam appetenda sapientia, cui indagandæ a sancto Metropolitano Episcopo Aldrico delegatus, doctorem Grammaticæ sortitus sum, præceptaque ab eo artis accepi. Sic quoniam à Grammatica ad Rhetoricam, & deinceps ordine ad ceteras disciplinas transire hoc tempore fabula est.

Ergo Ludovicum curasse, ut Scholæ fierent publicæ, duo demonstrant. Secundum imprimis capitulare, quod anno 823. ediderat, cap. 5. *Scholas sane ad filios & ministros Ecclesiæ instruendos, vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi nec dum perfectum est, a vobis ordinari non negligant.* Sic alternata temporum serie, & conjunctis operis Ludovicus Imperator, & Episcopi satagunt, ut quod pridem secundiore cursu Carolus Magnus inceperat, felici tandem exitu bearent.

Deinde Parisiense Concilium sextum, quòd anno 829. celebratum est, in lib. 3. cap. 12. *Similiter obnixe ac suppliciter vestræ celsitudini suggerimus, ut morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis Imperii vestri locis Scholæ publicæ ex vestra auctoritate fiant, ut labor patris vestri & vester per incuriam, quod absit, labefactando non*

depe-

depereat, quoniam ex hoc facto & magna utilitas, & honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & vobis magnum mercedis emolumentum & memoria sempiterna accrescet. Concilium igitur Imperatori Ludovico paternam in erigendis Scholis operam proponit. Sed an per diversas rerum vicissitudines Ludovico licuerit id efficere, quod proponitur, incertum. Quis enim in se reciperet vel affirmare, quod Ludovicus in tribus Imperii sedibus publicas Scholas instituerit, vel tres Imperii nominare sedes, in quibus instituerit?

Ad Episcopos autem quod attinet, quam in instaurandis Scholis operam adhibuerint, Aquisgranense Concilium declarat anno 816. cap. 135. *Solerter rectores Ecclesiarum vigilare oportet, ut pueri & adolescentes, qui in congregatione sibi commissa nutriuntur, vel erudiuntur, ita jugibus Ecclesiasticis disciplinis constringantur, ut eorum lasciva ætas, & ad peccandum valde proclivis nullum possit reperire locum, quo in peccati facinus proruat. Quapropter in hujuscemodi custodiendis & spiritaliter erudiendis talis a Prælatis constituendus est vitæ probabilis frater, qui eorum curam summa gerat industria, eosque ita arctissime constringat, qualiter Ecclesiasticis disciplinis imbuti, & armis spiritalibus induti, & Ecclesiæ utilitatibus decenter parere, & ad gradus Ecclesiasticos quandoque digne possint promoveri.* Libuit præterea ob ædificationem congruam & instructionem negotii, de quo agitur, quandam sanctorum Patrum sententiam huic operi inserere, quæ ita se habet: *Prona est hominis*

 ætas

ætas ab adolescentia ad malum, nihil incertius, quam vita adolescentium: ob hoc constituendum oportuit, ut si quis in clero puer est, aut adolescentes existant, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem & magistrum doctrinæ, & testem vitæ habeant, &c. His ita præmissis, oportet, ut probatissimo seniori pueri ad custodiendum deputentur. Frater vero cui hæc cura committitur, si eorum curam parvipenderit, & aliud quam oportet, docuerit, aut eis in aliquo cujuslibet læsionis maculam ingesserit, severissime correptus ab officio amoveatur, & fratri alii id committatur, qui eos & innocentis vitæ exemplis informet, & ad opus bonum peragendum excitet. Sic Episcopi Scholas & Scholarum magistros instituunt, & eo disciplinarum genere informant, quod vitiis aditum intercludat omnem, & ad scientiam, morumque probitatem deducat.

CAPUT XII.

Caroli Calvi & Episcoporum opera & studium in instaurandis Scholis & scientiis.

HEricus Autissiodorensis Monachus præsto est, qui Caroli Calvi diligentiam & studium in excitandis Scholis certissime testetur in præfatione ad libros, quos de vita Sancti Germani Carolo post adeptum Imperium inscripsit. *Multa sunt*, inquit, *tuæ monumenta clementiæ, multa symbola* pie-

pietatis; illud vel maxime tibi æternam parat memoriam, quod famatissimi avi tui Caroli studium erga immortales disciplinas non modo ex æquo repræsentas, verum etiam incomparabili fervore transcendis, dum quod ille sopitis eduxit cineribus, tu fomento multiplici, tum beneficiorum, tum auctoritatis usquequaque provehis, immo ut sublimibus sublimia conferam, ad sydera perurges: ita tua tempestate ingenia hominum duplici nituntur adminiculo, dum ad sapientiæ abdita persequenda omnes quidem exemplo allicis, quosdam vero etiam præmiis invitas. Huc accedit illud veritatis inexpugnabile argumentum, quo se tua singularis prudentia contra emergentes forte querimonias circumspecta satis ratione tuetur. Ne enim nostra inertia, quæ suam sponte amplectitur cæcitatem, velum sibi excusationis de ignorantia obduceret; neve de præceptorum inopia merito causaretur, ita tibi singulare studium effecisti, ut sicubi terrarum magistri florerent artium, quarum principalem operam Philosophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem undecumque tua celsitudo conduceret; comitas attraheret, dapsilitas provocaret. Luget hoc Græcia novis invidiæ aculeis lacessita, quam sui quondam incolæ jamdudum cum Asianis opibus aspernantur, tua potius magnanimitate delectati, studiis allecti, liberalitate confisi. Dolet, inquam, se olim singulariter mirabilem ac mirabiliter singularem a suis destitui; dolet certe sua illa privilegia, quod nunquam hactenus verita est, ad climata nostra transferri. Quid Hiberniam memorem contempto

D 2 *pela-*

pelagi discrimine pene totam cum grege Philosopho-rum ad litora nostra migrantem? quorum quisque peritior est, ultro sibi indicit exilium, ut Salomoni sapientissimo famuletur ad votum. Itaque, Cæsar invictissime, pene est, ut universus mundus novas in te struat controversias, novis adversum te declamationibus invehatur, qui dum te tuosque ornamentis sapientiæ illustrare contendis, cunctarum fere gentium Scholas & studia sustulisti: sublatis enim præceptoribus consine & consequens est, facile omnium ingenia otio congelasse. Ita namque spretis ceteris; in eam mundi partem, quam tua potestas complectitur, universa optimarum artium studia confluxerant, ut verisimile habeam jamdudum eas humanæ perosas inertiæ terris penitus excessisse, nisi tuæ integritatis amplitudine tenerentur, in qua etiam unicum suæ professionis culmen ac fastigium, ut palam eminet, mirabiliter collocarunt. Hinc est, quod cum sit perantiqua sententia, silere leges inter arma; hæ tamen tam belli, quam pacis tempore apud te plurimum semper obtinent dignitatis: ita ut merito vocitetur Schola Palatium, cujus apex non minus scholaribus, quam militaribus consuescit disciplinis. Quicquid literæ possunt, quicquid assequuntur ingenia, tibi debent, tibi, inquam, qui natus ad agendum semper aliquid dignum viro, cum virtute præcellis, tum etiam sapientia refulges. In his autem verbis alia sunt, quibus Carolus Calvus commendatur plurimum; alia, quibus dispunctæ cap. II. fabularum rationes potuerunt inniti. Cum omnia fere, tum hæc quoque ad singularem Ca-

roli

roli commendationem faciunt: *Illud vel maxime tibi æternam parat memoriam, quod famatiſſimi avi tui Caroli ſtudium erga immortales diſciplinas non modo ex æquo repræſentas, verum etiam incomparabili fervore tranſcendis, dum quod ille ſopitis eduxit cineribus, tu fomento multiplici, tum beneficiorum, tum auctoritatis usquequaque provehis. Deinde id tibi ſingulare effeciſti ſtudium, ut ſicubi terrarum magiſtri florerent artium, quarum principalem operam Philoſophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem undecumque tua celſitudo conduceret, comitas attraheret, dapſilitas provocaret.* Quæ vero pertinent ad occaſionem fingendi quicquid cap. 2. jam diſpunximus, hæc videntur præcipua, ubi celeberrimos quosque artium magiſtros cum ex aliis regionibus, tum ex Hibernia in Galliam evocaſſe Carolus Calvus prædicatur. Quod enim fuit huic Carolo proprium, id fabulatores in Carolum Magnum transtulerunt, & vera falſis immiſcentes corpus fabulæ, quod cap. 2. deſtruximus, condiderunt.

Hæc de ſtudio & opera Caroli Calvi in ædificandis Scholis. Nunc veniendum eſt ad Epiſcopos, qui tribus in Conciliis luculentum ſuæ erga literas & Theologiam diligentiæ & pietatis teſtimonium reliquerunt.

Primum Concilium eſt Meldenſe, quod anno 845. habitum eſt, Can. 35. *Ut quisquis Epiſcopus talem juxta ſe pro viribus habere decertet, qui juxta ſinceriſſimum & puriſſimum ſenſum Catholicorum Patrum, de fide & obſervatione mandatorum Dei,*

ſeu & prædicationis doctrina Presbyteros plebium aſſidue inſtruat & informet, ne domus Dei vivi, quæ eſt Eccleſia, ſine lucerna verbi divini remaneat. Sed & idem talis exiſtat, quem amor pecuniæ non vexet, aut reprobi mores & converſatio reprehenſibilis periculoſe devaſtet.

Alterum Concilium anno 855. Can. 18. *Ut de Scholis tam divinæ, quam humanæ literaturæ, nec non & Eccleſiaſticæ cantilenæ juxta exemplum prædeceſſorum noſtrorum aliquid inter nos tractetur, & ſi fieri poteſt, ſtatuatur & ordinetur, quia ex hujus ſtudii longa intermiſſione pleraque Eccleſiarum Dei loca & ignorantia fidei, & totius ſcientiæ inopia invaſit.*

Tertium Concilium illud, quod apud Saponarias anno 859. celebratum eſt, Can. 10. *Ut Scholæ ſanctarum Scripturarum, & humanæ quoque literaturæ, unde annis præcedentibus per religioſorum Imperatorum ſtudium magna illuminatio Eccleſiæ, & eruditionis utilitas proceſſit, deprecandi ſunt pii Principes noſtri, & omnes fratres & Coepiſcopi noſtri inſtantiſſime commonendi, ut ubicunque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id eſt, fideliter & veraciter intelligentes donare dignetur. conſtituantur undique Scholæ publicæ, ſcilicet, ut utriusque eruditionis, & divinæ ſcilicet & humanæ in Eccleſia Dei fructus valeat accreſcere. quia, quod nimis dolendum eſt, & perniciosum maxime, divinæ Scripturæ verax & fidelis intelligentia jam ita dilabitur, ut vix ejus extrema veſtigia reperiantur. Et idcirco ingenti cura & ſtudio remedium procurandum*

dum est. Hæc palam loquuntur mutuam Imperatorum & Episcoporum operam in instaurandis Scholis, ubi & optimarum artium studia & Theologia docerentur.

An autem quod utrique fieri voluerint, ea factum sit ratione, qua voluerint, non sine causa quis ambigeret. Mihi enim memoriam temporum replicanti non occurrit, *undique*, per multis scilicet in locis, Scholas erectas fuisse publicas, vel erectas ad longum tempus durasse. Nos autem quod annalium memoria suggeret, proximis capitibus exequemur.

CAPUT XIII.

Schola Romana extra muros Urbis.

MUltis profecto æquivalent pauca illa, quibus hoc tempore Schola Romana extra muros Urbis in conspectum venit. Hæc autem tradit Anastasius in vita Leonis IV. *Hic primum a parentibus ob studia literarum in monasterium Beati Martini Confessoris Christi, quod foris muros hujus civitatis Romanæ juxta Ecclesiam Beati Petri Apostoli situm est, quousque literas sacras plenius disceret, sponte concessit.* Ex quibus primum apparet, celebrem hanc fuisse Scholam ante annum 847. quo Leo IV. Pontificatum inivit: deinde, ut alios plures auditores non habuerit, quod fieri vix potuit, hanc Scholam eo satis inclaruisse discipulo, qui ad Apostolicæ dignitatis culmen evasit, quique multas res memoria dignas gessit.

CAPUT XIV.

Schola S. Germani Autissiodorensis.

HAnc Scholam* reddidit illustrem Lotharius Caroli Calvi filius, qui in monasterio Sancti Germani Autissiodorensis educatus est. Qua de re sic Hericus ejusdem monasterii Monachus in epistola ad Carolum Calvum, vitæ Sancti Germani præfixa: *Quicquid igitur literæ possunt, quicquid assequuntur ingenia, tibi debent, tibi, inquam, qui natus ad agendum semper aliquid dignum viro, cum virtute præcellis, tum etiam sapientia refulges. Quorsum ista protulerim, illud causa est, divæ memoriæ Lotharium, tuæ filium majestatis, annis puerum, mente Philosophum (ingenue confiteor) animi indole, & solertiæ opibus, ut tibi uni concedam, præ ceteris sui ævi mortalibus extitisse pretiosum. Id quod tua dispositione & Deo devotus, & Beato Germano ad educandum fuerat commendatus, tantum devotionis in Sanctum, tantum ardoris in locum conceperat, ut vitam illius mors livida nobis merito invidisse putetur. Cumque esset divini puer ingenii, atque erga rerum notitiam summe studiosus, contigit eum in una dierum libri cujusdam abdita perscrutantem geminas epistolas offendisse. In altera earum sanctissimus Aunarius sextus post Beatum Germanum Autissiodori Episcopus, Stephanum Africanum Presbyterum, ut vitam ejusdem sanctissimi patris nostri Germani metrica ratione digereret, precibus ambiebat. In altera idem Stephanus præfato*

fato se pariturum Pontifici ex rescripto significabat. Quarum formam epistolarum hic quoque interseri optimum factu judicavi, ut ratio regiis auribus insinuanda omnem ambiguitatis scrupulum valeat eluctari. Et post relatas duas illas epistolas subdit: *His solicita lectione decursis, tandemque relatu assistentium hujusmodi opes penes nos nunquam & nusquam paruisse comperiens, multa animositate correptus, quod tantum opus frustra hominum notitiæ deperiisset, per dies aliquot internis animi angoribus carpebatur. Tandemque me, qui tum recens Scholis emerseram, convocato, dolorem aperit intestinum, utque ei, si qua possem ratione mederer, importunius contestatur, scilicet ut quod elaboratum quondam in præfatis epistolis legebat, iterarem, actusque Germani præstantissimos a prosa in metrum desideriis illius satisfacturus transfunderem. Expavi, fateor, negotium & supra vires esse reputans, quod imponebatur; quoad potui, colla subduxi. Objecta tandem regularis Capituli addicta, quod etiam impossibilia præcepta Abbatis minime refugienda præscribit, suscepi quidem, ut par erat, jubentis imperium, quamquam nulla virium conscientia. Verum ut institutio præmonet regularis, de caritate confidens, & de adjutorio Dei, obediens, vix primas operis partes attigeram, & heu! misera humanæ conditionis sorte Abbas ille meus propediem futurus in orbe terrarum mirabilis, teneros excedens artus, intempestiva sæculum morte deseruit. Hic casus tam lugubris, tam acerbus omnia mihi studia, omnes curas excusserat, nisi probabilis illa*

 sen-

sententia animo subvenisset, dolorem tempore minui, quodque diuturnitas ablatura esset, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos anteferre consilio prudentiaque debere. Hac cogitatione animum impuli, ut vivo morigeratus fueram, etiam mortuo obsequi, inque defuncti gratiam cœpto operi perfectionis pertinaciam admovere. Cum huic Scholæ Lotharius Caroli Imperatoris filius ad optimis instituendum disciplinis traditus est, eam in paucis fuisse nominatissimam facile crediderim. Hic Græcas literas perinde ac Latinas viguisse docent Herici opera, quæ supersunt. Auctor enim ex hac Schola politus Græcis hinc vocabulis, inde locutionibus libros non raro inspergit.

Hanc Scholam Wido Episcopus, a quo institutus est Hugo Heriberti Comitis filius, qui postea creatus est Laudunensis Episcopus, exornavit & rexit, ut Flodoardus narrat libro 4. cap. 28. *Hugo & Heribertus locuti cum quibusdam Lotharienfibus ad obsidionem Lauduni cum Wilhelmo proficiscuntur, relicto Remis Hugone Diacono Heriberti filio, jampridem ad Episcopatum ipsius urbis evocato, quique tertio postquam regressus est, mense Presbyter a Widone Suessionico Præsule ordinatus est, expletis postquam fuerat electus, annis quindecim, quos Autissiodori commorans egerat literarum studiis occupatus apud Widonem ipsius urbis Antistitem, a quo & Diaconus ordinatus fuerat.*

CAPUT

CAPUT XV.

Schola Corbeienſis in Gallia.

QUo tempore Ludovicus Pius regebat Imperium, eodem &Corbeienſem in Gallia Scholam plurimum floruiſſe comperimus. E veteribus monimentis nunc primum ſeſe offert Sancti Anſcharii vita, quæ ab æquali mandata literis nondum, quod ſciam, in lucem prodiit: *Referebat* (Anſcharius) *quod in tempore pueritiæ ſuæ, cum quinque annorum eſſet, mater ſua in Dei timore admodum religioſa defuncta fuit, ac non multo poſt tempore ipſum pater ſuus cauſa diſcendi literas ad Scholam miſerit.* Et poſt alia: *Poſt hæc vero cum magiſter fuiſſet Scholæ, ad Sanctum Petrum eundo, vel redeundo ad clauſtrum, conſuetudinem ſibi faciebat in oratorio Joannis Baptiſtæ precibus ſecretius inſiſtere.* Et poſt alia: *Quo etiam tempore contigit, quod veſtræ reverentiæ notiſſimum eſt, ut quidam puerulus in Schola, Fulbertus nomine, a ſocio ſuo tabula percuſſus usque ad mortem perductus ſit: pro qua re prædictus ſervus Dei nimium triſtis effectus eſt, quod ſub cura magiſterii ſui tanta negligentia ſibi acciderit.* Et poſt alia: *Hoc autem tam celerius in hora mortis ejus ei demonſtratum eſt, ita ut dum in his adhuc moraretur, venerandus pater Wichmarus, qui cum eo Scholam puerorum regebat, & hujus rei teſtis præſens adeſt, &c.* His ex verbis perſpicue conſtat, & ante tempus Anſcharii inſtitutam fuiſſe Corbeiæ Scholam, & eam tempore Anſcharii magiſtros ha-

habuiſſe ſaltem duos, a quibus regeretur, Anſcharium ipſum, & Wichmarum.

In hac porro Schola certum eſt, ut didiciſſe literas, ſic & docuiſſe Paſchaſium Radbertum, Ratramnum & Odonem, Monachos tres celeberrimos, quorum primus editis in quosdam ſcripturæ libros commentariis, & peculiari de Euchariſtia lucubratione magnam apud poſteros laudem eſt conſecutus; alter edidit nonnulla opuſcula, & inter ea reſponſionem ad objectas a Photio RomanæEccleſiæ calumnias: quæ omnia juris publici facta ſunt; tertius propter ſingularem eruditionem vitæque integritatem creatus eſt Bellovacenſis Epiſcopus. Præterea Corbeienſe monaſterium cum ad hoc usque tempus plenam manuſcriptis probiſſimæ notæ codicibus Bibliothecam aſſervaverit, in eo qui optimarum artium ſtudia percolerent, fuiſſe quondam neceſſe eſt. Sed ad Corbeienſis Scholæ gloriam accedit, quod eos aluerit docueritque, qui Corbeienſem in Saxonia Scholam ædificaverunt.

CAPUT XVI.

Schola Hirſaugienſis.

PRimam Hirſaugienſis Scholæ originem & progreſſionem accurate deſcribit Joannes Trithemius, qui loci hujus Chronicum ſcribendo executus eſt. Ea tantum mihi referenda ſunt, quæ & in vita Rabani, & in Hirſaugienſi Chronico de hac Schola, ejusque præceptoribus tradit. Primum qui-

quidem hæc in vita Rabani: *Hildolfus Monachus Fuldensis, patria Francus Orientalis, & primus apud S. Aurelium Hirsaugiæ Scholarum magister, homo integerrimæ conversationis & doctrinæ, qui & ipse multa utilia conscripsit. Ruthardus Monachus Fuldensis, & secundus apud Hirsaugiam Scholasticus post mortem Hildolfi, qui cum esset doctissimus, plura composuit.* Hæc vero in Chronico: *Ruthardus Monachus hujus cœnobii Hirsaugiensis, unus ex primis missis a Fulda, Rabani & Strabi Monachorum quondam auditor ac discipulus, vir undecumque doctissimus, metro excellens & prosa, inter scriptores hujus tempestatis celeberrimi nominis fuit. Qui, ut scribit Meginfredus Monachus Fuldensis in Chronico, vir in omni scientia & sanctitate conspicuus, tantæ fuit eruditionis & probitatis, ut cum Ludovicus Imperator eum post mortem Haimonis Episcopi vellet in locum ejus Halverstadensis Ecclesiæ ordinare Pontificem, consentire noluit. Dicemus notabile verbum: Da Episcopatum alteri, qui sit idoneus. ego quietem vitæ regularis, & studium Scripturarum omnibus divitiis & honoribus mundi incomparabiliter duxi præferendum.* Et post alia: *Ipse primus in cœnobio Sancti Aurelii, ut Meginfredus testis est, Monachis divinas Scripturas & sæculares literas legere more Fuldensium cœpit. Tam vero eruditus in omni scientia fuit, ut non solum Monachi de aliis cœnobiis ad audiendum illum, sed etiam sæculares certatim confluerent.*

Idem anno 885. *His temporibus Scholæ Monacho-*

chorum in hoc cœnobio Sancti Aurelii præfuit post Ruthardum Richbodo discipulus ejus, Monachus ac Presbyter tam in divinis, quam in sæcularibus literis eruditissimus, qui, ut Meginfredus ait, inter Monachos sui temporis secundum non habuit.

Idem anno 889. *Anno Reginbodonis quarto, qui fuit octogesimus nonus, Indictione septima, moritur Richbodo Monachus hujus monasterii, qui Scholæ publicæ apud Sanctum Aurelium post Ruthardum magistrum annis ferme 24. præfuit, & in omni scientia discipulos bene instructos complures reliquit. Post quem Haderadus Monachus, natione Francus, docendi officium accipit, quod vix biennio implens in Abbatem assumptus est.*

Idem anno 890. *Post resignationem vero Reginbodonis sanctissimi viri convenientes in unum fratres unanimiter elegerunt in Abbatem Haderadum venerabilem Monachum, qui Scholis fratrum præfuit.* Et paulo post: *Tam vero studiosus in Scripturis fuit, ut post magistri sui Richbodonis venerandi decessum, in locum ejus subrogatus publicam Scholam Monachorum in hoc monasterio Sancti Aurelii strenue regeret: quod illo in tempore pro magno honore habebatur. Monachus enim ad hoc officium requirebatur doctissimus, non solum in Scripturis divinis, sed etiam in literis sæcularibus.* Et post alia: *Quod & Patres probe intelligentes, lectionem Scripturarum Monachis omnino voluerunt esse familiarem; hujus sanctæ consuetudinis amator Haderadus noster, de quo nobis est sermo, studium literarum adeo complexus est, ut brevi in*

omni

omni literatura tam sæculari, quam divina doctissimus evaserit. Qui postquam in Abbatem sublimatus est, Scholæ monasticæ præfecit condiscipulum olim suum Linthelmum doctissimum in omni scientia, Monachum natione Suevum, ex humilibus quidem, sed honestis parentibus natum, qui tantam in docendo Monachos diligentiam fecisse legitur, ut multos jam deinceps propter inæstimabilem scientiæ prærogativam ad diversa cœnobia Monachos Hirsaugiensis congregationis Abbates, & plerosque etiam Episcopos fieri contingeret.

Idem anno 921. *Hoc ipso anno Linthelmus Monachus & Scholasticus apud Sanctum Aurelium moritur, vir vita & eruditione clarissimus, multos post se doctissimos relinquens discipulos, quorum multi in diversis monasteriis sunt facti Abbates, & quidam etiam Episcopi.*

Idem anno 922. *His temporibus præfuit in hoc monasterio post Linthelmum Scholæ publicæ Monachorum Diethardus Monachus, vir in omni literatura tam divina, quam sæculari doctissimus.*

Idem anno 943. *Obiit Diethardus Monachus & Scholasticus hujus cœnobii, qui præfuerat Scholæ Monachorum publicæ annis 22. post Linthelmum, vir in omni scientia Scripturarum doctissimus, & non minus conversatione, quam doctrina insignis, cui in officio docendi successit Meginradus Monachus multum venerabilis, qui Linthelmi auditor in juventute fuerat. quo defuncto, sub Diethardo Monacho prædicto in omni scientia tam divina, quam sæculari valde profecit, & multos auditores post se doctissimos reliquit.* Idem

Idem anno 952. *Diethmarus Abbas sextus in Ordine locum hunc (*Hirsaugiam*) libris & reliquiis Sanctorum valde nobilitavit, & multis ornamentis decoravit. Magna multitudo Monachorum sub ejus regimine in hoc cœnobio claruit, quorum aliqui sanctitate vitæ fuerunt valde insignes: plures autem propter scientiam & doctrinam Scripturarum celeberrimi nominis habiti sunt. De diversis quoque nostri Ordinis per Germaniam monasteriis Monachi ad scientiam Scripturarum hauriendam huc mittebantur, quia talis eo tempore consuetudo in Ordine nostro servabatur, ut Monachi pro pleniori eruditione consequenda, si qui viderentur idonei, ad diversa monasteria instruendi mitterentur. In omnibus enim nostri Ordinis cœnobiis, in Germania & Gallia maxime, Monachorum Scholastici ex Monachis habebantur, qui juniores quosque & ingenio præstantes in primitivis literarum scientiis erudirent, & postea qui habiles inventi fuissent, ad altiora transmitterent. In solis autem famosioribus cœnobiis, quibus & abundantia rerum temporalium erat copiosior, & Monachorum numerus major, constituebantur ad officium docendi alios Monachi omnium doctissimi, & non solum in divinis, sed etiam in sæcularibus literis eruditi, ad quos ex inferioribus gradu cœnobiis mittebantur Monachi altioribus disciplinis instituendi. Quicunque vero inter eos majoris eruditionis famam in Ordine acquisierat, etiam plures ad se missos discipulos ad erudiendum Monachos habebat. Inter monasteria autem hunc morem studiorum habentia hoc tempore præ-*

præcipua fuerunt: monasterium Fuldense, Sancti Galli, Augiense, Hirsfeldense, nostrum Hirsaugiense, Sancti Albani, Moguntinense, Corbeiense, Prumiense, Mediolanense, Sancti Dionysii Parisiense, Sancti Maximini Trevirense, Remense, Autissiodorense, Turonense, Stabulense, & Winsenburgense: in quibus omnibus erant Monachi & multi & valde studiosi, e quorum collegio in singulis cœnobiis unus ceteris in scientia Scripturarum excellentior Scholasticus ponebatur. Abbates autem, qui Monachos habere cupiebant in omni scientia eruditos, ad diversa monasteria ex suis quosdam mittebant instituendos. Et post alia: *Dicthmarus autem felicis recordationis Abbas, de quo loquimur, sciens utilitatem scientiæ Scripturarum, Monachos suos summo annisu in omni doctrina literaria erudire statuit, & ob id magistrum ejus doctissimum Meginradum Monachum, de quo superius dictum est, Scholasticum præfecit. Ad cujus eruditionis famam Windichinus Monachus & Scholasticus Corbeiensis in Saxonia excitatus videre, audire & alloqui tantum virum desiderasse se dicit, quem & vidit, & supra quam dicere potuit, admiratus fuit. Hic etiam*, inquit postea anno 954. *in eo libello quem scripsit de studiis veterum, fatetur se fama Meginradi Scholastici, & Monachorum Sancti Aurelii incitatum venisse ad Hirsaugiam, & cum eis diebus multis habuisse colloquium, tantumque ibi vidisse studium & fervorem Monachorum ad scientiam Scripturarum, tanquam doctissimos reperisse viros, ut satis nequiverit admirari; ipsumque Meginra-*

 dum

dam Scholasticum præcipuis laudibus effert dicens, eum esse alterum Hieronymum, & nulli veterum in eruditione inferiorem.

Idem anno 967. *Hoc ipso anno Meginradus Monachus & Scholasticus hujus cœnobii eruditissimus in bona senectute moritur, vir, cui Hirsaugia in omni scientia Scripturarum vix parem habuit, qui in omni genere disciplinæ tam perfecte fuerit institutus.*

Idem anno 968. *Huic in regimine Scholæ monasticæ Reinhardus Monachus successit, vir quidem satis doctus, sed ad præceptoris sui mensuram non pervenit, neque tanto docendi fervore Monachos ea quæ novisset, agebatur, ut doctos post se discipulos relicturus speraretur. Fuerunt tamen ex institutione Meginradi Scholastici quamplures docti Monachi in præsenti cœnobio, e quibus unus nomine Eginardus in quadam Ecclesia Saxoniæ Episcopus factus est, Wernerus ad Sanctum Albanum Moguntiæ, Bernolphus ad monasterium Sancti Michaelis Abbates constituti sunt.* Hæc est series magistrorum Scholæ Hirsaugiensis, quæ in publicam variarum diœcesεων utilitatem diu multumque duravit. Sed tandem pereunte strictioris vitæ disciplina, ibi literarum studia perierunt.

CAPUT XVII.

Schola Sangallensis.

SAncti Galli, quam Hirsaugiæ Schola non minus antiqua fuit. Id manifeste testatur Ecker-har-

hardus in cap. 3. libri de vita Sancti Notkeri, qui sub Lothario Caroli Calvi Imperatoris filio, ex Abbate Sangallensi factus est Leodiensis Episcopus. Sic autem se res habet: *Cujus præfati parentes cum sæcularis vitæ nobilitate eleganter floridi pollerent, ab ipso matris utero filium suum Grammaticæ artis flagello subdere devoverant. Quia vero in monasterio Sancti Galli septem liberalium artium studium, & regularis vitæ rigorem vel disciplinam florere audierant, Spiritu sancto in tale desiderium inspirante, eundem locum virtutibus tanti viri ob meritum beati Patroni adornare monasterium, eum vitæ monasticæ ibidem subjicere proposuerunt.* Et post alia: *Quem etiam sub Archimandrita, qui tunc loco huic præerat, nomine Grimaldo, Abbate canonico admodum venerabili, & sanctitate honesto viro, regulariter domino & patre Gallo, cum oblatione deferentes, atque inibi sacræ institutionis gratia Spiritus sancti prælibata, coma capitis sub ejusdem Abbatis regimine deposita, magisterio Isonis omnium artium eruditissimo, & maxime divinarum Scripturarum peritissimo imbuendus traditur. Liberalis itaque disciplinæ bonæ indolis puer appositus tanto ingenio, quæque docte didicit, ut facile agnosceretur, non hoc humani studii esse capacitatem, sed divini Spiritus operationem.* Et post alia cap. 8. *Cum beati viri mens micis de magna mensa sanctæ Scripturæ cadentibus, saturatis cum sodalibus Raperto & Tutilone æque Monachis sub Isone magistro hoc in tempore literatissimo, artium liberalium subtilitates non pro gloria, seu favore*

E 2 sæcu-

ſæculi, ſed pro utilitate ſanctæ Dei Eccleſiæ admodum ſatis edocta eſſet, & in divinis non mediocriter prælibata adepta fuiſſet: tamen cupiens amplius imbui poſtulans in ſtudio nihil hæſitans Spiritus ſancti, qui eum ab infantia repleverat. Et poſt alia, ubi mentio incidit de quodam Marcello: *Hic erat* (Marcellus) *in divinis & humanis Scripturis eruditiſſimus, cujus doctrinis beati viri Notkeri ſitibundum cor refocillatum eſt.* Et poſt alia: *Traduntur poſt breve tempus Marcello Scholæ clauſtri cum Beato Notkero, Balbulo, & ceteris monachici habitus pueris. Exteriores vero, id eſt, canonicæ; Iſoni cum Salomone,& ejus comparibus. Marcello vero præſidente, mentes diſcipulorum Notkeri, Raperti,Tutilonis,aliorumque ſeptem liberalium artium ſcientia ad plenum imbuit.* Igitur Sancti Galli Schola magiſtros ante Notkerum duos habuit, Iſonem & Marcellum,qui liberales diſciplinas, & Theologiam Monachos, aliosque cum in clauſtro, tum extra clauſtrum docuerunt.

Quod autem Notkerus in hoc loco Scholæ Monachorum præfuerit,in Chronico Hirſaugienſi traditur his verbis, in ſexto Hirſaugienſis monaſterii Abbate: *Fuit eo tempore Monachus, nomine Hartmondus, qui poſt Notgerum Scholæ Monachorum apud Sanctum Gallum multis annis præſedit. Is cum gratiam docendi haberet ſingularem, Diethmarum puerulum cum aliis inſtituendum ſuſcipiens, brevi illum coævis reddidit doctiorem. Mortuo non poſt multos annos Hartmondo ſucceſſit in regimine literatoriæ inſtitutionis Adelardus Monachus val-*

valde doctus, qui Diethmarum & Helpericum singulari præditos ingenio, singulari quoque diligentia docebat. Diethmarus ergo in omni scientia Philosophiæ tam mundanæ, quam Ecclesiasticæ doctus evasit, non minus integritate monasticæ conversationis, quam eruditione literarum insignis: septennis in monasterio a parentibus traditus fuit. Quibus verbis tres habemus Sangallensis Studii præceptores, quorum alius alium excepit, Notkerum Hartmondus, Hartmondum Adelardus. Sed hic non ante manus de tabula tollenda est, quam observaverim ex eodem Chronico, Notkeri seu Notgeri discipulum fuisse Salomonem illum, qui ex Monacho Constantiensis factus est Episcopus: *Hujus Notgeri*, ait Trithemius ad annum 860. *discipulus fuit Salomon, ex Monacho Constantiensis postmodum Episcopus, qui & ipse nonnulla ingenii præclari monimenta posteris reliquit.*

Idem Trithemius in eodem Chronico Hirsaugiensi ad ann. 943. *Claruit iisdem temporibus in monasterio Sancti Galli, vir valde doctus in omni scientia bonarum artium Helpericus Monachus, Diethmari quondam discipulus, qui post mortem Adelhardi Monachi & Scholastici præceptoris sui, docendi officium in eodem monasterio nactus, multos præclaros discipulos in omni doctrina eruditos post se reliquit.*

Ad Sancti Galli Scholam pertinet Udalrici Augustensis Episcopi institutio, de qua sic Auctor incertus scribit in ejus vita, cap. I. *De præteritis ergo futura credentes tractaverunt, ubi vitam reli-*

giosissimam & docendi studiosissimam invenire potuissent, acceptoque consilio commendaverunt eum ad Sancti Galli monasterium, quia ibi nobilium Dei servorum multitudo & religiositas, discendi, docendique studium tunc temporis habebatur. Commendatus vero cuidam religioso viro Grammaticæ artis edocto, Waning nuncupato, a quo bene procuratus quotidianam religionis atque lectionis doctrinam accepit, & in intimis sui cordis inseruit, adeo ut paulatim fratres in eo doctrinæ fructificationem nimis proficere sentirent, & ob hoc eum in suæ fraternitatis consortium flagitando assumere conarentur.

Non alia memoriæ prodidit Berno in ejusdem Sancti Udalrici vita, cap. 2. *Videntes autem parentes ejus tantam Dei gratiam in eo fulgere, commendaverunt eum in monasterio Sancti Galli fratribus religiosis, ut eorum magisterio tam sæcularium literarum studiis, quam cælestibus instrueretur disciplinis, ubi inter egregios regularis vitæ magistros dulces carpebat quotidie fructus, cum verba quæ in sacris codicibus legebat, mox in opera vertebat.*

Ad annum 1050. perseverasse debuit Schola hujusce monasterii, cujus alumnum fuisse Hermannum Contractum Trithemius narrat in Chronico Hirsaugiensi: *His temporibus*, inquit anno 1047. *floruit in monasterio Sancti Galli Ordinis nostri in Suevia Hermannus, qui dicebatur Contractus, Monachus undecunque doctissimus, Græce, Latine & Arabice peritus, Philosophus, Rhetor, Astronomus,*

nomus, Poeta, Musicus, & Mathematicus omnium sui temporis celeberrimus, qui multa præclara volumina edidit. Hæc habui quæ de Schola S. Galli nunc adnotarem.

CAPUT XVIII.

Schola Corbeiensis apud Saxones.

Corbeiensis apud Saxones Schola monasterium fere ab initio celeberrimum effecit. Testis est Anscharius, qui ex hujus cœnobii Monacho primus Bremensium Archiepiscopus creatus est. Sic enim habetur in vita illius ab æquali scripta: *Ad hunc ergo locum* (novam Corbeiam) *Dei famulus* (Anscharius) *una cum aliis fratribus directus est, ut inibi officio fungeretur docendi. In quo ipse in ipsa re tam probabilis & acceptus est inventus, ut omnium electione publice in Ecclesia verbum Dei populis prædicaret. Itaque factum est, ut ejusdem loci primus & magister Scholæ, & doctor fieret populi.*

Testis deinde Reinbertus, de quo ita loquitur Joannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum 887. *Claruit*, inquit, *his temporibus Reinbertus ex Monacho Corbeiensis cœnobii in Saxonia Archiepiscopus Bremensis, vir in divinis Scripturis & secularibus literis doctissimus, qui Scholæ Monachorum publicæ multis annis in præfato monasterio gloriose docendo præfuit.*

Testis tertio Windichinus apud eundem Trithemium in eodem Chronico ad annum 954. *Claruit*

ruit his temporibus in Saxonia Windichinus Monachus Sancti Viti in Corbeia, vir in divinis Scripturis doctus, & in sæcularibus eruditissimus, qui multis annis in præfato monasterio Corbeiensi Scholæ Monachorum publicæ præfuit, & complures discipulos post se doctissimos reliquit, ex quibus multi ad Episcopatus & Abbatias diversas postea fuerunt assumpti.

Testis quarto Othericus, qui Windichino in regenda Corbeiæ Schola successit, ut idem Trithemius ad annum 980. tradit his verbis: *Quo mortuo,* (Adelberto primo Magdeburgensium Archiepiscopo) *electus fuit Othericus Monachus Corbeiensis, vir sanctus, & tam in divinis Scripturis, quam in sæcularibus literis eruditissimus, qui Scholæ monasticæ in præfato cœnobio post Windichinum aliquanto tempore præfuit.*

Testis quinto Algerus, de quo ita Trithemius ad annum 982. *Algerus Monachus Corbeiensis in Saxonia, & multis annis Scholasticus, ante conversionem sæcularium, & post conversionem Monachorum, vir tam in divinis Scripturis, quam in sæcularibus literis doctissimus.*

Testis sexto Ruthardus ejusdem cœnobii Monachus, qui, ut scribit Trithemius ad annum 1058. *Multo tempore Scholæ Monasticæ in Corbeia publice præfuit, & eruditos post se discipulos reliquit.*

Testis denique Bernardus ille, quem laudat idem auctor ad annum 1064. *Bernardus Corbeiensis Monachus nostri Ordinis in Saxonia claruit, vir in Scripturis tam divinis, quam sæcularibus admodum eru-*

eruditus, metro exercitatus & prosa, qui publicæ Scholæ Monachorum in eodem cœnobio multis annis præfuit, & discipulos complures post se doctos reliquit. Atque hæc satis de illustribus magistris hujus Scholæ, quam annorum plus minus ducentorum spatio floruisse constat.

CAPUT XIX.

Schola Prumiensis.

HÆc Schola splendorem suum repetit a duobus præsertim Monachis, qui Prumiense cœnobium cum magna & pietatis & eruditionis laude incoluerunt. Hi autem sunt Wandelbertus Diaconus, & Regino Abbas. De Reginone sic verba facit Trithemius in Catalogo virorum illustrium Germaniæ: *Regino Abbas Prumiensis monasterii, Ordinis divi patris Benedicti in diœcesi Treverorum, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularibus literis egregie doctus, ingenio subtilis, eloquio clarus, vita & conversatione devotus, facile inter doctores sui temporis obtinuit principatum.* Et post recensionem operum illius, quæ nota sunt, subjicit: *Claruit temporibus Arnoldi Imperatoris, anno Domini 910.* Regino antecessorem habuit Wandelbertum, qui Scholæ vel initium dedit, vel certe magnam gloriæ accessionem. Hunc idem Trithemius vocat virum tam in divinis Scripturis, quam in sæcularibus literis eruditissimum, Philosophum, Rhetorem & Poetam doctissimum. Quod & ex iis, quæ edidit, operibus apprime demonstra-

tur. Quare Trithemius in Hirsaugiensi Chronico Prumiense monasterium non sine causa iis accenset monasteriis, in quibus optimarum artium studia viguere: idque potissimum a tempore Lotharii & Ludovici, quibus Imperatoribus Wandelbertus in monasterio Prumiensi vixit.

CAPUT XX.

Schola Moguntinensis Sancti Albani Martyris.

AD annum 892. jam celebris erat Schola hæc, quemadmodum ex Trithemio discimus in Chronico Hirsaugiensi: *Claruit*, inquit, *circa hæc tempora apud Moguntiam in monasterio S. Albani Rupertus Monachus undecunque doctissimus, Græce & Latine peritus, qui Scholæ Monachorum in eodem loco publice præsidens, multa ingenii sui monimenta posteris reliquit.* Huic Ruperto fortasse successit Adelbero Hirsaugiæ Monachus, de quo ita Trithemius anno 910. in eodem Chronico: *Eodem anno Adelbero Monachus hujus cœnobii S. Aurelii Hirsaugiensis, discipulus Linthelmi, Scholasticus factus est in monasterio Sancti Albani prope Moguntiam, ubi magna tunc viguit multitudo Monachorum: quos cum gloriose in omni scientia Scripturarum tam sæcularium, quam divinarum instrueret, magnam eruditionis suæ famam apud omnes in circuitu homines acquisivit, qui post paucos annos per Archiepiscopum Herigerum Abbas Sancti Ferrucii factus est. Erat enim vir dignus hono-*

honore, non ſolum propter incomparabilis ſcientiæ doctrinam, qua præ ceteris multis fuit inſignis, ſed etiam propter prudentiam & vitæ omnimodam ſanctitatem. Quis autem in hac regenda Schola noſtrum Adelberonem exceperit, mihi incompertum eſt: literarum tamen ſtudia perſtiterunt usque ad ann. 1124. ut colligimus ex his Sponheimenſis Chronici verbis: *Anno Dominicæ Nativitatis 1124. Indict. Romanorum 2. die menſis Junii octavo, Bernhelmus I. hujus monaſterii* (Sponheimenſis) *Abbas inſtitutus eſt.* Et poſt alia: *Igitur Bernhelmus puer ingenio promptus & docilis imbuendus literis ad Scholas mittitur, & præceptores aſſecutus bonos, non ſolum in Scripturarum ſcientia probe inſtituitur, ſed moribus etiam optimis decoratur. In utroque valde profecit cum tempore, & virtutibus evaſit clarus ſimul & eruditione; quantumque ætatis augmento progreditur, tanto amplius ſcientia illuſtratur. Poſthæc nutu divino monaſterium S. Martyris Albani prope Moguntiam ingreditur, & coma depoſita, Monachum juxta regulam Ordinis profitetur. Qui cum adhuc juvenis eſſet, ac ſtudiis literarum ſatis idoneus, præcepto Abbatis magiſtro Scholarum inſtituendus ad altiora committitur, & cum ætate proficiens in omni varietate Scripturarum doctiſſimus habebatur. Unde proficientibus meritis, propter omnimodam ſcientiam Scripturarum, magiſter Scholarum in eodem monaſterio, tandem Presbyter factus, inſtitutus eſt, ipſumque docendi munus non ſecus ſcriptis, quam lectionibus quotidianis magnifice per annos decem adimplevit.*

Poſt

Post hanc ætatem cum defuerint Monachi, qui vel nollent, vel non possent Scholam Sancti Albani regere, fuit, qui ante religionis ingressum, Professoris in hoc monasterio personam sustinuerit. Hoc enim traditur in Hirsaugiæ Chronico ad annum 1174. *Cui* (Craftoni) *Adelgerus Monachus & custos monasterii mei* (Sponheimensis) *succedens, præfuit annis sex, mense uno ac diebus tantum tribus, qui ante religionis ingressum multo tempore Scholæ publicæ apud Moguntiacum præfuit, & multos insignes discipulos post se reliquit.* Hæc sunt monimenta præcipua, quibus Schola Sancti Albani Martyris ad Moguntiam asseritur & commendatur.

CAPUT XXI.

Schola Remensis.

ANte annum 882. quo Remensem Ecclesiam administrare cœpit Fulco, celebres inibi fuisse Scholas; sed temporis diuturnitate seu miseria, vel rerum vicibus propemodum collapsas restituisse Fulconem tradit Flodoardus in lib. 4. hist. Rem. cap. 9. *Præfatus Præsul honorabilis Fulco, sollicitus circa Dei cultum & ordinem Ecclesiasticum, amore quoque sapientiæ fervens, duas Scholas Remis, Canonicorum scilicet loci, atque Ruralium Clericorum jam pene dilapsas restituit, & evocato Remigio Autissiodorensi magistro, liberalium artium studiis adolescentes Clericos exerceri fecit, ipseque cum eis lectioni ac meditationi operam dedit.*

Sed

Sed & Hucbaldum S. Amandi Monachum, virum quoque disciplinis sophicis nobiliter eruditum accersivit, & Ecclesiam Remensem præclaris illustravit doctrinis. Sic Fulco Scholas duas aliis non restituit modo, sed & sibi ipse restituit: quippe qui non minus, quam ceteri, sub illis Professoribus mereri voluerit. O non minus illustre quam singulare Præsulis exemplum, quem dignitas ab acquirenda in Scholis ipsis scientia non retardavit!

Inter alios Remigii discipulos Seulfus Remensis Archiepiscopus, qui Heriveo successit, magnopere eminuit, ut idem Auctor in ejusdem libri capite 18. testatur: *Successit huic Præsuli Seulfus, qui tunc urbis hujus ministerio fungebatur Archidiaconatus, vir tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus disciplinis sufficienter instructus, quique apud Remigium Autissiodorensem magistrum in liberalibus studium dederat artibus.*

Sanctus Abbo Floriacensis Monachus, ubi Philosophiam addiscere constituit, Durocortorum Remorum profectus est, teste Aimoino Floriacensi Monacho, qui libro de vita Sancti Abbonis, cap. 3. *Cum vero,* inquit, *ad tantæ profecisset fastigium doctrinæ, ut aliis quoque percepti talenti valeret donativum erogare, imbuendis præficitur Scholasticis, quos ille per aliquot annorum curricula lectione simul & cantilena cum tanta erudivit cura, ut palam se gaudere monstraret, quod pecuniæ sibi creditæ lucra augmentare valeret. Verum ipse adhuc majora gliscens scientiæ scrutari arcana, diversorum adiit sapientiæ officinas locorum, ut quia Gramma-*

maticæ, Arithmeticæ, nec non & Dialecticæ jam ad plenum indaginem affixerat, ceteras ingenio suo pergeret superadjicere artes. Quapropter Parisios atque Remos ad eos, qui Philosophiam profitebantur, profectus, aliquantulum quidem in Astronomia, sed non quantum cupierat, apud eos profecit. Floriaco igitur Durocortorum discessit Abbo Philosophiæ discendæ causa, quam ibi Remigius aut Hucbaldus, vel eorum in docendi munere successores magna cum nominis existimatione profitebantur.

Cum aliorum plurium, tum maxime Roberti Regis, & Ottonis Imperatoris institutio, & institutoris eruditio, Remensis Scholæ gloriam longe lateque propagarunt. Quæ ad caput utrumque pertinent, singillatim referemus. De Roberto Rege hæc tradit Helgaudus Floriacensis Monachus: *Robertus a patre Scholæ Remensi traditus, domino Gerberto ad erudiendum est datus, qui eum sufficienter liberalibus instruxit disciplinis.* Idem notat Chronicum incerti Auctoris ab anno Christi 688. ad annum 1015 desinens. *In loco ejus* (Arnulphi *consecrari fecit* (Rex Galliæ) *domnum Gerbertum Monachum Philosophum, qui Gerbertus magister fuit Roberti Regis, filii istius Hugonis, & domini Leoterici Archiepiscopi* (Senonensis) *successoris Sevini.* Verum præstat audire fragmentum historiæ Francicæ a Ludovico Pio ad Robertum usque Regem; ubi & hujus Regis institutio, & Ecclesiasticæ Gerberti dignitates describuntur. *Robertus fuit vir mansuetus, & non mediocriter litera-*

teratus ac religiosus. Habuit enim praeceptorem Gerbertum sapientem, qui postea ab eodem Rege Remensium meruit Pontificatum, indeque merito scientiae & sapientiae suae ab Ottone Transrhenensi assumptus, Ravennatium sortitus est Praesulatum. Denuo quoquē Apostolica sublimatus est cathedra. Ecce tibi quem habuit principem e Gallis discipulum, & quos Ecclesiae honores obtinuit.

Quoniam vero ad Remensis Scholae decus attinet hujus Regis eruditio, hic dabimus, quod de eodem Trithemius scribit in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: *Rupertus* (idem Germanis, quod Gallis Robertus) *Rex Franciae, nobilis, fortis, justus, doctus, & religiosus inter Ecclesiasticos Scriptores locum merito recipit, quippe qui cantus & Responsoria dulci & regulari modulamine ad honorem Ecclesiae Catholicae composuit, in literis humanitatis, praesertim in musica doctissimus fuit; tantae autem religionis, ut horas canonicas in Ecclesia decantaret cum Clericis, foris apud se legeret cum suis; tantae pietatis & miserationis extitit in pauperes, ut suis se aliquando vestimentis spolians eorum nuditates multis vicibus operiret: de ejus manibus liber nunquam recedebat, adeo ut pro tribunali sedens inter judiciorum & causarum strepitus in sinu apertum haberet Psalterium. Unde & post mortem miraculis coruscasse legitur. Ejus est illa vulgata Sequentia, quae cantatur diebus Pentecostes, de sancto Spiritu: Veni sancte Spiritus; Responsorium de Sancto Petro, Cornelius centurio: de Nativitate Domini, Judaea & Jerusalem; & illud Alle-*

Alleluja, Eripe me de inimicis. Responsorium, Cornelius centurio, Romæ summo Pontifice Missam celebrante, Sancto Petro in altari Offertorii tempore cum magna devotione obtulit. Accurrentes autem ministri altaris arbitrati sunt magni ponderis aurum obtulisse divitem Regem; sed schedulam reperientes scriptam & notatam, admirabantur ingenium & devotionem principis collaudantes. Hinc Papa decrevit ob memoriam sanctissimi Regis, rogantibus Clericis, ut hoc Responsorium in honorem Sancti Petri deinceps cantaretur. Hæc quanquam paulo longiora, reipsa tamen brevia sunt, si ad tanti principis gloriam transferantur.

Quæ vero ad alterum caput, scilicet ad Gerberti doctrinam, & Ottonem illius discipulum spectant, hæc sunt apud Trithemium in Hirsaugiæ Chronico ad annum 995. *Claruit his temporibus Gerbertus Monachus Ordinis nostri, cœnobii Floriacensis, vir in Mathematica, Astronomia, Philosophia, Arithmetica, ceterarumque pene omnium scientiarum doctrina eruditissimus, qui multos discipulos nobilissimos reliquit, inter quos etiam fertur Otto Imperator fuisse non ultimus. Hic propter incomparabilem scientiam suam primo fuit Archiepiscopus Remensis in Gallia per Hugonem Regem Franciæ constitutus, deinde pulsus, per Ottonem Imperatorem constituitur Archiepiscopus Ravennatensis, ac postremo fit summus Pontifex in urbe Roma, & Silvester secundus dictus est.*

Quæ de Ottone narrat Trithemius, hæc præstat Auctor anonymus, qui Bedæ de gestis Anglorum con-

continuavit historiam. Sic enim scribit in libri 2. capite 13. *Gerbertus ex Gallia notus Monachus a puero apud Floriacum adolevit.* Deinde in capite 14. *Gerbertus Galliam* (ex Hispania) *repatrians publicas Scholas professus arcem magisterii attigit. Habebat comphilosophos & studiorum socicios, Constantinum Abbatem Sancti Maximini, quod est juxta Aurelianos, ad quem edidit regulas de abaco; & Elbodum Episcopum, ut dicunt, Wimburgensem, qui & ipse ingenii monumenta dedit in epistola, quam facit ad Gerbertum de quæstione diametri super Macrobium, & in nonnullis aliis. Habuit discipulos prædicandæ indolis & prosapiæ nobilis, Robertum filium Hugonis cognomento Capet, Ottonem filium Ottonis Imperatoris. Robertus postea Rex Franciæ magistro vicem reddidit, & eum Archiepiscopum Remensem fecit. Extant apud illam Ecclesiam doctrinæ ipsius documenta, horologium arte mechanica compositum, organa hydraulica, ubi mirum in modum per aquæ violentiam ventus emergens implet concavitatem barbiti, & per multiforabiles tractus æreæ fistulæ modulatos clamores emittunt. Et erat ipse in Ecclesiasticis cantibus non mediocriter doctus, & tum in hoc, tum in ceteris multum Ecclesiæ profuit. Denique pulcherrimam sequentiam, Sancti Spiritus adsit nobis gratia, & Responsorium, O Juda & Jerusalem, contexuit, & alia plura, quæ non me pigeret dicere, si non alios pigeret audire. Otto post patrem Imperator Italiæ, Gerbertum Archiepiscopum Ravennatem, & mox Papam Romanum creavit.* Hæc ille, qui &

F alias

alias in Gerbertum ſatis iniquus fuit, & jactatis perperam de eo rumoribus addictus.

Omittere non poſſum quod de Gerberto & ejus diſcipulis traditur in Malleacenſi Chronico poſt annum 996. *Gerbertus docuit Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum. Hic iterum Fulbertus docuit Berengarium Canonicum Sancti Martini, qui iterum Brunonem Remenſem, & alios multos hæredes Philoſophiæ reliquit.* Chronicum hoc MS. mihi copiam alias fecerunt viri clariſſimi & humaniſſimi Puteani fratres duo, Petrus & Jacobus, qui dum viverent, Bibliothecam Regiam non tam cuſtodierunt, quam Bibliothecæ ſedem ac domicilium varia eruditione ſua, & quotidianis doctorum hominum conſeſſibus exornarunt.

Sanctus ille Bruno, qui Cartuſienſium Ordinem inſtituit, non poſt multos annos Remenſis factus eſt Scholaſticus, de quo ita ſcribit Guibertus Abbas Novigentinus, in libri I. capite II. de ſua ipſius vita: *At quia conveniebat, ut literatorum quiſpiam ſacri gregem Ordinis ſub eodem affectum poſt ſe contraheret, fuit non longe ab his diebus Bruno quidam in urbe Remenſi, vir & liberalibus inſtructus artibus, & magnorum ſtudiorum rector, qui converſionis initia ex ſubjecta nactus occaſione dinoſcitur. Manaſſes quidam poſt Gervaſii famoſiſſimi Archiepiſcopi deceſſum, prædictæ urbis regimini ſimoniace ſe intruſit, vir quidem nobilis, ſed nihil prorſus ſerenitatis, quæ prima ingenuitatem decet, habens; tantos enim faſtus ex illa novitate conceperat, ut regias peregrinarum gentium majeſtates,* im-

immo majestatum ferocitates imitari videretur. Et quibusdam interpositis: *Hujus ergo mores prorsus improbos, & stupidissimos habitus cum omnis honestus horreret, Bruno tunc in Ecclesiis Galliæ opinatissimus, cum aliis quibusdam Remensium Clericorum nobilibus, infamis illius odio excessit ab urbe.* Idem traditur in breviculo vitæ Brunonis, quem in nostra Dissertatione de vera causa secessus illius in eremum retulimus: *Magister Bruno, natione Teutonicus, ex præclara urbe Colonia, parentibus non obscuris natus, literis tam sæcularibus, quam divinis valde munitus, Ecclesiæ Remensis, quæ nulli inter Gallicanas secunda est, Canonicus, & Scholarum Magister, relicto sæculo eremum Cartusiæ fundavit.* Quibus verbis manifestum est, Brunonem Scholas rexisse, non Parisiis quidem, sed Remis, quando sese recepit in Cartusiam, ut in memorata Dissertatione ostendimus adversus Theophilum Raynaudum, a cujus opere si dicteria tollerentur & calumniæ, eminentis nihil, expressi nihil, solidi nihil remaneret. In hujus polemicis robur ac vis fere tota in acerbitate verborum consistit.

Petrus Abaelardus in epist. de calamitatum suarum historia, cap. 5. meminit duorum celebrium magistrorum, qui suo tempore Scholis Remensibus præsidebant. *Albericus*, inquit, *& Lotulfus post magistrum Anselmum, & Guillelmum soli regnare volebant, & Remis Scholas regebant.* Hi magistri duo, quorum primus fuit postea Bituricensis Archiepiscopus, quanquam alibi Theologiam edocti, sicut & Bruno, Remos tamen

evocati, Scholas magna cum laude tenuerunt.

Poſtremum his Scholis teſtimonium commodabit Cæſarius in lib.2. memorabilium cap.17 unde Remenſis Studii diuturnitatem metiemur: *Retulit mihi frater Godefridus Monachus noſtr, quondam Scholaſticus Sancti Andreæ in Colonia, tale quid contigiſſe in civitate Remenſi. Eo, inquit, tempore, quo Remis fui in ſtudio cum domino Philippo poſtea Colonienſi Archiepiſcopo, cujus magiſter & pædagogus eram, contigit ibidem militem quendam infirmari usque ad mortem &c.* Sic Remenſis Scholæ magiſtros & celebritatem produximus ad illam usque ætatem, qua Pariſienſis florere cœpit, & ceteras omnes, cuicuimodi fuerint, pleniori lumine inobſcurare.

CAPUT XXII.

Schola Hildesheimenſis.

OBſcura quidem habet initia; ſed imperante Othone primo, qui & Magnus appellatus eſt, clarere cœpit. Hic enim Imperator filium ſuum Othonem, qui & ei ſucceſſit, educandum illi Scholæ & ad literas humaniores informandum tradidit, non traditurus, opinor, niſi jam celebritate magiſtrorum floruiſſet. Quidquid id eſt, Hildesheimenſis Schola vel tunc celebris fuit, vel celebrem fecit illius diſcipulus, de quo Siffridus Miſnenſis Presbyter in epitomes libro 1. ad annum 1002. ita ſcribit: *Ipſe reſtauravit Eccleſias Magdebur-*

burgensem, Merseburgensem, Misnensem, Hildesheimensem, Argentinensem, quæ a barbaris vastatæ fuerant; & in Hildesheimense, ubi a pueritia enutritus & literis fuit edoctus, posuit Episcopum Sanctum Gothardum, qui in monasterio Herveldensi Abbas extiterat. Restauravit, inquit, Hildesheimensem Ecclesiam, quam Ludovicus Pius exstruxerat, ut Lambertus Schafnaburgensis tradit in Chronico de rebus Germanorum. In Silesiæ annalibus, quos Joachimus Cureus edidit, Hildesheimensis Collegii, & in eo educati Othonis honorifica fit mentio: *Collegia Canonicorum olim fuerunt Scholæ, in quibus adolescentia erudiebatur in doctrina cœlesti, in bonis artibus, & simul habebat exercitia precationum & lectionum in templis illis, quando Episcopus tanquam præcipuus rector & inspector doctrinæ & disciplinæ Ecclesiasticæ præerat: sicut circa illam ætatem* (de qua supra loquitur) *Otho secundus, filius præstantissimi Imperatoris Othonis primi, adolescens didicit literas, & Ecclesiæ doctrinam in Collegio Hildesheimensi, & publice una cum suis æqualibus in templo precatus est & cecinit.*

CAPUT XXIII.

Schola Floriacensis.

FLoriacensem Scholam aggredior, quæ & apud Aurelianenses *SanctiBenedicti* vocitata est. Hujus ortum, vel certe progressionem significat Theodulfus Aurelianensis Episcopus in Capitulari, quod ad

ad diœcesis suæ Presbyteros habuit ante annum 800. Sic enim edidit num. 19. *Si quis ex Presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum ad Scholam mittere in Ecclesia Sanctæ Crucis, aut in monasterio Sancti Aniani, aut Sancti Benedicti, aut S. Lifardi, aut in ceteris de iis cœnobiis, quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus.* Hic Sancti Benedicti Schola eadem est, quæ Floriacensis. Nunc a loco, ubi monasterium constituitur, nunc ab eo Confessore, cui dicatur, nomen habet. Quantæ vero apud omnes existimationis fuerit, vel unus testatur Aimoinus in vita Sancti Abbonis, capite I. *Venerabilis Abbo Aurelianensi ortus est in pago. Cujus patris vocabulum Lætus, matris Ermengardis extitit, quos quidem non vana tumens, & nobilitate superbus alebat sanguis, sed tamen avis atavisque derivata eos honestabat libertas: quodque omnibus superextat causis, timor Domini moribus adornabat honestis. Talibus ergo Abbo ortus parentibus, in Floriacensi monasterio Scholæ Clericorum Ecclesiæ Sancti Petri obsequentium traditur literis imbuendus, divina pro certo, ut credimus, id præordinante providentia, ut inde primordia sumeret literarum, ubi postmodum plenissime fluenta doctrinæ mentibus erat propinaturus sapientiam sitientium, redderetque illis, seu eorum posteris duplicatum suscepti fœnoris fructum, a quibus simplicia tantum acceperat rudimenta elementorum.* Floriacus jam inde ab anno 960. ut minimum habuit frequentia literarum exercitia, cum illuc studii

dii

dii causa missus est Abbo, qui postea anno 1004. martyrium fecit. Quare quin Theodulfus Floriacensis Monachus, & Aurelianensis deinde Episcopus, & Adrevaldus item Floriacensis Monachus huic Scholæ temporibus suis præfuerint, dubitaturum opinor neminem.

Sed videamus modo qui rector Scholæ factus sit Abbo. Qua de re sic Aimoinus cap. 3. *Cum vero jam ad tantæ profecisset fastigium scientiæ, ut aliis quoque percepti talenti valeret donativum erogare, imbuendis præficitur Scholasticis, quos ille per aliquot annorum curricula lectione simul & cantilena cum tanta erudivit cura, ut palam se gaudere monstraret, quod pecuniæ sibi creditæ lucra augmentare valeret. Verum ipse adhuc majora gliscens scientiæ scrutari arcana, diversorum adhuc adiit sapientiæ officinas locorum, ut quia Grammaticæ, Arithmeticæ, nec non & Dialecticæ jam ad plenum indaginem affixerat, ceteras ingenio suo pergeret superadjicere artes. Quapropter Parisios atque Remos ad eos, qui Philosophiam profitebantur, profectus, aliquantulum quidem in Astronomia, sed non quantum cupierat, apud eos profecit. Inde Aurelianos regressus Musicæ artis dulcedinem, quamvis occulte propter invidos, a quodam Clerico non paucis redemit nummis. Quinque ex his, quas liberales vocant, plenissime imbutus artibus, sapientiæ magnitudine cunctos præibat coætaneos. Supererant Rhetorica, nec non Geometria, quarum plenitudinem etsi non ut voluit, attigit, nequaquam tamen jejunus ab eis funditus remansit. Nam & de Rhetori-*

torica ubertate facundiæ Victorinum, quem divinæ legis interpres Hieronymus præceptorem se habuisse gloriatur, legit, & Geometricorum multiplicitatem numerorum non mediocriter agnovit. Sic demum vivaci mentis ingenio hæc universa strenue assecuto facilis erat eorum operatio. Denique quosdam Dialecticorum nodos syllogismorum enucleatissime enodavit, compotique varias & delectabiles sæcularium in morem tabularum texuit calculationes. De Solis quoque ac Lunæ, seu Planetarum cursu a se editas disputationes scripto posterorum mandavit memoriæ. Quibus verbis apparet, quæ tunc in Floriacensi Schola studiorum & scientiarum genera traderentur, quæ non traderentur, & quæ forsan tradita fuerunt postea, cum Sanctus Abbo Parisiis & Remis in monasterium reversus est. Quorsum enim sanctissimæ vitæ Monachus alio quæsivisset præceptores Philosophiæ, si quos nactus esset in monasterio? Itaque cum illud Papirius Massonus libro Annalium tertio, omnium bonarum artium sedem, certumque domicilium appellat, sibi ante oculos statuere debuit tempus, quod Abbonem excepit; sin minus, id ille scripsit, quod nullis veterum monimentis confirmatur.

LemovicensisConciliiPatres audierunt eum Abbonem *florentissimum Philosophum, & omni divina & sæculari auctoritate totius Franciæ magistrum famosissimum* ab Odolrico monasterii Sancti Martialis Abbate pronunciari. & hæc longe certiora sunt, quam quæ Abboni de Sancti MartialisApostolatu tribuit.

Hic

Hic omitti nec possunt nec debent Constantinus & Gerbertus, illustres Monachi duo, quorum unus alterum & seipsum suis in epistolis *Scholasticum* appellat: sic enim Gerbertus epistolam 87. inscribit, *Constantino Floriacensi Scholastico:* & epistolam 160. *Constantino suo Gerbertus Scholasticus.* Nomen hoc, *Scholasticus*, bonarum artium Professorem significat. Gerbertus in priori epist. Constantinum hortatur, ut inde quo perrexerat, in Floriacum rediret: *Matura ergo iter, & 16. Calend. Sept. nos revise, ut in his omnibus per te plenius instruamur.... Comitentur iter Tulliana opuscula & de republica, & in Verrem, & quæ pro defensione multorum plurima Romanæ eloquentiæ parens conscripsit.* In posteriori de mutuis laboribus & allevatione, sermonem instituit circa ea quæ ad studia & numerorum divisionem pertinent: *Vis amicitiæ pene impossibilia redigit ad possibilia. Nam quomodo rationes numerorum abaci explicare contenderemus, nisi te adhortante, o mi dulce solamen laborum Constantine? Itaque cum aliquot lustra jam transierint ex quo nec librum nec exercitium harum rerum habuerimus, quædam repetita memoria eisdem verbis proferimus, quædam eisdem sententiis. Nec putet Philosophus sine literis hæc alicui arti vel sibi esse contraria. Quid enim dicet esse digitos, articulos, minuta, qui auditor majorum fore dedignatur? Vult tamen videri solus scire, ut ait Flaccus. Quid cum idem numerus modo simplex, modo compositus, nunc digitus, nunc constituatur ut articulus? Habes ergo (talium diligens in-*

vestigator) viam rationis, brevem quidem verbis, sed prolixam sententiis, & ad collationem intervallorum, & distributionem in actualibus Geometrici radii secundum inclinationem & erectionem, in speculationibus & actualibus simul dimensiones cæli & terræ plena fide comparatam.

Hic addendum est quod Autissiodorensis Monachus tradit in Chronico: *Autissiodorensi Ecclesiæ post Heribertum Joannes præfuit, vir vitæ honestate præcipuus, & literarum studiis in Schola Gerberti apprime eruditus.*

CAPUT XXIV.

Schola Aurelianensis sanctæ Crucis.

SChola sanctæ Crucis in ipso Aurelianorum oppido ad eandem cum Floriacensi pertinet ætatem. Quo enim tempore literarum studia viguerunt Floriaci, eodem & apud Ecclesiam sanctæ Crucis viguisse Theodulfus in Capitulari scribit. Verba superiori cap. retulimus, ubi pueros ad Scholam mittendos esse in Ecclesia Sanctæ Crucis, vel in monasterio Sancti Aniani, aut Sancti Benedicti, aut Sancti Lifardi constituit. Hoc igitur in loco docendi munus perstitit deinceps, vel si quando malitia temporis, aut magistrorum segnitie seu penuria intermissum est atque exaruit, jam repetitum tandem fuerat, & reviruerat Roberto Rege Galliæ. Tunc enim ea Scholæ fama erat, ut ex locis pluribus ad eam juvenes doctrinæ cupidi convolarent. Id discimus ex vetere Sancti Petri Carnotensis libro, qui

qui qua ratione detecta & contrita fuerint prava quædam nonnullorum magistrorum dogmata, luculenter exponit. Auctor igitur anonymus, sed æqualis sic loquitur: *Rursum quoque duxi dignum memoriæ tradendum de præfato viro scilicet Arefasto: quomodo in Aureliana urbe divina ope, suique ingenii salubri acumine hæreticam pravitatem latenter pullulantem, jam jamque per Galliarum provincias nefandi erroris venena exitialia propinantem, non solum deprehenderit, sed etiam omnino compresserit. Erat enim de genere Comitum Normannorum, eloquio nitidus, & consilio providus, bonis moribus comptus, & idcirco legationis officio tam apud Francorum Regem, quam apud proceres notissimus extitit. Hic in domo sua quendam Clericum habuisse dicitur, nomine Herbertum, qui lectionis gratia Aurelianensem urbem adire decreverat. Verum dum veritatis auctores quærere satageret, cæco itinere in totius hæresis barathrum dilabitur: nam ea tempestate duo Clerici, Stephanus & Lisoius, apud omnes sapientia clari, sanctitate ac religione magnifici, eleemosynis largi opinione habebantur vulgi. Eosdem memoratus expetiit Clericus, & parvo temporis interstitio docilis discipulus cum divini verbi dulcedine ab eis debriatur mortifero nequitiæ haustu. Qui dementia & errore diabolico irretitus, totius divinitatis expers, sapientiæ arcem conscendisse se credidit. Qui patriam repedans, dominum suum, quem singulari affectu diligebat, subtilitate verborum in erroris viam sensim amovendo secum adtrahere cupiebat, testificans*

cans

cans Aurelianam urbem præ ceteris urbibus coruscare luce sapientiæ atque sanctitatis lampade. In cujus verbis dominus ejus intellectuali auditu ipsum animadvertit a via justitiæ devium, & cito Comiti Richardo causam innotuit, atque rogavit, ut Rodberto Regi literis pestem in regno ejus adhuc latitantem, antequam propagaretur, patefaceret, & ut Rex eidem Arefasto ad expellendam eam opportunum auxilium non denegaret. Itaque Rex insperata re attonitus mandavit, ut idem vir cum Clerico suo ad Aurelianam urbem cito gressum dirigeret, pollicens omnimodis in hac re suum auxilium. Cumque jubente Rege iter ageret, Carnotis devenit, Fulbertum venerabilem Antistitem super hac re consulturus. Qui forte tunc aberat. Nam Romam gratia orationis abierat. Tunc causam sui itineris cuidam sapienti Clerico Ebrardo nomine, Carnotensis Ecclesiæ Sacriscrinio innotuit, flagitans sui consilii opem, qualiter stare deberet in acie, & quibus armis se muniret contra multimodas artes diabolicæ fraudis. Qui sapienti usus consilio, eum prædocuit, ut cotidie primo mane Omnipotentis opem quæsiturus, Ecclesiam devotus adiret, orationi incumberet, atque sacrosancta communione corporis & sanguinis Christi se muniret: deinde fidenter ad audiendam hæreticam pravitatem signaculo sanctæ Crucis protectus pergeret, nihil horum, quæ ab eis audiret, contradiceret, sed simulato discipuli vultu, omnia tacitus in pectoris domicilio conferret. Igitur Aurelianis deveniens, ita edoctus fuerat, cotidie sacra communione ac supplici oratione munitus,

nitus,

nitus, ad eorum doctrinam veniens, ad instar rudis discipuli ultimus intra domum Erroneorum assidebat. Cumque primum divinorum voluminum exemplis eum, & quibusdam rerum similitudinibus informarent, atque more perfecti discipuli subdita aure intentum viderent, inter alias similitudines, sylvestris arboris similitudinem ei proferunt. Tractandus es, inquiunt, a nobis ut arbor sylvestris, quæ translata in viridario tamdiu aquis perfunditur, donec humo radicetur; dehinc spinis & rebus superfluis emundatur, ut postmodum terra tenus truncata sarculo, meliori inseratur ramusculo, qui postmodum fertilis sit mellifluo pomo. Itaque tu simili modo translatus de iniquo sæculo in nostro sancto collegio, aquis perfunderis sapientiæ, donec informeris, & gladio verbi divini vitiorum spinis carere valeas, ac infusa doctrina tui pectoris ab antro exclusa, nostram doctrinam a sancto Spiritu traditam mentis puritate possis excipere. At ille de omni verbo, quod proferebant, semper Deo gratias referebat; unde rati sunt eum conversum esse in eorum errorem, jamjamque suæ nequitiæ sentinam verbis divinorum librorum antea coopertam, securi aperiunt, dicentes Christum de virgine Maria non esse natum, neque pro hominibꝰ passum, nec vero in sepulchro positum, nec a mortuis resurrexisse, addentes in baptismo non esse ullam scelerum ablutionem, neque sacramentum corporis & sanguinis Christi in consecratione Sacerdotis: sanctos Martyres atque Confessores implorare pro nihilo ducebant. Cumque hæc & alia execranda perditi & miserrimi homines a fœti-

do

do corpore evomerent, Arefastus sic ad eos dixisse fertur: Si in his quæ enumerastis, salus hominum, quæ speratur, nulla, ut dicitis, esse potest; a vobis obnixe rogo mihi aperiri, in quibus sperari poterit, ne meus animus in dubio positus cito cadat in desperationis ruinam. Proculdubio, frater, inquiunt, in charybdi falsæ opinionis hactenus cum indoctis jacuisti: nunc vero erectus in culmine totius veritatis, integræ mentis oculos ad lumen veræ fidei aperire cœpisti: pandemus tibi salutis ostium, quo ingressus per impositionem videlicet manuum nostrarum ab omni peccati labe mundaberis, atque sancti Spiritus dono repleberis, qui Scripturarum omnium profunditatem ac veram divinitatem absque scrupulo te docebit. Deinde cælesti dono pastus, interna satietate recordatus, videbis per sæpe nobiscum visiones Angelicas, quarum solatio fultus cum eis quovis locorum sine mora vel difficultate, cum volueris, ire poteris, nihilque tibi deerit, quia Deus omnium tibi comes nunquam deerit, in quo sapientiæ thesauri atque divitiarum consistunt. Interea Rex & Regina Constantia, sicut vir memoratus mandaverat, ad urbem Aurelianam cum Episcoporum collegio venientes, die sequenti, illo ipso suggerente, omnis illa nequissima congregatio, simul per Officiales regios de domo, ubi erant congregati, sunt abstracti, & in Ecclesiam sanctæ Crucis ante Regem atque Episcoporum ac Clericorum cœtum adducti. Sed antequam ad conflictum veniamus, de cibo illo, qui cælestis ab illo dicebatur, quali arte conficiebatur nescientibus demonstrare curabo. Congregabantur

siqui-

siquidem certis noctibus in domo denominata singuli lucernas tenentes in manibus, & ad instar litaniæ dæmonum nomina declamabant, donec subito dæmonem in similitudine cujuslibet bestiolæ inter eos viderent descendere. Qui statim ut visibilis illa videbatur visio, omnibus extinctis luminaribus, quamprimum quisque poterat mulierem, quæ ad manum sibi veniebat, ad abutendum arripiebat sine peccati respectu, & utrum mater, an soror, aut Monacha haberetur, pro sanctitate & religione ejus concubitus ab illis æstimabatur. Ex quo spurcissimo concubitu infans generatus octava die in medio eorum copioso igne accenso piabatur per ignem more antiquorum paganorum, & sic in igne cremabatur. Cujus cinis tanta veneratione colligebatur, atque custodiebatur, ut Christiana religiositate corpus Christi custodiri solet ægris dandum de hoc sæculo exituris ad viaticum. Inerat enim tanta vis diabolicæ fraudis in ipso cinere, ut quicunque de præfata hæresi imbutus fuisset, & de eodem cinere, quamvis sumendo parum, prælibavisset, vix unquam postea de eadem hæresi gressus mentis ad viam veritatis dirigere valeret. De qua re parum dixisse sufficiat, ut Christicolæ caveant se ab hoc nefario opere, non ut studeant sectando imitari. Verum quia digressionem fecisse videor, ad eadem modo, quæ dimisi, vertatur oratio, ac succincto cursu infidelium crudelitas transcurrendo peragatur, ne prolixior controversiæ sermocinatio fastidium generet delicato lectori. Igitur, ut dictum est, illis introductis ante Regem & Episcoporum conventum, Arefastus

fastus Regem allocutus est dicens: Domine mi Rex, miles sum Richardi tui fidelissimi Comitis Normanniæ, & immeritus teneor vinctus & catenatus ante te. Cui Rex ita respondit: Causam tui adventus cito nobis indica, ut ea agnita aut reus in vinculis tenearis, aut innoxius a vinculis solutus dimittaris. Ad hæc ille respondit: Audita sapientia & religione horum, qui vincti adstant mecum ante te, ad hanc urbem venire volui, ut inde exemplo bonorum operum, atque doctrina eorum melioratus redirem. Hæc quidem causa est, pro qua de patria mea exire volui, & hanc urbem petii. Quod si reatu aliquo pro hoc opere teneor, Præsules tibi assistentes videant & judicent. Tunc Præsules dixerunt? Si sapientiæ ac religionis modum, quem ab his didicisti, nobis proferas, nostro judicio facile dinoscetur. At ille ait: Regia majestas & vestra auctoritas eis jubeat, ut quæ me docuerunt, ea ipsi coram vobis dicant, quatenus audita a vobis, aut digna laude habeantur, aut indigna oblivioni tradantur. Quibus Rex atque Antistites cum juberent ut suæ fidei normam referendo patefacerent, totius veritatis inimici, alia pro aliis dicentes, intra suæ hæresis fæditatem nulla adyta introire volebant. Sed & serpens quanto plus in manibus stringitur, tanto amplius elabitur; ita & isti quo amplius concludebantur veritatis sermone, tanto magis labiliores videbantur effugisse. Tunc Arefastus videns, quod redimerent tempus, & sermonum clypeo festinarent obnubilare suæ fidei errorem, ad eos est conversus dicens: Veritatis magistros, non erroris vos habere puta-

putavi, dum constanter illam mihi doctrinam, quam salutiferam evangelizabatis, viderem vos docere, atque pollicebamini pro pœnis inferendis, & etiam pro morte toleranda, nunquam eam esse a vobis denegandam. Nunc vero oblita fide, quam promisistis, ut video, timore mortis ab illa doctrina longe vultis fieri, meque adhuc rudem discipulum in periculo mortis dimittere parvi penditis. Unde regiæ jussioni parendum est, & obedire tantorum Præsulum auctoritati oportet, ut in his, quæ a vobis didici, si qua sunt Christianæ religioni contraria, istorum judicio cognita, quæ sequenda sunt, & quæ respuenda agnoscam. Docuistis equidem, me nullam in baptismo promereri veniam peccatorum, neque Christum de Virgine esse natum, neque pro hominibus passum, neque vere sepultum, neque a mortuis resurrexisse, neque panem & vinum, quod super altare manibus Sacerdotum sancti Spiritus operatione effici videtur Sacramentum, converti posse in corpore & sanguine Christi. Cumque hæc Arefastus viva voce perorasset, Guarinus Belvacensis Præsul interrogavit Stephanum & Lisoium, qui hujus erroris videbantur esse magistri, si ita sentirent & crederent, quæ ab Arefasto erant memorata. & ita se sentire & credere constanter asserunt. Quibus cum Præsul diceret, voluisse Christum nasci de Virgine, quia potuit & pro nostra salute pati in humanitate, ut tertia die devicta morte resurgeret in sua deitate, nosque doceret esse resurrecturos in reformatione: viperino ore responderunt dicentes: Nos neque interfuimus, neque hæc vera esse credere

possumus. Adhæc Præsul eos inquit interrogans: Carnales parentes habuisse creditis, an non? Cumque se credere assererent, Præsul respondit: Si ex parentibus vos esse procreatos creditis, cum non eratis ante sæcula, Deum de Deo genitum sine matre, in fine temporis sancti Spiritus obumbratione de Virgine natum cur credere respuitis? At illi dixerunt: Quod natura denegat, semper a creatione discrepat. Quibus Præsul respondit dicens: Antequam quicquam fieret per naturam, non creditis per Filium Deum Patrem fecisse omnia ex nihilo? Cui alienati a fide dixerunt: Ista illis narrare potes, qui terrena sapiunt atque credunt figmenta carnalium hominum, scripta membranulis animalium; nobis autem, qui legem scriptam habemus in interiori homine a Spiritu sancto, & nihil aliud sapimus, nisi quod a Deo omnium conditore didicimus, incassum superflua & a divinitate devia profers, iccirco verbis finem impone, & de nobis quicquid velis, facito: jam Regem nostrum in cælestibus regnantem videmus, qui ad immortales triumphos dextera sua nos sublevat, dans superna gaudia. Cumque ab hora diei prima, usque ad horam nonam multifariam elaborarunt omnes, ut illos revocarent, & ipsi ferro duriores minime resipiscerent, jussi sunt singuli sacris vestibus indui in suo ordine, statimque ab Antistitibus a proprio ordine sunt depositi, & Rege jubente, Constantia Regina ante valvas Basilicæ stetit, ne populus eos intra Ecclesiam interficeret: & sic de gremio sanctæ Ecclesiæ ejecti sunt. Qui cum ejicerentur, Regina Stephani sui olim

Con-

Confessoris, cum baculo, quem manu gestabat, oculum eruit. Deinde extra civitatis educti muros, in quodam turguriolo, copioso igne accenso, præter unum Clericum, atque unam Monacham cum nefario pulvere, de quo supra diximus, cremati sunt. Clericus enim & Monacha nutu divino resipuerunt. Hæc ille, quæ anno 1017. contigisse Glaber scribit, qui etsi rem brevius narret, ea tamen narrat, quæ memoratis lucem adferunt. *Fuerunt*, inquit, *hujus perversi dogmatis hæresiarches duo, heu proh dolor! qui in civitate* (Aurelianensi) *putabantur genere ac scientia valentiores in Græco, quorum unus Heribertus, alter Lisoius dicebatur. Hi denique quamdiu res latuit, tam apud Regem, quam apud Palatii proceres summam obtinuerant auctoritatem.* Et post alia: *Quibus compertis, tam Rex, quam Pontifices tristiores effecti interrogavernut illos secretius, utpote viros hactenus in omni morum probitate perutilissimos, quorum unus Lisoius in monasterio sanctæ Crucis Clericorum charissimus habebatur, alter idem Heribertus Sancti Petri Ecclesiæ cognomento Puellaris capitale Scholæ tenebat dominium.* Glaber inter primarios pravi dogmatis magistros omisit Stephanum, qui Constantiæ Reginæ a sacris fuerat confessionibus, & de quo scriptor anonymus res scitu dignas memoriæ mandavit. Atque hæc sunt, quæ ad hanc Scholam pertinere mihi videntur. Quemadmodum igitur aliquando sunt homines, qui ut vitiis ita & virtutibus; sic & sunt Scholæ, quæ malis perinde ac bonis Doctoribus excellunt.

CAPUT XXV.

Schola Leodienſis.

CUm alii præcellentes viri, tum ſeptem potiſſimum Leodienſem Scholam ab oblivionis ſitu vindicant, eamque præterea in illuſtri loco conſtituunt.

Primus eſt Franco Leodienſis Epiſcopus, qui circa annum 869. claruit apud Reginonem lib. 2. Chronicorum. Hunc autem Leodienſi Scholæ præfuiſſe Trithemius ſcribit in Catalogo virorum illuſtrium Germaniæ: *Franco Epiſcopus Leodienſis, vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſtudio ſæcularium literarum egregie doctus, Philoſophus, Rhetor, Poeta & Muſicus excellens, ingenio acutus, ſermone diſertus, vita & converſatione devotus atque ſanctiſſimus, pluribus annis publicæ Scholæ præfuit, & multos in omni ſcientia diſcipulos doctiſſimus enutrivit.*

Alter eſt Stephanus ille, qui ad annum 803. Franconi ſucceſſit. De eo ſic loquitur Sigebertus in Chronographia: *Francone Leodienſium Epiſcopo mortuo, Stephanus Epiſcopus ſubrogatur, vir ſanctitate & ſcientia clarus, qui vitam & paſſionem Sancti Lamberti Martyris ad Hermannum Archiepiſcopum urbanius edidit, cantum quoque nocturnum de eodem Martyre, cantum quoque de ſancta Trinitate, & de Inventione Stephani Protomartyris dulci & regulari modulamine compoſuit.*

Tertius Franco Leodienſis Scholaſticus, de quo idem

idem Sigebertus anno 1047. *Franco Scholaſticus Leodicenſium, & ſcientia literarum & morum probitate claret, qui ad Hermannum Archiepiſcopum ſcripſit librum de quadratura circuli, de qua re Ariſtoteles ait: Circuli quadratura ſi eſt, ſcibile ſcientia quidem nondum eſt, illud vero ſcibile eſt.*

Hoc circiter tempore in hac Schola inſtitutus eſt Fridericus Godefridi Ducis Lotharingiæ frater, qui tum demum ad Romanam acceſſit Eccleſiam, & Stephani X. nomen accepit. Id Ægidius Leodienſis, monaſterii Aureæ-Vallis Monachus, tom. 1. de geſtis Leodienſium Epiſcoporum, cap. 7. in Theoduino: *Stephanus, qui eſt dictus Fridericus, vivificum Leodienſi urbi contulit beneficium. In Eccleſia namque Sanctæ Mariæ, Sanctique Lamberti educatus a puero, cum piæ nutriculæ immenſas actitaret gratias referre, non inveniens in quo illam magnificentius poſſet honorare, ſanxit hanc glorioſam portionem prædicti ligni* (Crucis) *per Godefridum Sancti Petri Præpoſitum dirigere.* Sigebertus ampliora dicit in Chronographia anno 1058. *Fredericus Filius Gothelonis Ducis, ex Clerico Sancti Lamberti ſeptimus Levita Romanæ Eccleſiæ, quia exoſus erat Imperatori Henrico pro odio fratris ſui Godefridi Ducis, poſt legationem Conſtantinopolitanam apud Caſſinenſes Monachus, & poſtea Abbas factus, alteratus nomine Stephani, Romanæ Eccleſiæ CLVII. præſidet.*

Quartus Adelmannus, qui ex Scholaſtico Leodienſi Brixienſis factus eſt Epiſcopus. Hic in Bibliotheca ſanctorum Patrum cum Leodienſis Schola-

sticus vocetur in epistola, quam ad Berengarium scripsit, Leodiensem aliquando Scholam rexisse certissimum est. Id enim tunc temporis præ se tulit Scholastici nomen, quo vel Clericus in Ecclesia, vel Monachus in cœnobio donatur. Quis autem fuerit Adelmannus ex aliis quidem, sed maxime ex Trithemio discimus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Adelmannus Fulberti Carnotensis Antistitis quondam auditor, vir in divinis Scripturis studiosus, & eruditus Philosophus, & Dialecticus suo tempore famosus.*

Quintus Eraclius Leodiensis Episcopus Scholas Ecclesiæ suæ splendidiores effecit, ut tradit Ægidius tomo I. de gestis Episcoporum Leodiensium, in additionibus ad caput 47. *Hic cum eleganti morum probitate nobilitaretur, literarum etiam floreret scientia, Scholas per claustra stabilivit, totamque Leodiensem Ecclesiam, provinciam nullis hactenus studiis illustratam, ad studium coaptavit: peritos Clericos collegit, eosque magistros instituens, sua ope liberaliter pavit. Quas Scholas ipse vicissim non indignum duxit frequentare, majusculis lectiones tradere, si quid minus in lectione intelligerent, benignissime enodare, spondens quæ non facile paterent intellectui, se eis vel centies aperiendo iterare. Si quando autem contingeret, ut aut palatinis occupationibus intendens, aut Imperialibus edictis constrictus ab urbe Leodiensi longius procederet, quos Scholaribus reliquisset magistros, literis hortatoriis solebat animare. dulci metro frequenter eis alludit. Adeo quibus præsens congaudere non poterat, sæpe ab*

ab Italia, frequenter a Calabria ut charos filios dulcibus epistolis ad studendum provocabat. Nec prius a tam præclaro labore destitit, donec multos ex rudibus tam spiritualibus, quam sæcularibus disciplinis exercitatissimos redderet. Si quando autem pro re communi longius iret, non deerant, cum quibus in itinere de Scripturis tentaret. Unde Ottoni Imperatori, & Brunoni Coloniensi Archiepiscopo ita charus fuisse perhibetur, ut nulla rerum majorum exercerent negotia, nisi in illius præsentia, nisi ejus essent consilio adstipulata.

Idem ad annum 960. tradit Auctor, qui Chronicum Belgicum magnum exaravit. Vix alius eo sæculo reperietur Episcopus, qui majori studiō & literas & literatos prosecutus fuerit, & qũi tanta propter id perfecerit.

Sextus Maurilius Rotomagensis Episcopus, quem Schola Leodiensis instituit. Id acceptum referimus ei, qui apud Ordericum Vitalem in libro 4. historiæ Ecclesiæ, Maurilio epitaphium istud condidit:

Humani cives, lacrymam nolite negare
Vestro Pontifici Maurilio Monacho.
Hunc Remis genuit, studiorum Legia nutrix
Potavit trifido fonte Philosophico.

Septimus denique Algerus ille, qui ex hujus Scholæ magistro factus est Cluniacensis Monachus, de quo Petrus Venerabilis ita scribit ad Adalberonem Leodiensium Antistitem: *Quando Leodiensis Ecclesiæ memoria apud Cluniacum perire poterit, quæ Algerum Canonicum, magnumque suo tem-*

pore magistrum, humilitatis discipulum, & , ut ipsi vidimus, attestamur, verum Monachum fecit? Idem præterea Algerus ab eodem Petro in tractatu de sacrificio Missæ, *Canonicus & Magister Leodiensis* appellatur.

Porro circa tempus Adelmanni intermissa fuisse literarum studia, vel certe refrixisse Leodii, eaque ab eodem Doctore ardentius excitata, non obscure significant duo: imprimis enim Adelmannus non Leodii, sed Carnuti literis operam dedit in Schola Fulberti. Quorsum autem Carnutum concessisset adepturus scientiam, quam Leodii nullo negotio potuisset adipisci? Deinde Maurilii epitaphium, & Algeri magisterium, quibus Leodiensis Schola magnopere prædicatur.

CAPUT XXVI.

Schola Ramesensis.

Non tempus quidem, sed propagationis & sobolis ratio fecit, ut Floriacensi Scholæ Schola Ramesensis in Anglia conjungeretur. Qua de re sic Aimoinus in vita Sancti Abbonis, capite 4. *Interea legatio gentis Anglorum ad Floriacense venit cœnobium, postulans aliquem sibi sapientum concedi virorum. Eadem quippe natio ad amorem Sancti Patris Benedicti, memoratique loci duabus ex caussis maxime accessit: una quidem, quia beatus Papa Gregorius missis ad eam convertendam fidei Christi prædicatoribus, ejusdem dilecti Domini Benedicti Regulam observandam specialius inculcavit: alia qui-*

quidem, eo quod vir quidam magnæ apud eos nobilitatis, Oſwaldus vocabulo, ſpreto ſæculo adſerviendum Chriſto in memorato Floriaco converſus eſt cœnobio: ex quo ob bonæ vitæ meritum a Rege ipſius provinciæ ad Archiepiſcopatus aſſumptus gradum, Deo ac patrono ſuo Sancto Benedicto in regione Anglica conſtruxit monaſterium. Ex illo itaque cœnobio hi fuêre legati, quos ad Floriacum adveniſſe ſuperior retulit ſermo. Præerat per id tempus ſanctæ Floriacenſi congregationi reverendus pater Oiboldus, vir ſecundum ſæculi dignitatem genere ac moribus clarus, qui non tam imperioſa auctoritate, quam manſueta verborum lenitate ab hoc beato exegit viro Abbone, quatenus ad inſtruendas ejusdem nationis hominum mentes divina atque humana ſapientia, qua ipſe inſigniter pollebat, ire non recuſaret. Cui ille juſſioni haud ſegnis executor factus obedientiæ ſibi familiaris intuitu, quo nitebatur, proficiſci non diſtulit. Deinde cap. 5. *Tandem poſt longos terræ ac maris excurſus, Anglorum intravit fines. Primum itaque omnium Rameſenſe Sancti Benedicti adiit cœnobium. Sic enim appellabatur ille locus, qui a venerabili Oſwaldo illis in partibus eſt fundatus, cujus ſuperius mentionem fecimus. In quo qui Abbatis fungebatur officio, Germanus dicebatur vocabulo, & ipſe ad tanti gradus honorem ex hoc ſacro Floriacenſi aſſumptus monaſterio: ubi dum Sanctus Domini Abbo per duorum ferme annorum moratur ſpatium, aliquos Monachorum ſcientia imbuit literarum.* Et poſt alia: *Pontificum venerabilium ſæpe, nominatim Oſwaldi, ac*

beatæ memoriæ Dunstani, amica sibi familiaritate usus est. Dunstanus ad annum 988. cum ex hac hominum colluvione discesserit, certissimum est indicium, ante illud tempus Abbonem nostrum solvisse in Angliam, & Ramesensem instituisse Scholam, quæ verissima proles est Floriacensis cœnobii. Quod igitur non ita pridem Alcuinus Gallis præstiterat, id Anglis Abbo noster repensavit, atque par pari datum hostimentum est.

CAPUT XXVII.

Schola Augiensis.

RECeptam dudum Scholæ Augiensis dignitatem prædicat Auctor vitæ Sancti Wolphangi Ratisponensis Episcopi, cap. 3. *Itaque cum septem plus minus annos natus esset, parentes ejus cuidam e Clero eum tradiderunt, ut ab eo literis institueretur.* Et paulo post: *Quamobrem non contentus in Scholis trivialibus aut privatis erudiri, patre deducente, eo sibi properandum statuit, ubi tum infra Germaniæ fines maxime florerent studia literarum, ad Augiense monasterium se contulit, ubi libenter & comiter exceptus est, quod fama ingenii ejus eo pervenisset, brevique tempore tantos fecit in doctrina progressus, ut ipsis præceptoribus, qui acumen illius jam præsentirent, admirationi esset.* Iterum cap. 4 *Per id tempus eo in loco degebat studii causa Henricus quidam illustri Francorum & Suevorum stemmate clarus. Is Wolphangum præcipuo sibi amore devinciens, obnixe eum precabatur, ut secum*

ſecum Herbipolim, vulgo Wirceburgum, proficiſceretur. Ejus enim Henrici frater Boppo Eccleſiæ Wirceburgenſis Epiſcopus erat, & Stephanum quendam virum doctum ex Italia doctrinæ cauſa accitum Scholæ præfecerat, qui omnes illos literis operam dare volentes accurate erudiret. Wolphangus autem anno 994. cum obierit, vel, ut alii volunt, anno 999. & ſederit Epiſcopus duobus & viginti annis, ſub annum 860. ad Augienſis monaſterii Scholam mitti debuit, quæ tunc & auditorum frequentia, & diſperſa Profeſſorum exiſtimatione literarios adoleſcentes undequaque accerſivit.

His acceſſerunt duo, quæ hujus Scholæ famam cumularunt. Unum eſt, Berno Augienſis Abbas, quem Scholæ præpoſitum fuiſſe non dubito. At quis & qualis fuerit, cum alii plures, tum maxime Trithemius ſcribit in Catalogo Scriptorum Eccleſiæ. *Vir*, inquit, *in divinis Scripturis doctus, & in ſæcularibus literis valde nobiliter eruditus, Muſicus & Poeta nulli ſuo tempore ſecundus, vita & converſatione præcipuus.* Hæ ſunt animi dotes & ornamenta, quibus magiſtrorum fama, & auditorum multitudo comparatur. Alterum, Augienſem Scholam aliquando ſuppeditaſſe Monachos, qui ceteris in locis præceptorum penuriam ſupplerent.

CAPUT XXVIII.

Schola Lobienſis.

LObienſis monaſterii Scholam celebrem effecerunt quatuor imprimis viri celebres, Herigerus, Al-

Albertus, Burchardus & Adelbodus, qui in ea eruditi ceteros optimarum artium disciplinis erudierunt. Huic rei fidem præstat Trithemius tam in libro 2. de viris illustribus Ordinis Sancti Benedicti, quam in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. De Herigero sic meminit in libro illo 2. cap. 63. *Herigerus Abbas Lobiensis, vir suo tempore famosus & undecunque doctissimus, tam in divinis, quam in sæcularibus studiis eruditus, non solum apud Gallos in pretio habitus, sed etiam apud Romanos, Italos & Germanos excellentis opinionis.* In libro de Scriptoribus Ecclesiasticis hæc de Alberto notat: *Albertus Monachus Lobiensis, & postea Gemblacensis cœnobii Abbas, præceptor Burchardi Wormatiensis Episcopi, vir in divinis Scripturis doctus, & in sæcularibus literis valde eruditus, cum adhuc Monachus esset, apud Lobias publicam Scholam Monachorum tenuit, in qua Burchardum una cum aliis in utraque literatura erudivit.* Burchardi vero nomen & gloriam ibi hoc attingit modo: *Burchardus ex Monacho Lobiensis cœnobii Ordinis Sancti Benedicti, Episcopus Wormatiensis in Germania, Alberti Gemblacensis Abbatis apud Lobias quondam auditor atque discipulus, vir in divinis Scripturis studiosissimus & valde eruditus.* Postremo Adelbodum prædicat libro 2. de viris illustribus Ordinis Sancti Benedicti, cap. 64. *Adelbodus,* inquit, *Monachus Lobiensis, Trajectensis postmodum Episcopus, vir in divinis Scripturis eruditissimus.* Hi sunt potissimum, quibus ante annos sexcentos Lobiensis Schola claruit, & nomen suum in

in sempiternam orbis terræ memoriam disseminavit.

CAPUT XXIX.

Schola Mediolacensis.[1]

TRibus in locis Scholam Mediolacensem prædicat Joannes Trithemius, & primo quidem in Catalogo virorum illustrium, qui suis ingeniis & lucubrationibus Germaniam exornarunt. *Remigius*, inquit, *Monachus & Abbas Sancti Luthuini Mediolacensis, Ordinis divi patris Benedicti, Treverensis diœcesis, vir in divinis Scripturis studiosissimus & valde eruditus, atque in sæcularibus literis nobiliter doctus, ingenio subtilis, eloquio disertus, vita & conversatione devotus, Philosophus, Poeta & Musicus omnium suo tempore longe præclarissimus, tantæ scientiæ & eruditionis fuit, ut ex omni Germania & Gallia discipulos clarissimos suo magisterio instituendos subdiderit, e quibus multi ad Ecclesiasticum regimen in diversis mundi regionibus leguntur assumpti, alii in Abbates, alii in Episcopos consecrati.* Deinde in Chronico Hirsaugiæ ad annum 1000. *Claruit etiam iisdem temporibus Remigius Abbas Mediolacensis nostri Ordinis in diœcesi Treverensi, vir in Scripturis divinis studiosissimus, & in sæcularibus literis egregie doctus, qui publicam in suo cœnobio Monachorum Scholam tenuit, in qua non solum suos subditos, sed etiam ex diversis aliis cœnobiis Monachos ad se missos erudivit.* Tum demum in eodem Chronico ad annum 952. Medio-

diolacense monasterium in eorum numero collocat, quæ aliis monasteriis præceptores nonnunquam suppeditarent. Quod Schola hæc præstare non potuit, nisi præceptorum copiam haberet.

CAPUT XXX.

Schola Trajectensis.

QUo tempore Henricus I. Othonis I. pater optimus regnavit in Germania, florere debuit, cum imbuendus literis ad eam missus fuerit Othonis hujus frater Bruno, qui postea Coloniensem Ecclesiam magna cum laude & sanctitate rexit. Quis enim sibi persuaderet, Henricum principem sapientissimum eo misisse filium, ubi literis imbui ad plenum & perfectum nequivisset? Audiendus igitur est Rogerus seu Rotgerus, qui vitam Brunonis edidit, & de illius institutione prima capite 4. scribit his verbis: *Eo tempore generosa Regum proles annos circiter quatuor habens, liberalibus literarum studiis imbuenda Baldrico Episcopo, qui adhuc superest, Trajectum missa est. Ubi cum ipse disciplinabiliter, utpote bonæ indolis puer, ingenio sagaci proficeret, invisa Nortmannorum barbaries quasi per hujusmodi obsidem nonnihil refriguit, & Ecclesiæ demum ceteraque ædificia, quorum ruinæ vix extiterant, hac occasione restauratæ sunt; ita nulla ætatis suæ spatia absque utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ transibat. Per ipsum enim, licet adhuc inscium, jam Christianus populus ab hostibus liber in ejus laudibus exultabat. Deinde ubi prima Gram-*

Grammaticæ artis rudimenta percepit, ſicut ab ipſo in Dei omnipotentis gloriam hoc ſæpius ruminante didicimus, Prudentium Poetam tradente magiſtro legere cœpit, qui ſumma fide intentioneque Catholicus, & eloquentia veritateque præcipuus, & metrorum librorumque varietate eloquentiſſimus, tanta mox dulcedine palato cordis ejus complacuit, ut jam non tantum exteriorum verborum ſcientiam, verum intimi medullam ſenſus, & nectar, ut ita dicam, liquidiſſimum, majori quam poſſit dici, aviditate hauriret. Poſtea nullum fuit ſtudiorum liberalium genus in omni Græca & Latina eloquentia, quod ingenii ſui vivacitatem aufugeret. Hæc ille ad annum 1040. quo Baldricum Brunonis præceptorem vocat Epiſcopum, non quod tunc fuerit Epiſcopus, cum Brunonem liberales artes doceret; ſed quod Baldricus fuerit Epiſcopus, cum Rotgerus vitam Brunonis compoſuit. Baldrici virtus & ſcientia jam pridem perfecerant, ut ille a Leodienſibus in Epiſcopum optaretur. Adelbodus Trajectenſis Epiſcopus, qui res ab Henrico Brunonis patre geſtas literis mandavit, Scholam hanc vel inſtituit, vel inſtitutam a deceſſoribus Ansfrido & aliis fovebat, quam deinceps Baldricus rexit, & regendo Brunonem & ceteros ad optimarum artium ſtudia informavit. Radbodus inter deceſſores audit vir literate peritus, ut in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis obſervat Trithemius. *Radbodus*, inquit, *XIV. Epiſcopus Trajectenſis, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis valde eruditus, & ſæcularium literarum non ignarus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus,*

rus, vita & conversatione sanctissimus, multis & vivus & mortuus miraculis coruscavit. Hunc in omnibus literis humanitatis Nauno Philosophus doctissimus instruxerat, qui advocatus in palatio Regis Caroli Grossi fuit, & postea monasterium ingressus, tandem Episcopus consecratus Ecclesiam Trajectensem in gravi persecutione Danorum annis 17. strenue gubernavit, &c.

Ad eam Scholam non multo post Rupertus Abbas pertinuit, ut ex ipsomet discimus, qui in epist. ad Cunonem Segebergensem Abbatem commentariis in Genesim præfixa de se ita loquitur: *Proinde actum est per providentiam Dei & Patris, (sine quo nec passer unus cadit) ut ad notitiam venirem tuæ charitatis & fidei, utque postmodum migraturus ab hoc sæculo pater meus, vir vitæ venerabilis & sapientiæ memorabilis, Berengarius, Abbas Sancti Laurentii in publico monte Leodii, me tuæ committeret fidei, tanquam pupillum tutori. Solus enim is, qui nunc successit ei, vir fidelis & prudens Heribandus, qui & ipse literarum peritus pueritiæ meæ magister extitit, illud usque non possit mihi patrocinari, quo, sicut scis, invidia pervenerat nominis mei.* Joannes Trithemius accedit in breviculo vitæ Ruperti: *Rupertus Abbas Tuitiensis monasterii juxta Coloniam Agrippinam, Ordinis Sancti Benedicti, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis Spiritu sancto per visionem illustrante doctissimus, & sæcularium literarum non ignarus, Monachus Sancti Laurentii Trajectensis, propter incredibilem eruditionem suam a Friderico Coloniensi Archi-*

epi-

episcopo inde assumptus, & in Abbatem Tuitiensis monasterii sublimatus, multa præclara opuscula composuit. An autem Baldricus successores habuerit complures, ex scriptis, quæ ad nos pervenerint, affirmari non potest.

CAPUT XXXI.

Schola Parmensis.

ILlustris jam erat, vel certe reddita est illustrior, cum Petrus Damianus ad eam studendi causa felicibus auspiciis accessit. Id ipse monimentis consignat suis, cum in libri 2. epist. 17. scribit ad Desiderium Abbatem & Cardinalem: *Enim vero cum apud Parmense oppidum degerem, ibique liberalium artium studiis insudarem, quiddam me contigit nosse, quod non inutile videtur ad posterorum notitiam styli currentis articulo tradere.* An autem Schola hæc quæ nominis tanti discipulo gaudere merito potest, diu multumque perstiterit, invenire non potui. Sæpe numero accidit, ut Sacerdotum primi & secundi ordinis, Abbatum & Monachorum vel inscitia vel negligentia florentes Scholæ in solitudinem abierint.

CAPUT XXXII.

Schola Babenbergensis.

EMinebat tunc temporis, cum Hanno, qui postea Coloniensis factus est Antistes, ad eam optimarum artium studiis vacaturus perrexit. Id ex Lamber-

berto Schafnaburgensi discimus, cum in Chronico de rebus Germanorum ita scribit anno 1077. *Is in Babenbergensi Ecclesia in ludo tam divinarum, quam sæcularium literarum enutritus, postquam adolevit, nulla commendatione majorum, (erat quippe loco mediocri natus) sed sola sapientiæ ac virtutis suæ prærogativa Imperatori Henrico innotuit: a quo in palatium assumptus, brevi apud eum præ omnibus Clericis, qui in foribus palatii excubabant, primum gratiæ & familiaritatis gradum obtinuit, hoc præcipue diligentibus in eo omnibus bonis, quod justi ac recti admodum tenax erat, atque in omnibus causis pro suo tum statu, non adulando ut ceteri, sed cum magna libertate obloquendo justitiæ patrocinabatur.* Dubitari vix potest, quin Henricus Imperator cum anno 1007. Babenbergensem fundavit Ecclesiam, ibi florentem Scholam non instituerit. alioqui fundatæ recens Ecclesiæ pars maxime necessaria defuisset. Non defuit, cum Hanno noster numerari possit inter illos, qui primi perfecti e Babenbergensi ludo prodierint. Hic enim cum jam Goslariensis Ecclesiæ præposituram administrasset anno 1056. creatus est Coloniensis Archiepiscopus, ut Hermannus Contractus in Chronico tradit: *Herimannus*, inquit, *Agrippinæ urbis Archiepiscopus obiit: pro quo Hanno Goslare prius præpositus, in Archipræsulatum successit.*

CAPUT

CAPUT XXXIII.

Schola Colonienſis.

NOn ortum, ſed progreſſionem ſuam objicit apud Ægidium Leodienſem Aureæ-VallisMonachum, qui Leodienſium Pontificum geſta ab Anſelmo Leodienſi Canonico deſcripta additamentis pluribus adornavit. Sic enim de Eraclio Leodienſi Epiſcopo loquitur ad caput 47. *Hic claro Saxonum ſanguine oriundus, apud Coloniam Agrippinam ad literarum diſpoſitus rudimenta, tantam poſtmodum in divinis æque & humanis aſſecutus eſt ſcientiam, ut ſummis par eſſe Philoſophis cenſeretur.* Eraclius tantam non potuit in divinis æque & humanis aſſequi ſcientiam, niſi magiſtris docentibus, qui Coloniæ Scholam regerent.

Ad hanc Scholam pertinent, quæ Lambertus Schafnaburgenſis de Hannone Colonienſi Archiepiſcopo ſcribit in Chronico de rebus Germanorum. *Duas,* inquit ad annum 1075. *Coloniæ congregationes Clericorum ex integro propriis impenſis inſtituit. Unam in loco, qui dicitur ad gradus, titulo Sanctæ Mariæ; alteram foras murum, titulo Sancti Georgii Martyris.* Et paulo poſt: *Interea contigit, ut pro cauſa rei publicæ Romam pergeret. Cumque alias Italiæ regiones peragraret, Principes ejus regni ne a Principe deficerent, ſuis exhortationibus confortaturus ad monaſterium quoddam, cui Fructuaria nomen eſt, cauſa orationis divertit. Ibi admiratus Monachorum arctiſſimam*

& secundum regulæ instituta conversationem, nonnullos eorum in opere Dei probatissimos secum rediens abduxit, & eos ad tradendam Galliis ejusdem disciplinæ formulam in Sigeberg constituit, prioribus Monachis, quos ex Sancto Maximino asciverat, quoniam in horum instituta concedere noluerant, honorifice in locum suum remissis. Quod ejus factum imitantes ceteri Galliarum Episcopi, alii ex Gorzia, alii ex Cluniaca, alii ex Sigeberg, alii ex aliis monasteriis Monachos evocantes, novam divini servitii Scholam in suis singuli monasteriis instituerunt. Inter hæc Hanno Scholas non potuit non erigere & fovere, ut alios ad id facti genus exemplo suo cohortaretur.

CAPUT XXXIV.

Schola Hirsfeldensis seu Herveldensis.

QUin a Ruthardo, cum ex Corbeiensi Monacho factus est Abbas Herveldensis seu Hirsfeldensis monasterii, restituta vel continuata fuerit, vix dubito. Restituta quidem, quod eam olim Strabus Fuldensis Monachus eam rexerat, ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico tradit ad annum 811. *Quoties idoneum ad hanc subeundam provinciam* (regendi Scholas) *in suo cœnobio Monachorum Abbas minime haberet, de alio monasterio petere aptum, non erat verecundum. Sic namque doctissimus ille Monachus Gemblacensis Sigebertus multo tempore in cœnobio Sancti Vincentii Metensi Monachorum præceptor, quamquam de alio monasterio,*

ſterio, fuit. Ita Strabus Monachus Fuldenſis in Herſfeldia, Notgerus Sancti Galli in Stabulenſi. Continuata vero, cum Ruthardus ipſe, ut ſcribit Trithemius ad annum 1058. *multo tempore Scholæ monaſticæ in Corbeia publice præfuit, & eruditos poſt ſe diſcipulos reliquit.* Lambertus accedit, qui eum ab eruditione & magnis ingenii dotibus commendat. Sic enim de eo ſcribit in Chronico de rebus geſtis Germanorum anno 1074. *Ruthardus Abbas Herveldenſis monaſterii 5. Idus Junii deceſſit: vir in ſacris Scripturis apprime eruditus, & ſic ad loquendum expeditus, ut nemo illa ætate verbum Dei copioſius, nemo ſubtilius, nemo elegantius tractaret.* His autem de Ruthardo ſic obſervatis, credibile eſt omnino, eum in Herveldenſi monaſterio vel reſtituiſſe, vel continuaſſe ſtudium optimarum artium, quas profeſſus ante fuerat, & quibus teſte Lamberto æquali præcellebat.

CAPUT XXXV.

Schola Treverenſis Sancti Matthiæ.

HUjus Scholæ monumenta ſuggerit Trithemius in Chronico Hirſaugiæ, atque imprimis quis fuerit Theodorus Sancti Matthiæ Trevirenſis Monachus, exponit his verbis ad annum 1000. *Floruit etiam his temporibus Theodorus Monachus Sancti Matthiæ Treverenſis, contemporaneus Theodorici Monachi ſupradicti condiſcipulus, vir moribus & ſcientia illuſtris, qui Scholæ publicæ multis annis in eodem cœnobio glorioſe præfuit, & varia*

ſcribendo ingenium poſteris notum facere curavit. Hic poſt multos in ſancta religione labores ad Dominum remunerandus felix migravit, cui hoc epitaphium diſcipuli poſuerunt:

Theodori Monachi pauſant hic membra ſepulti,
Qui pietate vigens, ſimplicitatę cluens,
Presbyter officio, quod complens ordine certo,
Fervebat ſummi laudibus in Domini.
Prudens & doctus, nulli pietate ſecundus,
Totum quod didicit, mox aliis retulit,
Ut ſibi commiſſum bene collaudando talentum,
Centuplicet juſtus, atque pius Dominus.
Tranſiit in Nonis felici fine Decembris,
Pro quo poſce Deum, qui legis hunc titulum.

In Theodoro vel Theodorico non Scholæ initium, ſed progreſſum agnoſcimus. Hi enim in eadem Schola cum literis operam dederint, alios, qui publice docerent, fuiſſe magiſtros oportet. An autem ex iis unus extiterit Goſcherus hujus cœnobii Monachus, qui Theodorum vel Theodoricum inſtituerit, vel qui a Theodoro inſtitutus fuerit, non facile pronunciarim. Sed Trithemius certiſſime tradit, Goſcherum e Schola Sancti Matthiæ politum evaſiſſe, & illuſtribus ſcriptis ampliſſimum eſſe nomen apud poſteros conſecutum. Omitto Lambertum de Legia, hujus cœnobii Monachum, quem virum undequaque doctiſſimum, Philoſophum, & Rhetorem, Muſicum, & Poetam clariſſimum Trithemius appellat.

CAPUT

CAPUT XXXVI.

Schola Bremensis.

IMperante Othone primo, Schola Bremensis plurimum eluxit. Ad eam pluribus ex locis instituendi juvenes mittebantur. Hoc semel atque iterum & tertio docet Adamus Bremensis Ecclesiæ Canonicus in opere, quod de Historia Ecclesiastica gentis suæ composuit. Et primo quidem cap. 57. alias 6. *Quo in tempore* (Othonis Imperatoris) *Bremæ claruit Cilhardus, vir spontanea paupertate clarus, Ecclesiæ præpositus, & regulæ canonicæ custos, tunc & Scholas Ecclesiæ florentissimo studio rexit, ut Adhelmus, qui fuerat magistri Octrici Magdaburg discipulus.* Deinde cap. 77. alias 26. *Claruit tunc in Dania felicis memoriæ Odinkar senior, qui in Finne, Seland, Sconia, ac in Suedia prædicans, multos ad Christianam fidem convertit. Ejus discipulus & nepos fuit alter Odinkar junior, & ipse nobilis de regio semine Danorum, dives agri, adeo ut ex ejus patrimonio Episcopatum Ripensem narret fundatum esse. Quem dudum Scholis Bremæ traditum Pontifex Adaldagus suis manibus baptizavit, suoque nomine Adaldagum vocavit.* Postremo cap. 132. alias 15. ubi mentio fit Osmundi, *quem dudum Sigifridus Nordmannorum Episcopus, Bremæ Scholis docendum commendavit.* Albertus Crantzius posteaquam in Metropolis lib. 3. narravit, quæ Adamus in cap. 77. alias 26. narrat, continuo subjicit: *Quippe apud insignes Ecclesias ab antiquo*

tiquo docti viri fovebantur, qui publicas Scholas sustinerent, priusquam publica Gymnasia, quæ nunc multa florent, per Christianismum erigerentur. Quæ res apud nostrates pene hesterna est. Nam nulla est in Saxonia publica Schola, quæ centesimum longe superet annum. Hæc autem Schola suam posset originem repetere a Caroli Magni tempore, quo fundata est Bremensis Ecclesia. Nam facile credi potest, Sanctum Willehadum; qui Bremensibus & finitimis gentibus importavit Evangelium, instituisse Scholam, in qua Christiani recentes alerentur, optimarumque artium studiis perpolirentur.

CAPUT XXXVII.

Schola Tullensis.

HUjus Scholæ initium, quam celebritatem difficilius est invenire. De initio quod dicam, nihil habeo. De celebritate, quæ huc in medium adducam, suggerit sat multa liber 1. vitæ Sancti Leonis IX. Imprimis cap. 2. *Quem* (Leonem) *congruo tempore ablactatum Bertoldo sanctæ Tullensis Ecclesiæ Antistiti tradidit jam quinquennem liberaliter educandum, literarumque studio imbuendum. Qui videlicet Bertoldus genuinæ honestatis sectator mirabilis prædecessoribus suis Leucam urbem filiis nobilium nobilitavit, in diversis speciebus thesauros ejus & decus valde ampliavit, ædificiis quamplurimis decoravit, literalis exercitii personis adimplevit.* Deinde cap. 3. *Ejus quidem collegæ*

legæ quamvis eo majusculi extiterint duo Adalberones contribules sui, ex quibus prior immaturo est hinc raptus exitu, Ducis videlicet filius; alter autem Hizilonis Ducis germanus, ac Frederici eximii principis natus, sub Scholarum magistro magister nepotuli sui Brunonis constitutus, quia tunc pro tempore habebatur sciolus. Denique cap. 4. *Hinc ergo tali collegæ indivisibiliter gemino connexus affectu, spectabilis puer insistebat literarum Gymnasio, deque liberalitate sua sibi congaudebant mutuo. Quibus etsi adhærebant nobilia examina puerorum, ipsi tamen duo omnibus suis consodalibus præminuerunt tam capacitate liberalium studiorum, quam honestorum excellentia morum. Nempe ut primum competit rudibus decurso artium trivio, non solum claruerunt prosa & metro, verum & forenses controversias acuto & vivaci oculo mentis deprehensas expediebant, seu removebant sedulo; quique quadruvium naturali ingenio vestigantes degustarunt, atque non minimum in ipso quoque valuerunt, sicut sequentia ex parte indicabunt.* Ex his autem quanta claritate fulserit Tullensis ludus, satis apparet. Nam sive multitudinem, sive nobilitatem Scholarium consideremus, reliqua fere omnia Gymnasia post se reliquit. Bruno, qui primum Tullensis Episcopus, deinde Romanus Pontifex factus est Leo IX. & Adalberones illi duo, quorum injecta est mentio, Tullense Gymnasium ita commendant, ut nihil fere supra esse posset, si Adalberones tanta, quanta Leo, vitæ sanctitate præcelluissent. Ceterum quid sit quadruvium illud,

in quo Tullenses Scholastici sese mirum in modum exercuerint, annotandum est. Joannes Scotus, seu Erigena, qui sub Carolo Calvo vixit, quadruvii naturam sic exponit in libri de prædestinatione cap. 1. *Cum omnis piæ perfectæque doctrinæ modus, quo omnium rerum ratio & studiosissime quæritur, & apertissime invenitur, in ea disciplina, quæ a Græcis Philosophia solet vocari, sit constitutus, de ejus divisionibus, seu partitionibus quædam breviter edisserere necessarium duximus. Sic enim, ut ait Sanctus Augustinus, creditur & docetur, quod est humanæ salutis caput, non aliam esse Philosophiam, id est sapientiæ studium, & aliam religionem, cum hi, quorum doctrinam non approbamus, nec sacramenta nobiscum communicant. Quid est aliud de Philosophia tractare, nisi veræ religionis, qua summa & principalis omnium rerum causa Deus & humiliter colitur & rationabiliter investigatur, regulas exponere? Conficitur inde veram esse Philosophiam, veram religionem, conversimque veram religionem esse veram Philosophiam, quæ dum multifariam, diversisque modis dividatur, bis binas tamen partes principales ad omnem quæstionem solvendam necessarias habere dinoscitur, quas Græcis placuit nominare, διαιρετική, ὁριστική, ἀποδεικτική, ἀναλυτική: easdemque Latialiter possumus dicere, divisoriam, diffinitivam, demonstrativam, resolutoriam. Quarum enim prima unum in multa dividendo segregat: secunda unum de multis definiendo colligit, tertia per manifesta occulta demonstrando aperit, quarta composita in simplicia separan-*

rando resolvit. Earum etiam exempla in processu hujus operis, quantum ipsa lux, quæ illuminat cor quærentium se, nobis aditum rerum, quas conamur ingredi, aperuerit, ostendemus. His enim tanquam utili quodam honestoque humanæ ratiocinationis quadruvio ad ipsam disputandi disciplinam, quæ est veritas, omnis in ea eruditus perveniri non dubitat. Id ergo quadruvium dicitur, quod totius Philosophiæ regulas quatuor continet, quibus solvi quæstionem omnem Scotus affirmat.

CAPUT XXXVIII.

Schola Sancti Petri Senonensis.

HUjus Scholæ cognitionem acceptam referimus Trithemio, qui de ea loquitur in Chronico Hirsaugiæ ad annum 1011. *His etiam temporibus claruit Reinhardus Abbas monasterii Senonensis Sancti Petri Apostoli, vir doctus & religiosissimus, qui Monachos in regulari tramite instruens, ad pristinæ conversationis fervorem reduxit. Scholam etiam Monachorum publicam tenuit, & Monachos suos in omnibus literis & scientiis tam sæcularibus, quam divinis ad plenum erudivit.* Ex his vero intellectu difficile non est, hoc in monasterio literarum exercitia fuisse nulla, vel sane perexigua. A quibus enim locis exulat regularis institutio, ab iis artes optimæ quæque ac disciplinæ exulent necesse est. Quo fit, ut Abbas noster Reinhardus non ante Scholam aperuit, quam suum instaurasset monasterium, & meliorem ad frugem Monachos redu-

reduxisset. Nam, ut ait idem Trithemius in Hirsaugiensi Chronico ad annum 990. *etiamsi studium literarum nihil conferret Ordini, quam utilem occupationem Monachorum, esset nihilominus maxima veneratione a nobis promovendum, quia nisi mens hominis claustralis aliquo exercitio occupetur delectabili, in multas & varias miserias dilabitur.* Quod Sancti Patres probe intelligentes, lectionem Scripturarum Monachis omnino voluerunt esse familiarem. An autem hæc monasterii Sancti Petri Senonensis Schola duraverit ad longum, vel breve tempus, mihi plane incompertum est.

CAPUT XXXIX.

Schola Doleiensis.

HÆc Schola pertinet ad eam ætatem, quæ exorientem apud Senones beati Petri ludum aspexit. Trithemius illi his attestatur verbis in Hirsaugiensi Chronico ad annum 1020. *Everbinus Abbas monasterii Doleiensis, quod in diœcesi Treverensi sub honore Sancti Mauritii & sociorum ejus constructum in finibus Lotharingiæ, iisdem claruit temporibus, vir tam in divinis Scripturis, quam sæcularibus literis eruditissimus, qui scripsit vitam Sancti Simeonis Monachi Treverensis, & Scholam in Theologia Monachorum publicam tenuit.* Trithemius, ni fallor, hic loquitur pro more, quo Abbas vel Monachus ab Abbate lectus optimarum artium ac disciplinarum ludum aperiebat, sed quæ maxime ad Deum, causasque altissimas spe-

ſpectarent. Schola hæc quandiu ſteterit, ex aliis monimentis mihi non conſtat.

CAPUT XL.

Schola Carnotenſis.

SCholis illuſtrioribus adnumeranda eſt, idque cum ex aliis, tum ex hoc quoque, quod olim *Academia* dici meruerit. De Carnotenſi quidem Schola plura non occurrunt teſtimonia; ſed quæ ſumus daturi, gravitate ſua paucitatem compenſabunt.

Adelmannus qui ex Leodienſi Scholaſtico Brixienſis factus eſt Epiſcopus, in epiſt. ad Berengarium Carnotenſem Scholam celebri *Academiæ* nomine inſignivit. *Collactaneum*, inquit, *te meum vocavi, propter dulciſſimum illud contubernium, quod tecum adoleſcentulo ipſe ego majuſculus in Academia Carnotenſi ſub noſtro illo venerabili Socrate* (Fulberto) *jucundiſſime duxi.* Qui Carnotenſis Eccleſiæ Scholam vocat Academiam, teſtis omni exceptione major eſt, nec eam hocce ſplendido nomine donare potuit, niſi quæ auditores contineret quamplurimos, & usquequaque ad ſapientiſſimum magiſtrum accerſeret.

Malleacenſe Chronicum Carnotenſis Academiæ Rectori teſtimonium ſic præbet: *Gerbertus docuit Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum, de quo multa ſcripta vel in pagina, vel in cantu ſanctæ Eccleſiæ remanſerunt. Hic iterum Fulbertus docuit Berengarium Canonicum Sancti Martini. Qui iterum*

Bru-

Brunonem Remensem, & alios multos heredes Philosophiæ reliquit. Bruno quidem perfectus Philosophus, Monachus & Eremita apud Calabriam multorum Monachorum pater obiit in Christo. Sic exposita plurium magistrorum serie novimus, quis fuerit præceptor Fulberti, & quorum præceptor Fulbertus & Berengarius.

Fontanellense Chronicum de Carnotensi Schola magnifice loquitur capite 7. *Gerardus, qui fuit Abbas monasterii, Carnoti tempore Fulberti, Præsulis undecunque doctissimi, literas adolescens didicit, ubi Herbertus ex Judæis ortus, sed a puero Christianus, in omni literarum peritia tunc temporis & cantandi arte, vocisque excellentia inter ceteros maxime florebat. Erat enim Regis Francorum Rodberti, & prædicti Fulberti condiscipulus, & Gerberti Philosophi, qui postmodum ex Monacho urbis Remensis tenuit pontificatum. Unde per invidiam quorundam ejectus, ad apicem dignitatis Apostolicæ merito incomparabilis scientiæ demum in urbe Romulea est provectus. Hujus, ut præmissum est, Herbertus doctrinis liberaliter institutus, non multo post Sancti Benedicti disciplinis in monasterio Latiniacensi se submisit regularibus.*

Centulense Chronicum in libri 4. capite 1. *Quia in discendo multum gliscebat recepta a Patre loci, nomine Ingelardo, non minima reverentia digno licentia, longe seposita scrutatus est Scholarum magisteria, more scilicet prudentissimæ apis, quæ circuit diversorum florum arbusta, ut mellis dulcore sua repleat receptacula. Denique multorum experientia*

tia probatum, & liberalibus studiis ornatissimum civitatis Carnotenæ venerabilem Episcopum, ac multo honore vocitandum Fulbertum præceptorem adeptus est atque didascalum: hic ei monitor, hic tam morum, quam literarum fuit institutor. Gaudebat venerabilis Præsul de tanti discipuli solatio, relevabatur tam idonei auditoris industria atque ingenio. Tandem igitur Grammatica, Musica atque Dialectica optime instructum Centulum remittit tyronem amicissimum, jam tunc Sacerdotio ornatum, quem veluti grandem recepit pia congregatio Centulensium. Loquitur de Olberto Monacho, qui discendi cupidus, & auditis jam pluribus magistris, se tandem aliquando Carnutum recepit, ut Fulbertum virum super æthera notum audiret.

Joannes Trithemius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis complexus est, quicquid antiqui de Fulberto prædicare potuerint: *Fulbertus Episcopus Carnotensis, in Scripturis divinis eruditissimus, & in sæcularium literarum disciplinis omnium suo tempore Doctorum doctissimus, Poeta clarus & Dialecticus, multis annis Scholæ publicæ præsidens plurimos doctissimos auditores enutrivit.* In his autem tribus elogiis stabit omne Carnotensis Academiæ decus & splendor, quo Gallicus orbis longe lateque illustratus est. Adjicio Fulberti epitaphium, quod illius operum editor Guillelmus Villerius Parisiensis Theologus ex MS. retulit:

Anno ab Incarnatione Domini 1028. quarto Id. April. obiit dilectus Deo & hominibus pater noster veneranda memoria Fulbertus, suæ tempestatis Ponti-

tifi-

tificum decus, lux præclara mundo a Deo data, pauperum ſuſtentator, deſolatorum conſolator, prædonum & latronum refrænator, vir eloquentiſſimus & ſapientiſſimus, tam in divinis, quam in liberalium artium libris. Qui ad reſtaurationem ſancti templi ſuæ diœceſis, quod ipſe poſt incendium a fundamento readificare cœperat, bonam partem auri ſui & argenti reliquit, & diſciplinæ ac ſapientiæ radiis illum locum illuminavit, & Clericis ſuis multa bona fecit.

Quem tibi Carnotis conceſſit fons bonitatis
Doctrinæ fluvium duplicis egregium,
Pontificum ſidus, Fulbertus fulgidus actu,
Veſtris pauperibus victus & aſſiduus.
Inclauſus jacet hic, factus de pulvere pulvis,
Et præſtolatur ſurgere cum reliquis.
Virtutum cultor, vitiorum mortificator,
Auxiliante Deo præſtitit a puero.
Bis denos annos, atque unum, dimidiumque,
Virgo Maria, tuæ præfuit Eccleſiæ.
Ingreſſurus erat Phœbus poſt lumina ſeptem
Taurum, cum mœſtum deſeruit populum.

E Fulberti ludo politus fuit Petrus Carnotenſis Eccleſiæ Cancellarius, qui & poſt magiſtrum Scholam tenuit, & editis quibusdam operibus famam ad poſteros extendit. Poſſevinus in Apparatu ſacro Petrum ſcripſiſſe paraphraſim in Pſalmos teſtatur. Ego vero in Bibliotheca cœnobii S. Victoris vidi Petri Garnotenſis Cancellarii librum, qui *Manuale de myſteriis Eccleſiæ* inſcribitur. Hic liber multa ſcitu digna continet, & inter alia Canonis

nis Missæ expositionem, quæ nonnulla veteris Theologiæ placita repræsentat.

De alio Fulberti discipulo Ordericus Vitalis in libro 3. Historiæ Ecclesiasticæ hæc scribit: *Ipsam historiam* (Sancti Ebrulfi) *Arnulfus Cantor Carnotensis, Fulberti Episcopi discipulus secundum usum Clericorum hortatu Rodberti Abbatis jam ediderat, & duobus juvenibus Monachis Huberto & Rodulfo a prædicto Patre Carnotum missis primitus cantaverat.* Hæc pauca de multis, quæ alius me diligentior coacervaret.

CAPUT XLI.
Schola Abrincensis.

DUm Henricus primus in Gallia regnabat, Abrincis, quæ & Abrincatæ Gregorio Turonensi dicuntur, in finibus Nortmanniæ literarum studia per aliquod tempus floruerunt. Id cum aliorum, tum maxime Lanfranci postea Cantuariensis Archiepiscopi opera factum est. Quod vita illius testatur in capite I. *Lanfrancus in primæva ætate patre orbatus, cum ei in honorem & dignitatem succedere deberet, relicta civitate, amore discendi ad studia literarum perrexit. Ubi plurimo tempore demoratus, omni scientia sæculari perfecte imbutus rediit. Deinde patria egressus, & Alpes transgressus, in Gallias venit tempore Henrici Regis Francorum, & gloriosi Ducis Nortmannorum Guillelmi, qui Angliam sibi armis subegit, & pertransiens Franciam, quamplures magni nominis Scholares secum habens in Nortmanniam pervenit, & in*

Abrincatensi civitate demoratus per aliquod tempus docuit. Lanfrancus igitur vel erectam invenit Scholam, vel ut eam erigeret, ab Episcopo vel a Duce admissus est. In hujus magistri discipulis libenter ponerem Joannem Rodulphi Comitis filium, qui anno 1061. Abrincensis Ecclesiæ gubernacula suscepit. Hic enim & vir doctus fuit, & Lanfranco carissimus. Doctrinam prædicat Willelmus Gemmeticensis Monachus, Hist. Nortmannorum lib. 7. cap. 38. *Joannes Abrincatinæ urbis Præsul, vir ingenuitate plurimum conspicuus, sapientia spirituali feliciter imbutus.* Et in actis manuscriptis Archiepiscoporum Lugdunensium *dicitur liberalibus imbutus disciplinis.* Quantum vero Lanfrancus Joannem dilexerit, Ordericus Vitalis tradit libro 4. Hist. *Post mortem Antistitis sui Maurilii Rotomagensis Ecclesia Lanfrancum Cadomensem Abbatem sibi Præsulem elegit, & Rex Guillelmus cum optimatibus suis omnique populo libentissime concessit. Sed vir Deo devotus & humilitati studens, tanti primatus sarcinam refutavit, & sibi ad hunc apicem toto conatu Joannem Abrincatensium Præsulem præferre satagit. Porro ut canonice fieret ista conjugatio, Romam adiit, prædictæ ordinationis licentiam ab Alexandro Papa impetravit, sacrum quoque pallium, unde & ipsi & toti Nortmanniæ gloriandum erat, cum licentia deportavit.* Hic autem Joannes cum esset Abrincensis Episcopus, librum de Officiis Ecclesiasticis scripsit, & Maurilio Rotomagensi Archiepiscopo nuncupavit. Hic liber in lu-

cem

cem editus eſt, & multa ſcitu digna continet.

Ceterum Lanfrancus in Abrincenſi Schola tyrocinium poſuit, & Beccenſi Scholæ, quam poſtea inſtituit, magnifice prælufit.

CAPUT XLII.

Schola Beccenſis.

SCholam fere omnium, quas hactenus deſcripſi, celeberrimam aggredior. Lanfrancus in ea regenda viginti per annos tantum operum labore & ſtudio geſſit, ut ſi quis magnitudinem Scholæ cum annis conferat, ætatem ultra putet. Ita enim longe lateque per orbem Chriſtianum famam circumtulit, ut qui res Scholæ illius legunt, non unius Doctoris, vel Scholæ, ſed plurium Doctorum & Scholarum facta diſcant. Infinitus eſſem, ſi vellem ire per omnia elogia, quibus commendatur. Delectum habere non poſſum, quia egregia ſunt ſingula; ſed pauca de multis perſtringam. Milo Criſpinus Weſtmonaſterienſis Abbas, in vita Lanfranci, capite I. *Fuit quidam vir magnus Italia oriundus, quem Latinitas in antiquum ſcientiæ ſtatum ab eo reſtituta tota ſupremum debito cum amore & honore agnoſcit magiſtrum, nomine Lanfrancus. Ipſa quoque in liberalibus ſtudiis magiſtra gentium Græcia diſcipulos illius audiebat & admirabatur. Hic Papia civitate oriundus fuit. Parentes illius ejuſdem urbis cives magni & honorabiles habebantur inter ſuos concives. Nam, ut*

fertur, pater ejus de ordine illorum, qui jura & leges civitatis asservabant, fuit. Lanfrancus humilitatem animi, sermonisque gravitatem in Abbate (Herluino) *plurimum veneratus & amans, Monachus ibi* (Becci) *efficitur.* Quod anno 1042. contigit. Deinde cap. 2. *At Doctor ille maximus in claustro omnem operam impendebat quieti & silentio, cordis sui novalia verbi sacri excolens assidua lectione, irrigans ea dulci, quam sæpe obtinebat, lacrymarum compunctione. Nec oblitus quod Deo in nocturna captione promiserat, postquam factus est Monachus, in discendis Officiis diurnis & nocturnis curam maximam impendere voluit, ut sciret Deo laudis sacrificium persolvere, sicut noverat. Sic per tres annos vixit solitarius, gaudens quod nesciebatur, præter paucos, quibus aliquando loquebatur, omnibus ignotus. Rumor ut hoc factum prodidit, longe lateque protulit, & fama viri præclarissima Beccum & Abbatem Herluinum brevi per orbem terrarum extulit. Clerici accurrunt, Ducum filii, nominatissimi Scholarum magistri Latinitatis, laici potentes, & nobiles viri multi pro ipsius amore multa eidem Ecclesiæ contulerunt.* Tum cap. 4. *Lanfrancus quoque licentia Abbatis sui iterum Scholam tenuit, & ea, quæ a Scholasticis accipiebat, Abbati conferebat, Abbas operariis dabat.* Deinde cap. 7. *De radicibus magnæ illius arboris, quæ in horto suo remanserant, ut per somnium suum viderat, vidit postea prædicandus vir Herluinus pullulantes quasdam virgulas in arbores magnas excrevisse, multos videlicet ad magna bonorum operum incrementa*

per

per illius institutionem accessisse. Arbor fructibus opima fuit venerabilis Anselmus Ecclesiæ Augustensis Clericus, qui Lanfrancum ad Monachatum subsecutus, post eum Prior, post Abbatem Herluinum Abbas Becci, deinde Archiepiscopus Cantuariensis post eundem Lanfrancum fuit. De quo cuncta majora fuerunt, quam nostra oratione referri queant. Arbores fructuum bonorum jocunditate delectabiles fuerunt, Abbas Westmonasteriensis Gilbertus Crispinus, Abbas Cormeliensis Willelmus, Henricus Ecclesiæ Cantuariensis Decanus, Hernostus Roffensis Ecclesiæ Episcopus, & qui ei ad idem officium successit ibidem, vir morum sanctitate admodum reverendus Gundulfus. Hi juvante Dei gratia in Beccensi Ecclesia a magistro Lanfranco edocti, & a sancto Patre Herluino in sancta religione instructi, in Ecclesiis aliis postea honorabiles Patres sunt instituti. Tum demum cap. II. *Sequenti anno cum præfato Archiepiscopo* (Eboracensi) *Romam ivit, & honorifice a sede Apostolica susceptus est: siquidem venienti Papa assurrexisse dicitur, tum pro sua magna religione, & eminenti scientia, tum quia dum esset in Normannia, venientes Romanæ Ecclesiæ ministros honorifice suscipiebat, & quosdam Papæ consanguineos studiose docuerat. Fertur etiam Papa* (Alexander II.) *dixisse: Non ideo assurrexi ei, quia Archiepiscopus Cantuariæ est, sed quia Becci ad ejus Scholam fui, & ad pedes ejus cum aliis auditor consedi. Itaque duo pallia illi dedit, unum, quod de altari Romano more accepit: alterum vero, in indicium videlicet sui amoris, cum quo*

Missam celebrare solebat, Alexander Papa ei sua manu porrexit.

Beccense Chronicum anno 1060. *Audiens igitur* (Anselmus) *famam magistri Lanfranci jam Monachi Beccensis, & Scholas ibidem tenentis & regentis, omnium pene Doctorum nomina præcellere, spreta pro Dei nomine patris & matris multimoda hæreditate, cum aliquantis familiarium Clericis venit ad eum. In cujus Scholis aliquandiu diligenter manens, & sibi & aliis multum proficiens, tandem Lanfranci incitamento, & Maurilii Rotomagensis Archiepiscopi consilio, divina providente clementia, in Beccensi Ecclesia habitum monachalem tota devotione hoc anno suscepit, anno ætatis suæ 27.*

Guitmundus Aversanus Antistes in lib. 1. de Sacramento Altaris. *Sed & tunc*, inquit, *temporis liberales artes intra Gallias pene obsoleverant, novis saltem verborum interpretationibus, quibus etiam nunc plurimum gaudet* (Berengarius) *singularis scientiæ laudem, & cujusdam excellentiæ gloriam venari qualitercunque poterat, affectabat.* Et quibusdam interpositis: *Sed postquam a domino Lanfranco in Dialectica de re satis parva turpiter est confusus, cumque per ipsum dominum Lanfrancum, virum æque doctissimum liberales artes Deus recalescere atque optime reviviscere fecisset, desertum se iste a discipulis dolens, ad eructanda impudenter divinarum Scripturarum sacramenta, ubi ille adhuc adolescens, & aliis eatenus detentus studiis adeo intendebat, sese convertit.* Et post alia: *Ma-*

Magister meus vir eximius sine dubitatione credendus dominus Lanfrancus. Hic igitur Beccensem Scholam non modo instituit, sed & liberalium artium, quæ per Gallias fere obsoleverant, divinarumque Scripturarum studia summa animi contentione excitavit. Quod Lanfranco successit tam feliciter, ut ex locis omnibus infinita auditorum multitudo Beccensem ad Scholam confluxerit. Quod animo haud æquo cum ferret Berengarius, qui docebat tunc temporis, discedentes ad eam discipulos novitate doctrinæ retinere volens, in errores incidit, quos Lanfrancus ipse, Guitmundus, & alii strenue confutarunt.

Guillelmus Malmesburiensis in libro I. de gestis Anglorum Pontificum, qui & qualis Lanfrancus fuerit ita describit: *Lanfrancus gente Langobardus, literatura perinsignis, liberales artes, quæ jamdudum sorduerant, a Latio in Gallias vocans acumine suo expolivit, teneriorem ætatem in sæcularibus deterens, in Scripturis divinis animo & ævo maturuit, quibus edoctus mundi fumos & ampullata gentilium eloquia parvipendens, Monachatus desiderium imbibit, multisque diu locis circumspectis, ex omni Abbatiarum copia Beccum apud Normanniam potissimum elegit, paupertate loci & Monachorum religione captus. Factus ergo ibi Monachus homo qui nesciret agresti opere victum quærere, publicas Scholas de Dialectica professus est, ut egestatem monasterii Scholarum liberalitate temperaret. Exivit fama ejus in remotissimas Latinitatis plagas, eratque Beccum magnum & famosum literaturæ*

Gymnasium. Et post aliquam multa: *Erat tunc temporis in doctrina & mundi sapientia famosissimus, & quem venerabiliter suspiceret Alexander Apostolicus. Honoris maximum fuit indicium, cum Romam venienti sequestrato illo Romani supercilii fastu diligenter assurgeret, professus, hanc venerationem non se illius Archiepiscopatui, sed magisterio literarum deferre: quapropter se fecisse quod esset honoris; illum facere debere quod esset justitiæ, ut pro more omnium Archiepiscoporum Sancti Petri Vicarii vestigiis advolveretur.*

Et post alia, qui & qualis Anselmus fuerit ita describit: *De Anselmo est sermo, qui in Augusta civitate oriundus, quæ se primum transcendentibus Alpes exhibet, mediocritatem natalium in clarissimam famam face virtutum suarum extulit, puer literis institit, pueritiam egressus nunquam vel lasciviori aspectu castimoniam turbavit. Patriam terram exeundi patris ira adolescenti occasionem ingessit: quam cum ille nullo posset lenire ingenio, ne domestica simultas in violationem naturæ transiret, abscessu fefellit suo. Evasis Alpibus, cum volutaret anxius animi quo tenderet, divina dignatio fluctuantem serenavit; Normanniam ad Lanfrancum eundum, cum quo si moraretur, patriæ necessitudine a literarum fomite incolatum lævigaret. Cum ergo Beccum venisset, non aspernanter a Lanfranco susceptus, magnum ei levamentum ad Scholas regendas fuit.* Ecce tibi alterum Scholæ Beccensis præsidium & ornamentum.

Deinde in libro 2. pergit Lanfranci laudes &

Bec-

Beccensis Scholæ gloriam explicare: *Herfastus ne nihil fecisse videretur, ut sunt Normanni famæ in futurum studiosissimi, Episcopatum de Helmahan transtulit ad Tetfordiam, parcæ, ut ajunt, mentis homo, & nonnulla ex parte literis eruditus, quique ante adventum Lanfranci in Normanniam probabilis in eis scientiæ æstimatus sit. Sed eo apud Beccum monachato, cum ubique Scholares inflatis buccis Dialecticam ructarent, Herfastus jam Guillelmi Comitis, postea Regis Capellanus ad famosum Gymnasium magna sociorum & equorum pompa pervenit. Tum Lanfrancus ex prima collocutione intelligens, quam prope nihil sciret, abecedarium ipsi expediendum apposuit, ferociam hominis Italica ferocia illudens. Quo is irritatus per Comitem effecit, ut Lanfrancus Becco Normanniaque omni summoveretur. Sed intercedente Dei gratia, Guillelmi animus pacatus est.* Hic Auctor inde Beccensis Gymnasii frequentiam & celebritatem asserit, inde configit invidiam, quæ ut est virtutis comes individua, Lanfrancum Gymnasii rectorem non parum vexavit.

Guillelmus Gemmeticensis in lib. 6. Hist. Normannorum cap. 3. de Lanfranco, & de instauratis ab eo studiis literarum ita loquitur: *Ortus Italia quidam vir erat, quem Latinitas in antiquum ab eo restituta scientiæ statum tota supremum debito cum honore & amore agnoscit magistrum, nomine Lanfrancus. Ipsa quoque in liberalibus studiis gentium magistra Græcia discipulos illius libenter audiebat, & admirabatur. Is patria egressus quamplu-*

res multi nominis Scholares secum habens in Normanniam devenit. Beccum itaque adiit, quo nullum unquam pauperius æstimabatur, vel abjectius cœnobium. Infra: *Rumor, ut hoc factum* (de Lanfranci monachatu) *prodiit, longe lateque protulit, & fama viri præclarissima Beccum & Abbatem Herluinum brevi per orbem terrarum extulit. Accurrunt Clerici, Ducum filii, nominatissimi Scholarum Latinitatis magistri, laici potentes, & alta nobilitate viri.* Et paullo post ad Anselmum sic accedit: *Ortus igitur ex generosis parentibus in civitate Augusta, quæ contigua est Burgundiæ & Italiæ, per diversa loca studiis literarum operam dando pervenit Normanniam, & in monasterio Becci, ubi tunc temporis magnus ille supradictus Lanfrancus Prioris fungebatur officio, cum aliis conscholasticis ab eodem tam divinis, quam sæcularibus literis instructis, ipsius hortatu & consilio factus est Monachus Becci anno ætatis suæ 27.*

Thomas Walsingamus in hypodigmate Neustriæ ad annum 1097. quidquid est Lanfranci, illius Scholarum, & Anselmi, paucis comprehendit: *Anselmus genere Longobardus, Augustæ civitatis indigena, a puero literas edoctus, cum literis bonos imbibit mores, studens in hoc firmare propositum, ne ab honesto reflecteret animum. Transcendens juga Alpium, in Gallia liberalibus disciplinis studuit per triennium; inde transiens in Normanniam, adhæsit Priori Beccensi publicas Scholas regenti tunc temporis permissu vel jussu Abbatis Herluini.*

Inter

Inter alios e Lanfranci Schola prodiit Ivo Carnotensis postea Episcopus, & celebris sacrorum Canonum collector, ut Robertus de Monte scribit in appendice nova ad Sigebertum, anno 1117. *Mortuus est*, inquit, *hoc anno vir religiosus & magnæ literaturæ Ivo Carnotensis Episcopus. Hic dum esset juvenis, audivit magistrum Lanfrancum Priorem Becci de sæcularibus & divinis literis tractantem in illa famosa Schola, quam Becci tenuit, in qua multi & nobilitate sæculari & honestate morum convenerunt viri præditi, & qui postea ad summum apicem Ecclesiasticæ dignitatis & religionis attigerunt.*

Ceterum hoc caput concludam ipsius Lanfranci testimonio in epistola, quam ad Alexandrum II. scribit, ubi Episcopale onus a se deprecatur. *Rogo*, inquit, *quatenus propter Deum & animam vestram, sicut vestra, cui contradicere fas non fuit, me auctoritate alligastis, sic quoque alligatum abrupto per eandem auctoritatem hujus necessitatis vinculo absolvatis, vitamque cœnobialem, quam præ omnibus rebus diligo, repetendi licentiam concedatis.* Et post pauca: *Meminisse siquidem debetis, nec tradi oblivioni oportet, quam benigne vestros consanguineos, aliosque a Roma scripta deferentes, in præfatis adhuc cœnobiis constitutus sæpe recepi, quam studiose eos pro captu meo, ingeniique ipsorum, tam in sacris, quam in sæcularibus literis erudivi.*

His tantum adjicio Lanfranci epitaphium, quod omni pietatis & doctrinæ laude præstantissimus, Philippus Abbas Bonæ Spei conscripsit:

Vixi-

Vixisti, venerande pater, sapienter & æque.
Vixisti niveus, mors quoque vita tibi est.
Inter divitias pauper, Lanfrance, fuisti:
Divitiis manans, pauperum amator eras.
Per te florentes artes valuere Latinæ,
Gratia de vobis ecce triumphat ovans.
Tu Latios ortu, Gallosque docendo levasti,
Te sibi primatem cardo Britannus habet.
In terra degens cælestia mente petebas,
Exemptus terra, sydera liber adis.
Vel geminos denis obsederat igne diebus,
Prompsit Luna dies, nocte solutus abis.

Hæc est egregia Beccensis Scholæ descriptio, quæ nobis a peritissimo rerum illius temporis auctore ante oculos statuitur. An autem alia fuerit Schola, quæ huic vel eruditionis opinione, vel auditorum multitudine & doctrina componatur, dubitari merito potest. Qui ceteris in nationibus præcellentes ingenio & auctoritate magistri habebantur, advolabant Beccum, ut doctoris Lanfranci fierent discipuli, & splendidissimo discipulorum Lanfranci titulo gauderent. Et sane Beccensem Scholam, quæ adolescentes Alexandri Papæ consanguineos, aliosque Romanos Alexandri literis commendabiles accersiit, ceteris omnibus in orbe Gymnasiis præluxisse necesse est. His ergo fundamentis stat nobilitas hujus Scholæ, quam velut optimarum artium & disciplinarum parentem Roma ipsa suspexit, quam Græcia coluit, quam Europa mirata est universa.

CAPUT

CAPUT XLIII.

Schola Uticensis seu Sancti Ebrulfi.

ENituit per Ascelinum Uticensem Monachum illum, qui ad Berengarium scripsit, ejusque de Eucharistiæ sacramento doctrinam perculit. Id Ordericus Vitalis, & ipse Uticensis Monachus testatur in libro 6. Ecclesiasticæ Historiæ. Verba sunt: *Ascelinus vero senex Uticensem eremum cum paucis pauperibus incolis incoluit, & Ascelinum nepotem suum, atque Guitbertum de Gaccio, & Haimonem de Telleia, aliosque pueros enutrivit, & communes literas, ut in loco illo quotidianum Dei servitium exsolverent, docuit.* At quandiu Schola hæc viguerit, nescio. Sed scio Ordericum Vitalem Uticensi Scholæ vel cœnobio laudis & gloriæ plurimum importasse. Quam enim Ecclesiasticam confecit Historiam, hæc sat præclara est, & multa scitu digna continet, quæ alibi vix reperies. Sed illum audiamus in libri 5. Historiæ ita scribentem: *Radulfus de Monte-Pincionis, dapifer Guillelmi magni Regis Anglorum, se ex toto fideliter Sancto Ebrulfo devovit, & a domno Mainerio Abbate fideliter postulavit, ut aliquis in Uticensi cœnobio Clericus ad Dei servitium idoneus ad monachatum susciperetur, qui pro salute ipsius conjugisque suæ Deum fideliter deprecaretur. Quod & factum est. Nam Dei nutu tunc appetebat monachatum quidam Remensis Scholasticus, nomine Joannes, qui ad curiam Regis ductus prædicto militi suas concessit orationes,*

&

& quos pro Christo passurus erat, labores. Ille vero super hoc exhilaratus palam cunctis pedes ejus humiliter est osculatus. Deinde Monachi prædictum Joannem libenter susceperunt, eoque suscepto valde lætati sunt, quia Grammaticæ artis erat peritus, bonisque studiis usque ad senium pertinaciter intentus. Et post alia: *Et quia ipse multos versus edidit, Vitalis Angligena discipulus ejus super illo versificavit, & inter lacrymas in die dormitionis hujus, tumulatione peracta, carmen hujusmodi composuit:*

Hebdomadas dum tres complesset Martius, atra
Ventis & pluviis migravit nocte Joannes.
Hic Remis natus, de Francis est oriundus,
Ilvertusque pater fuit illi, Poncia mater,
De subulæ lucro puerum quem pavit origo,
Extulit ad celebres ars libertatis honores, &c.

En Scholæ Uticensis celebritas.

CAPUT XLIV.

Schola Cantabrigiensis.

E Normannia solvendum est in Angliam, ubi Cantabrigiensis Scholæ initia sic persequitur incertus Auctor in appendice ad Ingulfum Croilandiæ Abbatem: *Transmisit Joffridus Abbas ad manerium suum de Catehan, juxta Cantabrigiam, dominum Gislebertum commonachum suum, & sacræ Theologiæ Professorem, cum aliis tribus Monachis, qui secuti sunt eum in Angliam, Philosophicis theorematibus & aliis scientiis primitivis instructissimi,*

que-

quotidie Cantabrigiam adeuntes, & conducto quodam horreo publico suas scientias palam profitentes, in brevi temporis excursu grandem discipulorum numerum contraxerunt. Anno vero secundo adventus eorum tantum accrevit discipulorum numerus, tam ex tota patria, quam ex oppido, quod quælibet domus maxima, horreum, nec ulla Ecclesia sufficeret eorum receptaculo. Unde diversis in locis a se divisi, & formam Aureliensis (Floriacensis, opinor) *Studii secuti. Summo mane Frater Odo, Grammaticus & Satyricus illo tempore singularis, pueris & junioribus sibi assignatis legebat Grammaticam juxta Prisciani doctrinam & Remigii in eundem. Ad horam vero primam Frater Terricus, acutissimus Sophista, Logicam Aristotelis juxta Porphyrii & Averrois isagogas & commenta adolescentioribus tradebat. Ad horam vero tertiam Frater Guillelmus Rhetoricam Tullii, Quintilianique flores perorabat. Magister vero Gislebertus omnibus Dominicis diebus & Sanctorum festis in diversis Ecclesiis verbum Dei ad populum prædicans, rudis in Anglicana lingua, sed expeditus & profundus in Latina & Gallicana sua, contra Judaicum errorem maxime disputabat: ferialibus autem diebus literatis ac Sacerdotibus ad ejus auditorium specialius confluentibus ante sextam horam textum sacræ paginæ exponebat. Cumque nonnulli increduli, & adhuc Judaica perfidia cæcati, ad ejus verba in sinum matris Ecclesiæ, relicto penitus suo pristino errore, compuncti accurrerent, & fides Christiana in dies solidior quotidie firmaretur, non modi-*

dicum commodum eorum industria monasterio affluxit in tantum, ut nihil onerantes manerium, sed multum meliorantes aliquo dono centum marcas ad ædificationem suæ Ecclesiæ transmissas ab illis partibus comportarent. Maxime vero ipso venerabili Abbate Joffrido (qui fuerat prior Sancti Ebrulfi in Normannia) in partibus illis suos filios visitante, & sermonem suo more ad populum luculentissime personante, viri & mulieres innumeræ de vicinis oppidis concurrebant. Et paulo post: *Ex isto itaque fonte parvo, qui crevit in fluvium tam magnum, videmus nunc lætificatam civitatem Dei, & totam Angliam factam frugiferam per plurimos magistros doctoresque de Cantabrigia exeuntes, ad similitudinem sanctissimi paradisi.* Accurata delineatio est Cantabrigiensis Scholæ, quam anno plus minus 1060. institutam fuisse ex ætate Gisleberti colligimus. Hunc enim Gislebertum eo tempore vixisse Trithemius scribit in Hirsaugiensi Chronico ad annum 1077. *Claruit enim his temporibus in Anglia Gislebertus Abbas monasterii nostri, quod appellatur West, beati Anselmi discipulus, vir tam in divinis Scripturis, quam in sæcularibus egregie doctus, qui inter cetera ingenii sui monumenta scripsit contra Judæos pulchram altercationem non inelegranti sermone.*

Quando vero ad exemplum Aurelienſis Studii Cantabrigienſe Studium compoſitum eſſe dicitur, propria laus eſt Floriacenſis, ſeu (quod idem eſt veteribus) Aurelienſis Scholæ, ex qua miſſus in Angliam Abbo ſtudia literarum inſtauravit, & quem

quem potuit optimum docendi modum reliquit. Porro de hujus Academiæ exordio & progressione multa tradit Middendorpius: sed ea cum sint admodum nota, auctori suo relinquimus. Legi tamen potest liber 8. Academiarum.

CAPUT XLV.

Schola Laudunensis.

HÆc Schola celebritate sua Beccensem excepit, aut certe quam proxime ad eam accessit, & ceteris fama & splendore non cessit. Fuerunt autem e veteribus eximiæ fidei scriptores, qui Laudunensem Scholam suis ornamentis depinxerint.

Hermannus Monachus libro 1. de miraculis Sanctæ Mariæ Laudunensis, capite 1. *Vir sapientissimus magister Anselmus, tunc temporis Ecclesiæ nostræ Canonicus & Decanus, per totum pene orbem Latinum scientiæ & eloquentiæ suæ fama notissimus, nonnullis secrete colloquens prænunciasse fertur.* Et post alia: *Quemadmodum autem olim Dominus urbem Jerusalem destrui, & filios Israel captivari permittens, ad consolationem tamen paucorum qui remanserunt, Jeremiam Prophetam ibidem cum eis reliquit: sic & nobis in tanta calamitate positis duos sapientissimos viros præsertim, scilicet magistrum Anselmum, germanumque ejus magistrum Radulfum, misericorditer reservavit, qui tam Clericos, quam laicos dulciter consolantes, & diversis sententiis Scripturarum refoventes, ne in tribulationum*

adversitatibus deficerent, exhortabantur. Deinde lib. 2. cap. 12. *Inde venimus ad urbem, quæ dicitur Essecestra, ubi erat Robertus Archidiaconus, qui diu manserat Lauduni pro audienda lectione magistri Anselmi, a quo gratantissime suscepti mansimus ibi per decem dies.* Infra cap. 13. *Inde ergo, sicut dispositum erat, ad ipsam urbem Saresberias pervenimus, ubi honorifice suscepti sumus ab Episcopo ipsius urbis pro notitia magistri Anselmi, quoniam cognati ejus Alexander & Nigellus ad Scholam ejus diu manserant Lauduni.* Infra capite 15. *Ibi* (apud Danavexeriam) *nos plurimum honoravit quidam Clericus nomine Agardus,* (seu Algarus) *qui jam diu Lauduni manserat, quique postmodum in Normannia factus est Episcopus urbis Constantiniensis.* Tum lib. 3. cap. 4. *Post paucos dies vir Dei (Norbertus Laudunum veniens, Scholam magistri Radulfi, qui germano suo magistro Anselmo defuncto successerat) ingreditur, & Scholasticus ejus sermonem exhortatorium faciens, protinus septem ex eis ditissimos, qui nuper de Lotharingia venerant, convertit.* Infra cap. 28. *Protinus ergo generalis conventus Canonicorum & civium convocatur, quid opus sit facto, discutitur, & præ omnibus magister Anselmus tunc temporis urbis lucerna consulitur.* Ex his autem facile colligitur, quam magna fuerit multitudo Scholarium, qui variis ex locis, & maxime ex Anglia, ad Laudunense Gymnasium convolarint.

Guibertus Abbas Novigentinus in epist. qua suos in Genesim commentarios dicat Bartholomæo Lau-

Laudunensium Episcopo: *Indidit tanto Deus capiti duos oculos syderibus clariores, dum a dextris habes Anselmum totius Latini orbis magisterio prædicatum, cujus tam sincera est in Scripturarum ac fidei assertione severitas, ut plures veros suis probetur documentis fecisse Catholicos, quam instituisse potuerit erroneos quispiam temporis hujus hæreticos; altrinsecus Radulfum, cujus ingenii ac doctrinæ sicut a præfato fratre non discrepavit alacritas, ita totius eum bonæ habitudinis æmulatur honestas. Si igitur indigno dignanter auctore auctor es, hos precor post te potissimum schedæ hujus instituas despectores, quorum judiciis tanto animo securiore subsidam, quanto eos comperi partem claudicaturos in neutram.* Deinde libro 3. de vita sua, capite 4. ubi de Galdrici Laudunensis Episcopi electione sermonem habet: *Cum igitur omnes assensum in ejus susceptione dedissent, solus magister Ansellus* (Anselmus) *vir totius Franciæ, immo Latini orbis lumen in liberalibus disciplinis ac tranquillis moribus, ab ejus electione dissentit.*

Philippus Abbas Bonæ Spei duobus in locis. Unus est in epistola 7. *Vos indignamini, quia dixi vos in claustro sacras literas didicisse, tanquam per hoc videar vobis contumeliam intulisse, & commendabilius æstimatis, quod Laudunum discendi gratia requisistis; sed beatus homo, non qui magistrum Anselmum audivit, non qui Laudunum vel Parisius requisivit; sed beatus homo, quem tu erudieris, Domine.* Alter in libro de continentia Clericorum, capite 103. *Divinarum quoque scientiæ*

literarum non caruit, (quidam Clericus cum Monacho disputans de præstantia ordinis sui) *immo se tam studiose in illis exercuit, ut cum de iis aliquando cum eodem Monacho graviter disceptaret, consulta Laudunensium magistrorum auctoritas saniorem ejus sententiam judicaret.* In primo loco Monachi ipsi existimant majori laude & commendatione dignum esse illum, qui Lauduni, quam qui in claustro educatus fuerat. In secundo Laudunenses magistri consuluntur, quorum auctoritate & judicio motæ inter alios controversiæ dirimuntur. Ante hocce tempus nullam memini me legere Scholam vel Gymnasium quamlibet celebre, cujus tam magnifica uspiam inciderit mentio: *Consulta Laudunensium magistrorum auctoritas judicavit.*

Hugo Metellus in epistola 22. MS. quam alias mihi vir clarissimus Jacobus Sirmondus dedit, de suis studiis locutus: *Laudunum petii, & ibi sub magistro Anselmo in veteri & novo Testamento studui.* Ecce tibi, quam Theologiam profitebatur Anselmus,& quam Hugo Metellus didicit Lauduni.

Auctor vitæ Sancti Humberti: *Ob hoc parentes ejus advertentes puerum superna illustratione visitatum, Lauduni viris clarissimis commendarunt sacris literis imbuendum.* Præter Anselmum plures Lauduni fuerunt alii, qui docendæ Theologiæ vacabant. Alioqui neque Humbertus viris clarissimis imbuendus Theologia committeretur, neque apud Philippum Abbatem consulta

Lau-

Laudunensium magistrorum auctoritas responderet.

Rupertus Tuitiensis Abbas Laudunensium Scholam, & ejus magistros tribus in locis prædicat. Et primum quidem in libri de omnipotentia Dei capite 1. cum ait: *Hæc idcirco nunc ad vos dicere incipimus, o magistri temporibus nostris inclyti, Willelme Catalaunensis Pontifex, & Anselme Laudunensis lucifer, quia de vestris Scholis hoc se quidam nostrorum recepisse fatetur, ut diceret, quia Deus malum fieri voluit, & quia voluntatis Dei fuit, quod Adam prævaricatus est: non Scripturarum auctoritatibus, sed vestri nominis magnitudini innititur, traditamque a vobis hujusmodi divisionem longa contentione testatur; voluntas, inquit, mali alia approbans, alia permittens.* Deinde capite 26. cum ait: *Ecce certis accepimus nunciis revera esse quosdam facundiæ Franciæ magistros, qui hoc agerent, & ex præscripto beati Augustini loco vim pene totam præsumerent. Non tamen ille, cujus fides & scientia præ ceteris bono hactenus cum odore in Christi Ecclesia fructificat, Laudunensis Anselmus, sua illos, ut veraciter comperimus, auctoritate corroborat. Custodiat in perpetuum lux veritatis providam præclari viri scientiam, ne temere quod dicendo in hujusmodi ullam suæ gloriæ inferat maculam, & si quando superiori libello respondere dignabitur, ut se facturum promisit, candida veniat nobis columba secus fluenta plenissima juxta aquas Scripturarum incontaminatas.*

Denique in commentario super beati Benedicti

regulam: *Magistri magni ac praeceptores nominati, praeclara totius Franciae lumina, quae ad auditum de cunctis fere provinciis examina discipulorum confluebant, sententiam illam de voluntate Dei emisisse atque constanter defendere ferebantur.* Et quibusdam interpositis: *Ivi in Franciam, ut potissimum contra magistros illos praelium disputationis committerem, quorum tanta super me & contra me auctoritas erat, ut quotiens illius temporis recordor, simul etiam & recordari debeam dicti illius verissimi, quod Sapientia dixit: Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducent: pauper locutus est, & dicunt, Quis est hic? Nam alter eorum magister & Episcopus, alter quovis Episcopo famosior, quamvis ipse non esset Episcopus. Mirum mihimet nunc est illud recordationis meae spectaculum: quomodo solus ego vili asello residens, juvenculus, uno tantum puero comitatus, ad exteras tam longe civitates ad conflictum contra tales profectus sum, quibus adesse & os & ingenium & magnam tam officii, quam magisterii dignitatem noveram, nec defuturum, quod & factum est, ut magistrorum pariter ac discipulorum coetus, quasi non parum conveniret, exercitus ad me audiendum, ad me convincendum. Illud autem magis mirum videtur, quod me ingrediente civitatem jam dictorum, & praecipuus magistrorum ultimum trahens spiritum, statim post ingressum meum vitam finivit. Alter cum quo acerbum habui conflictum, nescio an integrum annum supervixerit.* At cum magnum sit a laudato viro laudari, vel ex his Ruperti elogiis obser-

observari facile potest, qui & qualis Anselmus fuerit, magister inclytus, magnus, præclarus vir, præclarum Franciæ totius lumen. Quæ vero & qualis Scholæ frequentia fuerit ac celebritas apparet, cum ad audiendos præceptores de cunctis fere provinciis discipulorum examina confluerent.

Joannes Victorinus in Memoriali Historiarum inedito, ad annum quo Anselmus Laudunensis obiit: *Per hos enim fratres,* (Anselmum & Radulfum) *sed maxime per Anselmum, magna ex parte revixit literalis scientiæ decus, & intelligentia Scripturarum, de quo dixisse fertur Eugenius Papa, quia Deus spiritum ejus suscitaverat, ne Scriptura periret.* Est hyperbole, qua magna Anselmi dignitas commendatur.

Auctor ille, qui restauratæ Laudunensis Ecclesiæ historiam confecit, nonnullos Anselmi discipulos ita perstringit: *Vir sapientissimus magister Anselmus, tunc temporis Ecclesiæ nostræ Canonicus & Decanus, per totum pene orbem Latinum scientiæ & eloquentiæ suæ fama notissimus, habuit discipulos Abaelardum, Albericum Remensem, & Lotulfum Novariensem, Guillelmum de Campellis, Guillelmum Cantuariensem Archiepiscopum, qui Laudunum petierat pro audienda lectione magistri Anselmi, & in Episcopi domo manserat, ibique filios Radulfi Cancellarii Regis Angliæ docuerat.* Laudunensis ergo Scholæ Rector Anselmus quantæ apud omnes auctoritatis fuerit, tot nobiles inter ceteros discipuli ostendunt. In doctrina & eruditione discipulorum splendet gloria præceptoris.

Succedit Auctor anonymus, qui gesta Lobiensium Abbatum continuavit. Sic ille scribit in laudem Scholæ magistrorum Laudunensium, dum Franconis Abbatis electionem persequitur: *Nulla, ut in talibus assolet, vel dissensionis mora aliqua, vel elationis, Domnus Franco pari omnium electione assumitur, vir a puero religiose educatus, simpliciter conversatus, & in Scripturis undequaque doctissimus. Nam cum adhuc tempore Walteri Abbatis apud nos literarum florente studio, & domesticis apprime rudimentis imbutus esset, ut vas castitatis & innocentiæ, divinæ quoque sapientiæ melle condiretur, Lauduni summorum tunc temporis magistrorum in sacra lectione Scripturarum discipulus factus est: in quo & sui desiderio & utilitati Ecclesiæ, quæ sibi eum jam tunc præparabat, satisfactum est.*

Joannes Saresberiensis, Carnutensium Episcopus, Anselmi dictum quoddam refert, quod inter Christianos memoratu dignissimum est. Id in epistola 202. scribit ad magistrum Richardum Constantiensis Episcopi Archidiaconum: *Me (quod sine timore non eloquor) Dominus ceteris mitius tractat, & uberiori temporalium affluentia consolatur: fortasse indignum reputans, qui aliquid adversitatis pro ipso debeam sustinere. Nulli enim recctum sapienti venit in dubium, quin affluentia successuum debeat esse suspecta; eo quod mundus hominum more fallacium illis solis continuato favore blanditur, quos prodit, ac si insidiantibus adversariis potestatibus clamet. Quemcunque osculatus, & amice*

ami ce diutius amplexatus fuero, ipse de reprobis est, torquete eum. Unde & perpetua laudum gloria illustrium doctorum doctor Anselmus, ut a suis accepi, dicere consuevit, se nihil magis habere suspectum, quam quod eum Deus in tota vita sua nulla corripuerat adversitate.

Postremo Anselmi Laudunensis Decani epitaphium, quod est in Ecclesia Sancti Vincentii ejusdem urbis, summam vitæ illius complectitur:

Dormit in hoc tumulo celeberrimus ille magister,
Anselmus, cui diffusi per climata mundi,
Undique notitiam contraxit, & undique laudem
Sana fides, doctrina frequens, reverentia morum,
Splendida vita, manus diffundens, actio cauta,
Sermo placens, censura vigens, correctio dulcis,
Consilium sapiens, mens provida, sobria, clemens.
Sed quas larga Dei concessit gratia dotes,
Idibus invisis dissolvit Julius ater.
Qua vivens viguit, comitetur gratia functum.

Huc spectat Laudunensis Canonicus ille, qui Ecclesiæ suæ Chronicum confecit, & Anselmi mortem anno 1117. consignavit, indicatis operibus, quæ lucubraverat: *Magister*, inquit, *Anselmus, nominatissimus Laudunensis Decanus, in literatura suis temporibus nulli secundus, morum honestate & consilii maturitate venerabilis obiit. Hic utili stylo & solerti industria, inter cetera opera sua, etiam glossas marginales & interlineares in Psalterio de authenticis expositionibus elimata brevitate ordinavit.*

Porro autem ad Scholæ hujus celebritatem atti-

net potiſſimum inſignis Bibliotheca manuſcriptis bonæ notæ codicibus referta, unde plures exierunt foras, & publica luce donati fuerunt. Qui antiquorum Galliæ Conciliorum tomos numero tres perleget, id facile aſſequetur.

Et hæc ſunt monimenta præcipua, quibus Laudunenſis Schola, & ejus auctoritas aſſeritur & conſtabilitur. Unum inſuper obſervamus ad gloriæ cumulum, ſcilicet Pariſienſem Theologiam e Laudunenſi Schola natam eſſe. Quod ſuo loco confirmabitur amplius, tametſi ſufficiant, quæ ex hiſtoria reparatæ Laudunenſis Eccleſiæ retulimus, ſi ſuis, ut decet, illa momentis expendantur. Quorſum, quæſo, Petrus Abaelardus, & Guillelmus Campellenſis, ut ceteros taceam, Lutetia Laudunum ſe recepiſſent, Anſelmum de rebus ſacris diſſerentem audituri, ſi Lutetiæ magiſtri tunc fuiſſent celebres, qui docuiſſent Theologiam? Nulli erant, tantum abeſt ut celebres fuerint.

CAPUT XLVI.

Schola Andegavenſis.

QUo tempore Berengarius Turonenſes Scholas regere deſiit, & cum pluribus diſcipulis in proximam beati Coſmæ inſulam receſſit, apud Andicavos Schola erigi, literarumque ſtudia florere cœperunt.

Baldricus Burgulienſis Abbas, qui tunc vixit, hujus Scholæ magiſtrorum laudes ſemel atque iterum canit, & cum Andegavenſis ipſe foret, ab illis enutri-

tritum se significat. Nam de Gerardo, qui postquam hac in urbe docuit artes & Philosophiam, Burguliensis factus est Monachus, sic scribit:

Tantum Gerardus laudes dum laudibus auxit,
Quod dignum magnis laudibus Andus habet.
Quantum doctrinis Ciceroque Maroque Latinis,
Nam nobis alter fulsit Aristoteles.
Lux & laus cleri, sol qui sufficerit orbi,
Orbi quadruvium protulit & trivium.
At formatus fuit Abbas Burgulianus,
Qui sibi Gerardum vindicat in proprium.

Gerardus Loduni, sive, ut exarat ipse Baldricus, Lausduni natus erat, illudque oppidulum doctrina sua clarum effecit. Quod alio carmine Baldricus testatur:

Laude tua laudes Lausduni multiplicavit,
Artes exponens commoditate levi.

Celebrat alium magistrum, nomine Frodonem, qui spe lucri & congerendæ pecuniæ gratia profectus est in Angliam, ibique vitam cum morte commutavit. Hæc omnia suis inserit carminibus:

Quod de quadruvio narrat trivioque Latinus,
Id totum Frodo pleniter audieras:
Sollers auditor superaras pene Latinos,
Cum te morte gravi perculit hora brevis.
Raptus ab Andegavis, tumulisque sepultus in Anglis,
Anglos Andegavo pulvere lætificas.

Fro-

Frodonis cineres Angli reverenter habete,
Ac votis animam lætificate suam.

Aliud de eodem:

Frodo, quid prodest te nosse profunda librorum,
Nocte dieque tuus tritus Aristoteles?
Fabula Nasonis tibi quid tot adhæsit in annis?
Quid tibi nunc Cicero, Statius atque Maro?
Hæc tibi, Frodo, simul splendebant aurea secla,
Attamen ista simul abstulit atra dies.
Sacra fames auri te duxit ad Anglica regna,
Litera multa, lucri spes tibi multa fuit.
Indigetis corpus jubet Anglis fletibus Andus:
Lectores subeant cælicolis animam.

Aliud de eodem:

Frodo, labor magnis te vatibus æquipararat,
Quem modo mors umbræ, quæ fugit, æquiparat.
Exul ab Andegavis peragraras impiger orbem,
Literulas rapiens, atque vacans studiis.
Aurea te tandem spes invitavit ad Anglos,
Quo te spemque tuam mors inopina tulit.
Frodo, te plangent, studiis quicunque vacabunt,
Quorum, dum moreris, portio summa ruit.
Mortuus ecce jaces, factus de pulvere pulvis,
Quæso, propitius sit tibi, Frodo, Deus.

Marbodus ille, qui primum Redonensis factus est Episcopus, tum Sancti Albini Monachus, Andegavensem Scholam magna cum celebritate rexit. Qua de re hoc extat monumentum inter Marbodi opera, quæ Redonis anno 1517. in lucem prodierunt: *Universis unius sacrosanctæ Ecclesiæ filiis, humilis congregatio beati Albini Andegavorum Episco-*

ſcopi, plenam de hoſte victoriam, & de victoria coronam. Apoſtolica nos informat auctoritas, ut pro invicem orantes alter alterius onera portemus, & ſic adimplebimus legem Chriſti. Legem igitur Chriſti nos ſervi Chriſti pia ſollicitudine adimplere ſatagentes, denunciamus vobis obitum domini Marbodi, venerabilis Epiſcopi ſemper cum laude memorandi, lingua facundi, religione præcipui, morum honeſtate præclari, literarum eruditione doctiſſimi. Cujus ſermo ſale ſemper, conditus erat, & ex ore illius omni dulcior melle fluebat oratio. Et quamvis eodem tempore variis ſtudiis tota Gallia reſonaret, ipſe tamen oratorum rex Gallicanæ arcem eloquentiæ obtinebat. Tertio ſiquidem Idus Septembris, anno Domini 1123. infirmatus carne, ſed ſpiritu fortior, excedens a ſæculo, vivens in Chriſto, ſua nos viduavit præſentia, & amoris ſui jaculo vulneratos intolerabili confecit. Qui poſt longa liberalium ſtudiorum longe lateque vernantium exercitia, quibus in Andegavenſi civitate, cui famoſus ac nominatiſſimus extitit magiſter, efficaciſſime claruit, electus a reverendiſſimo Papa Urbano in Turonenſi Concilio, ſanctæ ſedis Eccleſiæ Redonenſis, annuente Domino, Pontifex ordinatus eſt; quam ipſe dignitatem, immo onus, accinctus gladio Spiritus ſancti, licet inter barbaros & naturali quadam armatos feritate, per annos 28. fideliter, prudenterque gubernans, ſuperborum colla juſtitiæ cenſura perdomuit, arguendo, obſecrando, increpando, diffidentia pacificavit, tandemque longævo confectus ſenio, ut præmiſſum eſt, in Domino requievit. Ingreſſus itaque viam

viam universæ carnis, mortemque vicinam præsentiens, onere Pontificali deposito, sanctissimi Benedicti habitum humilitatemque suscepit, Monachum professus, beato Albino se tradidit, ac sic exoneratus pauperem Christum pauper & ipse secutus est. Ceterum Marbodo hoc epitaphium posuit Ulgerius, qui anno 1125. Andegavensem Ecclesiam regendam suscepit:

Si quis quantus erat Marbodus noscere quærat,
Postulat hoc, quod ego dicere posse nego.
In toto mundo non invenitur eundo
Velut compar ei nominis atque rei.
Omnes facundos sibi vidimus esse secundos,
Nullus in ingenio par, nec in eloquio.
Cessit ei Cicero, cessit Maro junctus Homero,
Ut dicam breviter, vicit eos pariter.
Per cunctas metas, per quas sua se tulit ætas,
Nulla tibi placuit res, nisi quæ decuit.
Curans ut fieret virtutem quod redoleret,
Transtulit huc studium, transtulit ingenium.
Illic sic noto dedit ejus, sed sine voto,
Christi judicium Pontificum solium.
Hic Præsul factus, nolens licet atque coactus,
Effecit melius, quæ bene cuncta pius.
Æqua mensura mensurans singula jura,
Læsus erat placidus, & rigidus tumidis.
Jugiter orabat, jejunabat, vigilabat,
Quodque sibi minuit, pauperibus tribuit.
Hic tam laudari dignus, tam dignus amari,
Sorte cadens hominum, transiit ad Dominum.

Omnes personæ quæ sunt in relligione,
Ingemuere nimis planctibus & lacrymis.
Nobilitas flevit, nec plebs a flendo quievit,
Tam gemit & plorat, quam bona commemerat.
In cunctis annis mors erit ista Britannis,
Quos vivens tenuit, quos aluit, docuit.
Præcipue Redoni, propriique morte propinqui
Est velut ægra jacens, factaque muta tacens.

Aliud de eodem epitaphium:

Marbodi vita doctrinæ luce perita,
Enituit mundo, sensu fœcunda profundo.
Natus erat, quorum decus extitit, Andegavorum,
Post Redonum turbis & clero præfuit urbis.
Dum studio vixit, quæ prosunt plurima dixit.
Occidit Antistes, facit hæc occasio tristes.
Sed succurrat ei Deus, & societ requiei.

Gerardus igitur, Frodo, Baldricus, Marbodus Ulgerius præcipua sunt lumina, quibus olim Andegavensis Schola emicuit, & in omni scientiarum genere excelluit. Non attingo tempus illud, quo Andegavensis, ut vocant, Academia instituta est. Attingit Middendorpius lib. 6. Academiarum.

CAPUT XLVII.

Schola Cenomannensis.

IN urbe Cenomannica literarum studia floruisse conjicimus ex Hoelo Antistite, qui Hildebertum illi-

illius postea successorem in magistrum Scholarum creavit. Id apprime testatur vetus scheda, quam Franciscus Juretus ad Ivonis epistolam 206. sic retulit: *Venerabilis Hildebertus, ex Lavardensi castro mediocribus, sed tamen honestis ortus parentibus, a domino Hoelo Cenomannensi Episcopo factus magister Scholarum, deinde Archidiaconus, & post decessum domini Hoeli in ejus loco est substitutus.* De ingenio Hildeberti & ejus libris ita loquitur Monachus Autissiodorensis sub ann. 1007. *Florebat hoc tempore Hildebertus, prius Cenomannensis Episcopus, deinde Turonis Archiepiscopus, vir scientia perspicuus, & tam in versificando, quam in dictando peculiarem gratiam adeptus. Indicant hoc diversa ejus opuscula, quæ metrice edidit, & epistolæ, quas ad diversos direxit; quæ omnia miro modo commendat, & elegantia sensuum, & lepos, brevitasque verborum. Unde quidam de eo sic ait:*

Inclytus & prosa, versuque per omnia primus,
Hildebertus olet prorsus ubique rosam.

CAPUT XLVIII.

Schola Gemblacensis.

QUæ Schola aliarum Scholarum penuriæ subvenit, iisque de suis præceptoribus accommodat, paucos habere præceptores nequit. Talis fuit Gemblacensis monasterii Schola, quæ Sigebertum suum in Mediomatricorum civitatem misit, ut in Schola Sancti Vincentii doceret. Sigebertus testis est hujusce rei in catalogo virorum illustrium, cum de

de seipso sic loquitur: *Metis positus in prima ætate in Ecclesia Sancti Vincentii ad instruendos pueros, scripsi vitam Theodorici Episcopi, conditoris Ecclesiæ & Abbatiæ, &c. Regressus ad monasterium Gemblacense, scripsi passionem Thebæorum patronorum nostrorum heroico carmine, &c.* Quæ dum scriberet, Gemblacensis monasterii Scholam moderari non destitit. Id in Chronico Hirsaugiensi affirmat Trithemius ad annum 1120. ubi recensitis illius operibus subdit: *Ita Sigebertus de suo monasterio ad cœnobium Sancti Vincentii Metensis, Ordinis nostri, propter eruditionem suam evocatus, ibidem publice Monachorum Scholæ præfuit aliquandiu, postea in suum revocatus cœnobium, omne tempus vitæ suæ in studio literarum discendo & docendo consummavit.* Igitur tali docente magistro non potuerunt non esse discipuli, qui sive in monasteriis, sive in Ecclesiis omni doctrinæ laude floruerint.

CAPUT XLIX.

Schola Metensis Sancti Vincentii.

Hujus Scholæ nomen, non magistrorum copia, sed penuria spectabile mundo reddidit. Illud ex Hirsaugiensi Chronico discimus ad annum 1120. *Claruit his temporibus Sigebertus Monachus Gemblacensis cœnobii Ordinis nostri, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularibus literis valde eruditus, cujus eruditio & sapientia magnæ opinionis & famæ in tota Gallia Germaniaque*

fuit.

fuit. Et post recensionem operum illius: *Ita Sigebertus de suo monasterio ad cœnobium Sancti Vincentii Metensis, Ordinis nostri, propter eruditionem suam evocatus, ibidem publice Monachorum Scholæ præfuit aliquandiu.* Cujus rei ipse sibi testis est Sigebertus in catalogo virorum illustrium: *Metis*, inquit, *positus in prima ætate in Ecclesia Sancti Vincentii ad instruendos pueros, scripsi vitam Theodorici Episcopi, conditoris Ecclesiæ & Abbatiæ, in qua etiam per digressionem laudem ipsius urbis heroico metro declamavi. Scripsi passionem Sanctæ Luciæ, quæ ibi requiescit, Alcaico carmine. Quibusdam etiam reprehendentibus illam Sanctæ Luciæ prophetiam: Annuncio vobis pacem Ecclesiæ Dei datam, Diocletiano ejecto de regno suo, & Maximiano hodie mortuo: respondi diligenter, considerata temporum ratione & rerum veritate. Scripsi nihilominus sermonem in laudem ipsius virginis, in quo translationes ipsius a Sicilia in Corphinum civitatem Italiæ, & a Corphino in Metim urbem Galliæ ordinata temporum consequentia digessi. Scripsi vitam Sigeberti Regis, conditoris Ecclesiæ & Abbatiæ Sancti Martini extra civitatem Metensem sitæ.* Hæc sunt opera, quæ Metis inter docendum elucubravit. Sic magistris in cœnobio Sancti Vincentii deficientibus, contigit, ut quæ Schola per indigenas præceptores non multum cognita fuit posteris, per adventitios inclaruerit plurimum. Ibi quidem literarum studia, ut par est credere, viguerunt: sed progressione temporis omnia deterentis magistri defuerunt. Hinc evocatus e Gemblacensi mo-

monasterio Sigebertus Scholam Metensem opinione sui maxima sustentat, & docendo aliis in posterum eandem frequentaturis præceptores relinquit. Sed ante Sigebertum Metis literarum studia floruisse docet vita Joannis Gorziæ Abbatis, qui ad annum 933. floruit. *Ipse* (Joannes) *in domo paterna eo teneriori cura educatus, quo animus senis, ut ad id ætatis editum omnem impatiens arcebat injuriam, literarum tamen primis vix elementis traditus addiscendis, aliquandiu non longe a conspectu patris postmodum, licet ægre eodem patre ferente, Metis, eis, quæ tunc esse poterant, Scholis instituebatur.*

CAPUT L.

Schola Sancti Michaelis super Mosam fluvium.

HUjus Scholæ notitiam nobis dedit, qui Joannis Gorziæ Abbatis vitam memoriæ mandavit, qua parte de Joannis institutione sermonem instituit. *Nonnullo*, inquit, *tempore in monasterio Sancti Michaelis super Mosam fluvium, ad studia moratus est, ubi tunc temporis Hildebaldus quidam Grammaticam professus, ex discipulis domni Remigii doctissimi ea ætate magistri, Scholas habebat.* Hoc in loco floruisse literarum studia conjicimus ex Lamberto, qui de Gorzia mentionem facit in Chronico ad annum 1075. *Quod*, inquit, *ejus* (Hannonis Coloniensis Archiepiscopi) *factum imitati ceteri Galliarum Episcopi, alii ex Gorzia,*

alii ex Cluniaca, alii ex Sigeberg, alii ex aliis monasteriis Monachos evocantes, novam divini servitii Scholam in suis singuli monasteriis instituerunt. Ut Gorzia suppeditaret aliis Monachos probe institutos, & ad Scholam regendam idoneos, tales apud se habere debuit. Non haberet, nisi in ejusmodi se ludo diligenter exerceret.

CAPUT LI.

Schola Augustensis.

QUo tempore Henricus IV. & Henricus V. imperabant in Germania, Schola hæc florebat. Id docet nos Chronicon Reichersipergense, cujus adscribo verba de magistro Gerhoho: *Postea factus jam adolescens, ac satis honeste instructus, in Saxoniam in locum qui Hildensheim dicitur, ad Scholas iter convertit, ubi consummatis in studio tribus annis, in patriam remeavit. Eo tempore in civitate Augusta Scholæ principales magistro vacabant. Igitur ad illud officium advocatus & assumptus est, malas jam habens mediocri barba suffusas, vultu decorus, sicut & in omni vita sua fuit moribus compositus; unde & ab omnibus amabatur: maxime autem ejusdem Ecclesiæ Episcopo, nomine Hermanno, gratus erat, & valde acceptus, propter quod & eum Canonicum ejusdem Ecclesiæ cum unanimi fratrum consensu instituit. Erat illo in tempore magna discordia inter regnum & sacerdotium sub Henrico Juniore Imperatore quinto, qua sedata tandem per gratiam Dei, pace Ecclesiæ reddita sub Papa Callisto;*

sto; ipse magister Gerhohus interea dum hæc agitarentur, non vacabat, quin potius stante adhuc discordia illa, incipiebat jam audere obsistere adversariis legis Dei, nimirum subtrahendo se a communione Episcopi Augustensis Hermanni, qui eum tunc assumpserat in Diaconatus ordine positum, pro eo quod ipse Episcopus Imperatori, & parti suæ favebat, & communicabat. Faciebat autem hoc primo non in manifesto, sed quasi in occulto. Postea vero etiam palam confessus est, quod cum Ecclesia sentiret in illo tempore malo, negando communionem quibusdam etiam laicis nobilibus & honoratis a parte Imperatoris astantibus. Pro qua re tota fere civitas contra eum commota est, judicans eum quasi insanum & temerarium, qui ausus esset iram Cæsaris contra se & civitatem provocare. His autem, ut dictum est, finitis & sedatis, jam dictus Episcopus in gratiam Romanæ Ecclesiæ ipso mediante receptus est: ita gratus & acceptus erat jam tunc ipsi Romano Pontifici, & toti Curiæ Romanæ. Gerhohus cum ad senectutem magnam pervenisset, anno 1169. migravit.

CAPUT LII.

Schola Catalaunensis.

HÆc Schola, ut & pleræque aliæ, unde & quando ortum habuit, obscurum; sed quando valde floruit, plane certum est. Atque hoc ita mecum agnoscet, qui hanc Alexandri III. epistolam ad Remorum Archiepiscopum perpendet: *Dile-*

ctus filius noster Abbas Sancti Petri de Montibus transmissa nobis relatione monstravit, quod magister Scholarum Catalaunensis Ecclesiæ in terra jam dicti Abbatis sibi Scholarum magisterium vendicat, & nullum per Abbatem ibi regere Scholas permittit. Unde quoniam cum donum Dei sit scientia literarum, liberum esse debet cuique talentum gratiæ cui voluerit, erogare; fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tam Abbati, quam magistro Scholarum præcipias, ne aliquem probum & literatum virum regere Scholas in civitate vel suburbiis, ubi voluerit, aliqua ratione prohibeant, vel interdicere qualibet occasione præsumant. Non enim debet venale exponi, quod munere gratiæ cælestis acquiritur; sed gratis debet omnibus exhiberi, ut impleatur quod scriptum est: Gratis accepistis, gratis date. Verum licet idem magister Scholarum illud sibi forte in civitate ipsa obtentu pravæ consuetudinis vendicet, hoc in terra Abbatis non potest aliquatenus vendicare. Datum Tusculi Idibus Julii. Hanc epistolam alias mihi dedit Jacobus Sirmondus, in omnium historiarum cognitione, & in Gallicarum utique, præter ceteros solertissimus. Insignis ergo debuit esse hæc Schola, cujus lites & controversiæ ad Romanum tribunal delatæ sunt. Et eam Scholam reddere non potuerunt insignem, nisi duo, auditorum multitudo, & spectata magistrorum eruditio & virtus. Et sane tunc erant adhuc quibusdam in Ecclesiis rectores Scholarum scientissimi. Quo spectat illud beati Bernardi in epistola ad Innocentium II. decima,

ma,

ma, ubi de coacto in causa Petri Abaelardi Concilio loquitur: *Convenerant præter Episcopos & Abbates plurimi viri religiosi, & de civitatibus magistri Scholarum, & Clerici literati multi.* Quæ vero de Scholarium libertate statuit Alexander III. ad nostrum haud pertinent institutum.

CAPUT LIII.

Schola monasterii Sancti Remigii Remensis.

Circa idem tempus Schola illa, quæ apud Monachos Sancti Remigii Remensis tenebatur, causam habuit celebritatis & nominis etiam ab Alexandro III. acceptam. Id discimus ex hujus Papæ epistola 51. quæ est ad Petrum Abbatem Sancti Remigii, & Fulconem Decanum Remensem. *Audivimus*, inquit, *ex transmissa conquestione quorundam Scholarium, qui in burgo Sancti Remigii consistunt, quod cum Joannes Presbyter de burgo Sancti Remigii in die Dominico coram Clericis & laicis postposita modestia Clericali choreas duceret, Scholaribus ipsis eundem Presbyterum exinde increpantibus, & deridentibus, idem Presbyter quorundam favore, cum furore & impetu ostium & fenestras Scholarum ausu temerario fregit, & in quosdam ex ipsis Scholaribus violentas manus injecit. Et his injuriis non contentus, absque conscientia venerabilis fratris nostri Henrici Remensis Archiepiscopi, & Officialium suorum, in ipsos non citatos, nec confessos, proxime sequenti die excommunicationis*

ſententiam promulgavit, quam idem Archiepiſcopus fecit, prout debuit, relaxari. In quo utique iidem Scholares libertatem ſuam plurimum fuiſſe læſam proponunt, cum eam ſe aſſerant libertatem habere, ut nullus in eos violentas manus injicere, aut Eccleſiaſticam ſententiam audeat promulgare, donec coram magiſtro ſuo velint juſtitiæ dare. His ſiquidem & aliis injuriis prædicti Scholares provocati, eundem Presbyterum, ſicut aſſerunt, ad noſtram præſentiam appellarunt: ſed per ſe, vel per alium noſtro ſe conſpectui minime præſentavit. Quoniam igitur idem Presbyter in hoc, ſi verum eſt, multipliciter exceſſiſſe videtur, nos exceſſus ejus nolentes, ſicut non debemus, incorrectos relinquere, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenùs partibus ante veſtram præſentiam convocatis, ſuper his rei veritatem ſtudioſius inquiratis, & ſi inveneritis prædictum Presbyterum choreas in conſpectu Clericorum & laicorum duxiſſe, & pro tali cauſa tantam præfatis Scholaribus injuriam intuliſſe, aut ipſos ita incaute anathemati ſubjeciſſe, ipſum auctoritate noſtra, ſublato appellationis remedio, de tanta levitate, præſumptione & audacia dure & aſpere puniatis: & ſi vobis conſtiterit, eum vel complices ſuos in aliquos prædictorum Scholarium, qui eſſent Clerici, violentas manus injeciſſe, ipſos auctoritate Apoſtolica freti, omni contradictione & appellatione poſtpoſita, publice excommunicatos denuncietis, & faciatis ſicut excommunicatos cautius evitari, donec paſſis injuriam congrue ſatisfaciant, & cum veſtrarum teſtimonio literarum

Apo-

Apostolico se conspectui repræsentent; & prohibeatis omnibus, ne præfatos Scholares contra libertatem eorum in aliquo molestare audeant, vel gravare, quandiu coram magistro suo parati sunt justitiæ dare. Magnæ profecto cujusdam auctoritatis fuit hæc Schola, quæ suis in rebus dijudicandis ita, ut apparet, summum Pontificem occuparit. Hoc recognoscet mecum, quicunque Alexandri epistolam diligentius considerabit. In hac enim de multiplici Scholarium privilegio cum agatur, quin Schola fuerit celebris, vix ambigere licet. Hanc, opinor, Scholam antea docendo illustrarunt Flavaldus & Anselmus Remenses Monachi duo, qui hinc scriptis æternum sibi pepererunt nomen, inde alios eruditionis suæ heredes reliquerunt. Utriusque opera Sigebertus & Trithemius nota posteris fecere. Ex illis autem illustribus Monachis derivatam Scholæ Sancti Remigii successionem non immerito suspicamur.

CAPUT LIV.

Schola Blesensis.

ALexander III. in parte 2. Appendicis ad Lateranense Concilium, cap. 15. hujus Scholæ ita meminit: *Dilectus filius noster magister R. præsentium lator, in præsentia nostra constitutus, constanti nobis assertione proposuit, quod cum ipse Blesis sub magistro Husdrico Scholas regeret, & se crederet de clementia sedis Apostolicæ ab hujuscemodi pretii exactione immunem: idem Husdricus, nostra constitutio-*

tutione contempta, fidejussores, quos a præfato R. de pretii solutione receperat, pro eodem pretio spoliare præsumpsit. Quia igitur graviter nimis excedit, qui Apostolicis obviat institutis, D. T. &c. quatenus utraque parte coram te convocata, veritatem diligenter inquiras, & si ita inveneris, memoratum Husdricum moneas, & Ecclesiastica districtione cogas, ut ea quæ de fidejussoribus ipsius R. abstulit, appellatione cessante, cum omni integritate restituat, eosque ab eadem fidejussione prorsus absolvat, ne de cetero ab ipso R. vel aliis pro magisterio Scholarum quicquam exigere vel extorquere præsumat; sed eum Blesis, quandiu voluerit, Scholas sine aliqua molestia vel exactione regere patiatur. Quod si Schola hæc Petrum cognomento Blesensem discipulum olim habuit, ut par est credere, magnum ornamentum habuisse dicenda est.

CAPUT LV.

Schola Lexoviensis.

QUo tempore Arnulphus Lexoviensem regebat Ecclesiam, eodem & fulgebat Lexoviensis Schola. Non damus alium hujusce rei testem, præter Arnulphum ipsum, qui de hac Schola sic scribit ad Bartholomæum Exoniensem Episcopum. *Lator*, inquit epistola 62. *præsentium Jordanus vester apud nos pluribus adolescentiæ suæ diebus commoratus est, ut in Ecclesia nostra divinis informaretur officiis, & inter Scholares liberalibus posset instrui disciplinis.* Quibus verbis aperte signi-

gnificatur, Scholam in Ecclesia Lexoviensi publicam fuisse, in qua liberales disciplinæ juvenibus traderentur, & Clerici bonis artibus ad Ecclesiæ munia informarentur.

CAPUT LVI.

Schola Bracarensis.

QUo tempore vigere cœpit, nondum comperi. Verisimile est admodum, originem trahere suam ex Martino, qui ad annum Christi 572. Bracarensem rexit Ecclesiam. Celebris & apprime doctus vir erat, qui Bracaræ vel perrexit optimarum artium studia colere, vel ut colerentur, instituit. De viro tanto nihil aliud censere possumus. Sed ad omnes consequentes annos illa durasse studia, nec interrupta unquam fuisse, gratis, ni fallor, & sine ratione quis reciperet. Utut sit, cum ad Romanam Ecclesiam accessit Innocentius III. Bracarensis Schola jam inclarescebat. Id colligimus ex hoc Pontifice, qui in lib. 1. epistolarum scribit ad fratrem Rainerium, ut Portugalliæ & Castellæ Reges percussum inter se & jurejurando confirmatum fœdus servare cogat. *Referente*, inquit, *dilecto filio N. magistro Scholarum Bracarensis Ecclesiæ, nuncio & Clerico charissimi in Christo filii S. illustris Regis Portugallensis, nostris est auribus intimatum.* Tunc erat, qui Scholas regeret, & eam ob rem Scholarum magister diceretur. Successor erat, opinor, aliorum qui Scholas rexerant.

CAPUT

CAPUT LVII.

Schola Palentina.

NIsi ab Adefonso Rege instaurata est, certe initium accepit. Id nos in Chronico Lucas Tudensis docet æra 1226. anno nimirum Christi 1186. *Eo tempore Rex Adefonsus evocavit magistros Theologicos, & aliarum artium liberalium, & Palentiæ Scholas constituit, procurante reverendissimo & nobilissimo viro Tellione, ejusdem civitatis Episcopo, quia, ut antiquitas refert, semper ibi viguit scholastica sapientia, viguit & militia.* Si Nicolao Triveto credatur, beatus Dominicus hac in Schola educatus est. Qua de re sic loquitur in Chronico ad ann. 1203. *Puerilibus autem annis innocenter excursis, cum missus esset Palentiam, ubi tunc vigebat studium generale, cœpit eruditioni diligenter intendere, & omissis frivolis, quibus solet ætas adolescentiorum effluere, se maturioribus studiis occupare, & ut animum suum transferret plenius ad sapientiam, abstraxit a vino per decennium carnem suam. Postmodum vero lassescente stomacho compulsus est ab Episcopo Didaco saltem temperato & modico vino uti. Liberalibus autem artibus competenter instructus, ad Theologiæ studium se transtulit, cœpitque vehementer divinis eloquiis inhiare, nec solum sanctarum meditationum & affectionum segetes, sed bonorum operum fructus uberrimos producebat. Fame namque prævalida in universis Hispaniæ partibus ingruente, adhuc manens Palentiæ, ut*

vidit

vidit egenorum miserias, neminemque consolatorem, anxiæ admodum motus compassionis affectu, venditis libris, quos valde necessarios habebat, omnique supellectili, acceptum pretium dispersit & dedit pauperibus. O rarissimum exemplum & gentium omnium linguis prædicandum! Dominicus adolescens discipulum simul agit & doctorem: discipulum quidem, cum ibi humaniores addiscit literas: doctorem vero, cum qua ratione sublevandi sint oppressi fame pauperes, docet, & statim ad Christianæ perfectionis gradum altissimum conscendit.

CAPUT LVIII.

Schola Valentina.

MEmoratur duobus in locis. Primus est in beati Dominici vita, quam Theodoricus Appoldiensis edidit: sic se res habet in cap. 2. *Cum viderent pii parentes ejus continuam ætatis & gratiæ in sancto puero accessionem, illum studiorum causa Valentiam miserunt. Ibi tunc florebat studium generale, ut vocant, abundans tam discipulorum frequentia, quam præstanti doctrina magistrorum.* Et paulo post: *Cum Valentiæ daret operam literis, omnem fere Hispaniam immanis oppresserat fames. Deficiebant fame & siti pauperes, nec erat qui reficeret. Moriebantur miseri & inopes, nec erat qui curaret. Clamabant pupilli & debiles, nec quisquam attendebat. Inter hæc affligebatur spiritus juvenis Dominici, & compatiebatur misericors ejus*

ani-

anima pauperum multitudini. Itaque Evangelici consilii non surdus auditor, imo perfectionis sectator egregius, distraxit libros & omnes res suas, pretiumque in pauperes expendit. Dominicus hanc Scholam reperit illustrem, & illustriorem reddidit singulari facto, quod Appoldiensis persequitur.

Palentia & Valentia urbes sunt duæ Hispaniæ, eæque Episcoporum sedes in eadem provincia, quæ Carthaginensis appellatur. Nicolaus Trivetus beatum Dominicum Palentinæ, Theodoricus Appoldiensis Valentinæ Scholæ alumnum facit. Duorum autem auctorum uter verius scripserit, definire non audeo. Ea quippe non suppetunt, quibus definiam. Non me latet, auctores illos inter se conciliari posse, si dicatur Dominicus in utraque Schola Palentina & Valentina studuisse. Sed aliud est quod simpliciter dicitur, aliud quod idonee probatur: aliud quod fieri potest, aliud quod reipsa factum est. Itaque donec certum definiendæ rei occurrat argumentum, satius erit suspendere judicium, quam quod nesciam temere affirmare.

Venio ad locum alterum, ubi Valentinæ Scholæ fit mentio. Hunc Joannes Celaia Parisiensis Theologus suppeditat in 4. sent. dist. 37. quæst. 4. *An voti fractio sit casus reservatus? Dimissis auctoritatibus, probo ratione. Expresse in Ordinario Valentino habetur, quod vota fracta debent reservari majoribus Sacerdotibus.* Et paulo post: *Quare manifeste sequitur, quod propter ambas ordinationes ipsi-*

ipsius libri Ordinarii talis voti fractio est casus reservatus. Sed ob nimiam obstinationem magistrorum Theologorum hujus urbis, (Valentiæ) *si fas est vocare tales ignorantes illud, quod omnes Doctores Theologi asseruere, &c.* Hæc ille ad annum 1526. quo Valentinensis Schola perstabat adhuc, sed exigua celebritate florebat.

CAPUT LIX.

Schola Parisiensis.

DE Scholæ seu Academiæ Parisiensis origine scripturo res quinque constituendæ mihi videntur. Una est, fuisse nonnullos, qui Academiæ Parisiensis originem ut augustiorem redderent, de ea differentes pleraque falsa veris admiscuerunt: quasi quæ vera sunt, Academiæ hujus laudi & ornamento satis non esset ea simpliciter ac sine fuco narrare. Sed eorum qui de veris Academiæ primordiis fabulando tam male meriti sunt, scripta capp. 1. & 2. dispunximus, ubi quas Scholas,& quibus in locis fundaverit Imperator Carolus, ex certis veterum monimentis ostendimus.

Altera, Parisiensem Academiam non simul omnibus illis, quibus pridem constat, partibus ab initio constitisse. Hæ autem partes sunt omnino quatuor,quarum singulæ Facultates dictæ: prima in liberalibus artibus, secunda in Medicis, tertia in Canonicis, quarta demum in Theologicis rebus edocendis versatur. Quare missos hic facimus eos, qui Herculis olim anniculi soleas aptare volunt jam

jam grandi, jam clava & ſpolio leonis terribili, nec putant jactis Academiæ fundamentis aliquid ſuperſtructum eſſe.

Tertia, aberrare eos, qui aliter, quam ſub finem capitis primi Carolum Magnum prædicant Academiæ Pariſienſis auctorem: maxime vero, ſi Academia uti quatuor Facultates continet, ſpectetur. Et ſane editis originibus Scholarum, quæ in Galliis vel Caroli tempore, vel poſt Carolum floruerunt, ne unum quidem invenies magiſtrum, qui Lutetiæ Pariſiorum docendi munus obierit, diſcipuloſque Scholæ ſuæ heredes reliquerit.

Quarta, præcipuam Academiæ Pariſienſis laudem haud in eo poſitam eſſe, quod hoc vel illo tempore initium habuerit; ſed quod poſt ſuam inſtitutionem perpetua fuerit illius ſtabilitas & conſtantia: tanto ceteris Scholis glorioſior & illuſtrior, quanto ſupra humanam conditionem eſt in hac rerum, quam patimur, mobilitate atque fluxu gradum figere. Omitto præterea magiſtrorum celebritatem, eruditorum hominum copiam, auditorum ex orbe toto confluentium frequentiam, qua præcelluit.

Quinta, quicquid Academiæ hujus reperitur ante Ludovicum Craſſum, id ſive in Scholis, ſive in magiſtris, ſive in aliis quæ in Academiæ partem venire poſſunt, deſultoriam velut naturam ſortitum eſſe, nec per certam, uti poſtea, ſucceſſionem decurriſſe, quemadmodum nunc probatum imus.

ARTI-

ARTICULUS I.

Certiora Scholæ Parisiensis exordia.

PRimus igitur, quem post Caroli tempus Lutetiæ Parisiorum docuisse veteres tradiderunt, fuit Remigius Autissiodorensis Monachus, de quo sic habetur in vita Odonis Cluniacensis, lib. I. *Odo vir beatissimus, ex Francorum prosapia extitit oriundus, sed intra domum Willelmi robustissimi Ducis Aquitaniæ est alitus, nono decimo ætatis suæ anno apud beatum Martinum Turonis est tonsus, ibique Grammaticæ laribus est educatus, deinde apud Parisium Dialectica, Musicaque a Remigio doctissimo viro est instructus.* An autem prius Remis, quam Parisiis, vel secus, magister ille docuerit, judicatu quidem non ita proclive est. Mihi tamen videtur prius Parisiis, quam Remis docuisse. Quæ conjectura deduci potest ex his Flodoardi verbis in lib. 4. Hist. Remensis cap. 9. *Præfatus Præsul honorabilis Fulco, sollicitus circa Dei cultum & ordinem Ecclesiasticum, amore quoque sapientiæ fervens, duas Scholas Remis, Canonicorum scilicet loci, atque ruralium Clericorum jam pene dilapsas restituit, & evocato Remigio Autissiodorensi magistro, liberalium artium studiis adolescentes Clericos exerceri fecit.* Parisiis Remos evocatum crediderim Remigium, qui Scholas hujus urbis instauraret. Quod si factum est ita, Remigius ad annum 882. Lutetiæ versabatur, ibique Scholam Philosophiæ regebat. Sed Parisiis abeunte Remos Remigio, Parisios accessit

M Odo,

Odo, qui Dialecticam docuit. Qua de re sic in lib. 1. vitæ Odonis: *Odo his diebus adiit Parisium, ibique Dialecticam Sancti Augustini Deodato filio suo missam perlegit.* Ad hujus vel illius magistri Scholam contulit se, ni fallor, Abbo Floriacensis Monachus, ut in ejus vita scribit Aimoinus cap. 3. *Quapropter Parisios, atque Remos ad eos, qui Philosophiam profitebantur, profectus, aliquantulum quidem in Astronomia, sed non quantum cupierat, apud eos profecit.* Abbonem Parisiensi Philosophiæ vacasse necesse est ante annum 970. quo in Angliam docendi causa profectus est.

Non multo post vir illustris, nomine Wilramus, tradendæ Philosophiæ sumpsit provinciam, si qua fides sit Trithemio ad annum 1064. Chronici Hirsaugiensis. *Claruit*, inquit, *his temporibus Wilramus, ex Scholastico Bambergensi Monachus Fuldensis, & tandem ex Monacho Abbas cœnobii Mersburgensis, vir tam in divinis Scripturis, quam in sæcularibus literis non infime doctus, qui in Parisiensi Gymnasio Philosophiam multis annis gloriose docuerat.* Quo autem in loco Professores illi Scholam tenuerint, incompertum est. Docere quidem potuerunt in Ecclesia matrice, vel in aliqua alia civitatis, vel in monasterio Sancti Germani, vel in Basilica Sanctæ Genovefæ, quæ tunc sicut & memoratum cœnobium, erat in suburbiis. Et revera tempore Roberti Regis in Basilica Sanctæ Genovefæ Scholas fuisse, tradit Anselmus Canonicus Leodiensis in tomo 1. de gestis Pontificum Leodiensium: *Hucboldus, sicut fert inscriptio vetus posita in*

Ec-

Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ Leodiensis, dum adolescentulus e scholari disciplina confugisset Parisius, Sanctæ Genovefæ Canonicis adhæsit, tempore Roberti Regis Francorum, & in brevi multarum Scholarum instructor fuit, ubi cum aliquandiu a domino Notgero Leodiensi Episcopo ignoraretur, tandem canonica Episcopalis sententiæ executione compulsus est redire, pluribus ibi relictis studiorum ac moralitatis insignibus. Ante annum millesimum Hucboldus Scholas rexit Lutetiæ, cum qui Episcopus illum revocavit Leodium, anno millesimo octavo e vita migrarit. Hic est status, hæc conditio Parisiensis Studii, quod ab anno circiter octingentesimo octavo ad annum usque millesimum vigesimum viguit. Hic non moror annum millesimum sexagesimum quartum, quo Wilramum claruisse scribit Trithemius. Non enim notat annum,quo Lutetiæ Philosophiam docuit, sed quo Fuldensem Abbatem egit: si tamen vel unquam Parisiensis Professor fuerit, vel Fuldensis Abbas, cum neque primum apud vetustiores Trithemio scriptores, neque secundum in Annalibus Fuldensis monasterii proditum literis occurrat. Ad annum quidem millesimum sexagesimum quartum Wideradus, non Wilramus, Abbas invenitur, nisi forte Trithemius Wideradum cum Wilramo confundat. Istud observandum esse duxi, cum non sit animus quæ incerta sunt, pro certis habere.

Post memoratos autem præceptores Parisiensis Studii Scholas perstitisse ab anno millesimo vicesimo ad annum millesimum centesimum, vel fuisse

qui easdem regerent, illorum temporum ſcriptis, quæ ad nos pervenerint, nemo hactenus aſſeruit. Sed Remenſis Eccleſia, Beccenſe monaſterium, & Laudunenſis Eccleſia, magiſtros ſubinde & Scholares ex omnibus propemodum locis evocarunt, ut ante demonſtratum eſt. Tunc enim ſtabiles nondum erant Scholæ, ſed deficientibus, ut fit, magiſtris, in aliam atque aliam Eccleſiam, in aliud atque aliud monaſterium avolabant, ubi qui docere poſſent & vellent, invenirentur. Scholis, & maxime Pariſienſibus ſtabilitatem & conſtantiam dederunt immunitates Regum, & Pontificum privilegia, quibus & magiſtrorum dignitas vindicaretur, & Scholarium commoda procurarentur.

Porro ſi quis nutantis adhuc, nec dum bene fundatæ Academiæ primordia conſideret, & interciſam illius ab anno milleſimo viceſimo ad annum præterpropter milleſimum centeſimum progreſſionem diligenter attendat, res quatuor potiſſimum obſervabit.

Prima eſt, Pariſienſem Academiam fundatam quidem eſſe a Monachis Sancti Benedicti, ſed non quos fabuloſæ narrationes cap. 2. celebrarunt.

Altera, hos Monachos non ex Anglia, ſed ex Gallia oriundos eſſe. Quippe Remigius Autiſſiodorenſis Monachus, & Odo illius diſcipulus, poſtea Cluniacenſis Abbas, quos Academiæ Pariſienſis conditores primos oſtendimus, quin Galli fuerint, nullus, opinor, ibit inficias.

Ter-

Tertia, ex Facultatibus quatuor, quibus pridem conflata est Academia, illam apparere solam, quæ in tradendis liberalibus disciplinis occupatur. Nondum enim erant Scholæ, in quibus vel Medicina, vel Jus Canonicum, vel Theologia doceretur. Et certe quæ de Petro Abaelardo, de Guillelmo Campellensi, & de aliis animadversuri sumus postea, nullum eorum tempore Theologiæ studium Parisiis fuisse, satis superque significant.

Quarta, nullum exploratæ fidei scriptorem esse, quo quis idonee probet, toto illo tempore, cujus paulo ante meminimus, aliquam extitisse Parisiis, non dicam Theologiæ, sed & liberalium artium tractationem. Itaque cum Bruno Cartusiensium Monachorum auctor tunc temporis vixerit, docueritque alibi, quam in Lutetiæ Parisiorum, ut vidimus, falsitatis plena sunt, quæ Theophilus Rainaudus scripsit in Antemurali adversus ingenia fortia, quorum ipse, si sint cujusmodi definit, caput esse & dici merito potest. *Sanctum Brunonem,* inquit, *ea ex causa elongasse fugientem, & mansisse in solitudine, quod Doctor Parisiensis a mortuis ad tempus regressus, accusatum se & judicatum atque damnatum professus esset in ipso feretro, fabulamentis accensent ingenia fortia, tantum quia placet. Nam quamvis olim Canonici Parisienses eum Doctorem in cœtum suum intrudi expostulaverint, & jure expostularunt, cum falso in eorum album sit relatus, qui Doctor duntaxat Parisiensis fuerat; tamen reliqua de eo narratio apud antiquos omnes rata fuit.* Quæ a nobis funditus confutata in Dissertatione de vera

causa secessus Sancti Brunonis in eremum: cum defendere non potuerit, & κατὰ πόδα respondere, ad somnia, calumnias & mendacia se convertit. Sed mittenda sunt omnia hæc, cum veritas quæritur, & suis momentis asserenda est.

ARTICULUS II.

Extinctum per annos aliquot Parisiense Studium redaccenditur semper (ut spes est) duraturum.

GUillelmus vero Campellensis extinctum Parisiense Studium excitavit in Philosophia, cui postea Petrus Abaelardus Theologiam adjecit. Uterque in Laudunensi Schola educatus. De Guillelmo Campellensi testis est auctor ille, qui restauratæ Laudunensis Ecclesiæ historiam confecit. *Vir*, inquit, *sapientissimus magister Anselmus, tunc temporis Ecclesiæ nostræ Canonicus & Decanus, per totum pene orbem Latinum scientiæ & eloquentiæ suæ fama notissimus, habuit discipulos Abaelardum, Albericum Remensem, & Lotulfum Novariensem, Guillelmum de Campellis, Guillelmum Cantuariensem Archiepiscopum, qui Laudunum petierat pro audienda lectione magistri Anselmi, & in Episcopi domo manserat, ibique filios Radulfi Cancellarii Regis Anglorum docuerat.* Guillelmum de Campellis magistro Anselmo usum esse in Philosophicis conjicimus ex iis, quæ cum de seipso, tum de illo testatur Abaelardus in historia calamitatum suarum, capite primo & capite secundo: *Et quoniam Dialecti-*

lecticarum rationum armaturam omnibus Philosophiæ documentis prætuli, his armis alia commutavi, trophæis bellorum conflictus prætuli disputationum. Proinde diversas disputando perambulans provincias, ubicunque hujus artis vigere studium audieram, Peripateticorum æmulator factus sum. Perveni tandem Parisios, ubi jam maxime disciplina hæc florere consueverat, ad Guillelmum scilicet Campellensem præceptorem meum, in hoc tunc magisterio re & fama præcipuum: cum quo aliquantulum moratus, primo ei acceptus, postmodum gravissimus extiti, cum nonnullas scilicet ejus sententias refellere conarer, & ratiocinari contra eum sæpius aggrederer, & nonnunquam superior in disputando viderer. Quod quidem & ipsi, qui inter Conscholares nostros præcipui habebantur, tanto majori sustinebant indignatione, quanto posterior habebar ætatis & studii tempore. Hinc calamitatum mearum, quæ nunc usque perseverant, cœperunt exordia, & quo amplius fama extendebatur nostra, aliena in me succensa est invidia. Factum tandem est, ut supra vires ætatis meæ de ingenio meo præsumens, ad Scholarum regimen adolescentulus aspirarem, & locum, in quo id agerem, providerem, insigne videlicet tunc temporis Meledunum castrum, & sedem regiam. Præsensit hoc prædictus magister meus, & quo longius posset Scholas nostras a se removere conatus, quibus potuit modis, latenter machinatus est, ut priusquam a suis recederem, Scholas nostras, & provisum mihi locum auferret. Sed quoniam de potentibus terræ nonnullos ibidem habebat æmulos, fretus

eorum auxilio, voti mei compos extiti, & plurimorum mihi assensum ipsius manifesta invidia conquisivit. Ab hoc autem Scholarum nostrarum exordio ita in arte Dialectica nomen meum dilatari cœpit, ut non solum condiscipulorum meorum, verum etiam ipsius magistri fama contracta paulatim extingueretur.

Hinc factum est, ut de me amplius ipse præsumens, ad CastrumCorbolii, quod Parisiacæ urbi vicinius est, quantocyus Scholas nostras transferrem: ut inde videlicet crebriores disputationis assultus nostra daret opportunitas. Non multo autem interjecto tempore ex immoderata studii afflictione correptus infirmitate coactus sum repatriare. Et per annos aliquot a Francia quasi remotus quærebar ardentius ab iis, quos Dialectica sollicitabat doctrina. Elapsis autem paucis annis, cum ex infirmitate jamdudum convaluissem, præceptor meus ille Guillelmus Parisiensis Archidiaconus, habitu pristino commutato ad regularium Clericorum ordinem se convertit, ea, ut referebant, intentione, ut quo religiosior crederetur, ad majorem prælationis gradum promoveretur: sicut in proximo contigit, eo Catalaunensi Episcopo facto. Nec tamen hic suæ conversionis habitus aut ab urbe Parisiaca, aut a consueto Philosophiæ Studio eum revocavit: sed in ipso quoque monasterio, ad quod se causa religionis contulerat, statim more solito publicas exercuit Scholas. Tum ego ad eum reversus, ut ab ipso Rhetoricam audirem, inter cetera disputationum nostrarum conamina, antiquam ejus de universalibus sententiam patentissimis argumen-

mentorum disputationibus ipsum commutare, imo destruere compuli. Erat autem in ea sententia de communitate universalium, ut eandem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse astrueret individuis, quorum quidem nulla esset in essentia diversitas, sed sola multitudine accidentium varietas. Sic autem istam suam correxit sententiam, ut deinceps rem eandem non essentialiter, sed individualiter diceret. Et quoniam de universalibus in hoc ipso præcipua semper est apud Dialecticos quæstio, ac tanta, ut eam Porphyrius quoque in Isagogis suis, cum de universalibus scriberet, definire non præsumeret dicens: Altissimum enim est hujusmodi negotium: cum hanc ille correxisset, imo coactus dimisisset sententiam, in tantam lectio ejus devoluta est negligentiam, ut jam ad Dialecticæ lectionem vix admitteretur: quasi in hac scilicet de universalibus sententia tota hujus artis consisteret summa. Hinc tantum roboris & auctoritatis nostra suscepit disciplina, ut ii, qui antea vehementius magistro illi nostro adhærebant, & maxime nostram infestabant doctrinam, ad nostras convolarent Scholas; & ipse qui in Scholis Parisiacæ sedis magistro nostro successerat, locum mihi suum offerret, ut ibidem cum ceteris nostro se traderet magisterio, uti antea suus ille & noster magister floruerat.

Paucis itaque diebus ibi me studium Dialecticæ regente, quanta invidia tabescere, quanto dolore æstuare cœperit magister noster, non est facile exprimere. Nec conceptæ miseriæ æstum diu sustinens, callide aggressus est me etiam tunc removere. Et

quia in me quod aperte ageret, non habebat, ei Scholas auferre molitus est, turpissimis objectis criminibus, qui mihi suum concesserat magisterium, alio quodam æmulo meo in locum ejus substituto. Tunc ego Meledunum reversus, Scholas ibi nostras, sicut antea, constitui: & quanto manifestius ejus me persequebatur invidia, tanto mihi auctoritatis conferebat, juxta illud Poeticum:

Summa petit livor, perflant altissima venti.

Non multo autem post, cum ille intelligeret, fere omnes discipulos de religione ejus plurimum hæsitare, & de conversione ipsius vehementer susurrare, quod videlicet a civitate minime recessisset: transtulit se & conventiculum fratrum cum Scholis suis ad villam quandam ab urbe remotam. Statimque ego Meleduno Parisius redii, pacem ab illo ulterius sperans. Sed quia, ut diximus, locum nostrum ab æmulo nostro fecerat occupari, extra civitatem in monte Sanctæ Genovefæ, Scholarum nostrarum castra posui, quasi eum obsessurus, qui locum occupaverat nostrum. Quo audito, magister noster statim ad urbem inpudenter rediens, Scholas, quas tunc habere poterat, & conventiculum fratrum ad pristinum reduxit monasterium, quasi militem suum, quem deseruerat, ab obsidione nostra liberaturus. Verum cum illi prodesse intenderet, maxime nocuit. Ille quippe antea aliquos habebat qualescunque discipulos, maxime propter lectionem, in qua plurimum valere credebatur. Postquam autem magister advenit, omnes penitus amisit, & sic a regimine Scholarum cessare compulsus est. Nec post multum tem-

tempus, quasi jam ulterius de mundana desperans gloria, ipse quoque ad monasticam conversus est vitam. Post reditum vero magistri nostri ad urbem, quos conflictus disputationum Scholares nostri, tam cum ipso, quam cum discipulis ejus habuerint, & quos fortuna eventus in his bellis dederit nostris, imo mihi ipsi in eis, te quoque res ipsa jamdudum edocuit. Illud vero Ajacis & temperantius loquar, & audacter proferam:

si quæritis hujus
Fortunam pugnæ, non sum superatus ab illo.

Quod si ego tacerem, res ipsa clamat, & ipsius rei finis indicat.

In his autem omnibus, quæ ad Scholarum historiam spectant, ea velut chronica synopsi reducuntur hoc modo.

1. Guillelmus Campellensis e Laudunensi Academia profectus, Lutetiæ Scholam Philosophiæ erigit, in eaque illius partem docet, quæ Dialectica vocatur.

2. Accedens Lutetiam Abaelardus Guillelmi disciplinæ se tradit, brevique, qua disputando, qua tractando, qua varios Scholæ actus exercendo, magister fieri contendit.

3. Abaelardus invidia sociorum, quos facile anteibat, circumflatus, excedere Lutetia cogitur, & ad Meledunense castrum se confert, ubi magistro Campellensi quamlibet invito, Scholam figit, aperitque.

4. Posteaquam Abaelardi nomen, & illius Scholæ gloria longe lateque propagata est, & contra magi-

magiſtri Campellenſis decus imminutum, paullo confidentior evadit. Lutetiam propius accedere meditatus, ad Corbolienſe caſtrum pergit, quo translatis Scholis crebriores Dialecticæ diſputationes inſtituit: ſed morbo interceptus patriam repetit.

5. Interim dum in patria moratur Abaelardus, magiſter Campellenſis depoſito priori habitu, ad regularium Clericorum ordinem ſe convertit; nec tamen ea de cauſa ſtudiis abſiſtit, ſed iis in ſuo cœnobio, quod Sancti Victoris appellatur, vacat, uti vacare ſolebat. Imo vero quidam illius auditor eligitur, qui relictam in epiſcopio Scholam gubernet. Atque ita duobus ſimul in locis liberales diſciplinæ traduntur, in quibus & Rhetorica nominatim deſignatur.

6. Reverſus Lutetiam Abaelardus oblatum ſibi ab eo, qui Campellenſi ſucceſſerat, docendi locum & munus aſſumit: ſed livore pulſus Campellenſis efficit, ut qui magiſterium Abaelardo conceſſerat, abdicetur, & alius ſufficiatur in ejus locum. Hinc nudus a docendi munere Abaelardus, Meledunum redit, ibique Scholas, ut antea, conſtituit.

7. Campellenſis in ſimulatæ converſionis ſuſpicionem venit, hinc eo procul ab urbe cum Scholis ſuis recedente, Abaelardus in urbem revertitur: ſed occupato, ut vidimus, magiſterii loco, Sanctæ Genovefæ montem petit extra mœnia, ibique defixis Scholis, velut ex altiori ſpecula obſidet eum, qui conſtitutum in urbe docendi locum invaſerat.

Tunc

unc Campellensis, qui Abaelardum ferre non
oterat, Scholas suas Parisios in monasterium re-
uxit, quo commodius discipulum suum illum,
ui in Parisiensi sede docebat, a magistro Abaelar-
o defenderet. Sed istud ex animi sententia non
ccessit. Etenim ubi Guillelmus Campellensis
arisios advenit, illius discipulum Scholares dese-
erunt universi.

Ceterum in hoc deplorandæ invidiæ ludo, qui
arisiensium Scholarum solitudinem & frequen-
am tam sæpe, tamque varie alternavit, instauratæ
Dialecticis & Rhetoricis Academiæ conspectum
edimus: nunc ob oculos jacta in Theologicis fun-
amenta ponamus. Ergo sequamur Abaelardum.
um vero, inquit, *hæc* (quæ num. 7. exposuimus)
*gerentur, charissima mihi mater mea Lucia repa-
iare me compulit. Quæ videlicet post conversio-
em Berengarii patris mei ad professionem monasti-
um, idem facere disponebat. Quo completo, re-
ersus sum in Franciam, maxime ut de divinitate
ddiscerem, quando jam sæpefatus magister noster
uillelmus in Episcopatu Catalaunensi pollebat. In
ac autem lectione magister ejus Anselmus Laudu-
ensis maximam ex antiquitate auctoritatem tunc
enebat.*

*Accessi igitur ad hunc senem, cui magis longævus
sus, quam ingenium vel memoria nomen compara-
erat.* Et post alia, quibus qua ratione Anselmum
udiverit, ingenue docet: *Et primæ quidem lectio-
i nostræ pauci tunc interfuere, quod ridiculum o-
nibus videretur, me adhuc quasi penitus sacræ le-
ctio-*

ctionis expertem, id tam propere aggredi. Omnibus tamen, qui affuerunt, in tantum lectio illa grata extitit, ut eam singulari præconio extollerent, & me secundum hunc nostræ lectionis tenorem ad glossandum compellerent. Quo quidem audito, ii qui non interfuerant, cœperunt ad secundam & tertiam lectionem certatim accedere, & omnes pariter de transscribendis glossis, quas prima die incœperam, in ipso eorum initio plurimum solliciti esse.

Hinc itaque prædictus senex vehementi commotus invidia, & quorundam persuasionibus jam adversum me, ut supra memini, ex tunc stimulatus, non minus in sacra lectione me persequi cœpit, quam antea Guillelmus noster in Philosophia. Erant autem tunc in Scholis hujus senis duo, qui ceteris præeminere videbantur, Albericus scilicet Remensis, & Lotulfus Lombardus, qui quanto de se majora præsumebant, amplius adversum me accendebantur. Horum itaque maxime suggestionibus, sicut postmodum deprehensum est, senex ille perturbatus impudenter mihi interdixit incœptum glossandi opus in loco magisterii sui amplius exercere. Hanc videlicet caussam prætendens, ne si forte in illo opere aliquid per errorem scriberem, utpote rudis adhuc in hoc studio, ei deputaretur. Quod cum ad aures Scholarium pervenisset, maxima commoti sunt indignatione super tam manifesta livoris calumnia, quæ nemini unquam ulterius acciderat: quæ quanto manifestior, tanto mihi honorabilior extitit, & persequendo gloriosiorem effecit.

Post

Post paucos itaque dies Parisius reversus, Scholas hi jamdudum destinatas atque oblatas, unde pri- fueram expulsus, annis aliquibus quiete possedi, que ibi in ipso statim Scholarum initio glossas il- s Ezechielis, quas Lauduni inceperam, consum- are studui. Quæ quidem adeo legentibus accepta- iles fuerunt, ut me non minorem gratiam in sacra ectione adeptum jam crederent, quam in Philoso- hica viderant. Unde utriusque lectionis studio Scholæ nostræ vehementer multiplicatæ, quanta mi- hi de pecunia lucra, quantam gloriam compara- rent, ex fama te quoque latere non potuit. Quæ de Theologicæ Scholæ epocha jam observavimus, ex his Abaelardi verbis oppido confirmari possunt. Etenim cum ex Armorica reversus Lutetiam Abaelardus, Laudunum petiit, ut in Theologia magistrum Anselmum audiret, non obscurum indicium est, nullam adhuc Parisiis erectam Theologiæ Scholam, nullos extitisse magistros, qui sacris lectionibus & Ecclesiasticis institutionibus vacarent. Quorsum, amabo vos, Abaelardus, quorsum Guillelmus, quorsum alii forte relicta Lutetia concessissent Laudunum, si quod hac in urbe Theologiæ studium extitisset? Huc accedit, quod qui Parisiensis Theologiæ præsides & magistros notarunt, nullum supra hanc ætatem notarint. Diligentia & sedulitate sua eminet hac in parte Henricus de Gandavo, Parisiensis Theologus, qui in libro de Ecclesiasticis Scriptoribus laudat quidem Petrum Lombardum, Mauritium, Petrum Cantorem, Gilbertum Porretanum, Stephanum Anglicum, Joan-

nem

nem Belethum, Simonem Tornacensem, Alanum Insulensem, ex monasterio Sancti Victoris Hugonem & Richardum, qui Scholæ Theologicæ præfuerint; sed antiquiorem Abaelardo laudat neminem.

Quam autem celebris fuerit magister Abaelardus, nos docet Fulco Diogilli Prior in ea epistola, qua eundem Abaelardum post suam castrationem consolatur: *Affluentissime tibi paulo ante hujus mundi gloria blandiebatur, & te incertis fortunæ casibus esse obnoxium non sinebat advertere. Roma suos tibi docendos transmittebat alumnos: & quæ olim omnium artium scientiam auditoribus solebat infundere, sapientiorem te se sapiente transmissis Scholaribus monstrabat. Nulla terrarum spatia, nulla montium cacumina, nulla concava vallium, nulla via, difficili licet obsita periculo & latrone, quo minus ad te properarent, retinebat. Anglorum turbam juvenum mare interjacens, & undarum procella terribilis non terrebat: sed omni periculo contempto, audito tuo nomine, ad te confluebat. Remota Britannia sua animalia erudienda destinabat. Andegavenses eorum edomita feritate tibi famulabantur in suis: Pictavi, Vascones, & Iberi. Normannia, Flandria, Teutonicus, & Suevus tuum calere ingenium, laudare & prædicare assidue studebat. Prætereo cunctos Parisiorum civitatem habitantes, & intra Galliarum proximas & remotissimas partes, qui sic a te doceri sitiebant, ac si nihil disciplinæ non apud te inveniri potuisset.* Ea tunc fuit Parisiensis Academia, cujus insigniter jacta

cum

cum in Philosophicis, tum in Theologicis rebus fundamenta exhibuimus.

ARTICULUS III.

Abaelardus factus Monachus, perillustris Scholarum rector in monasterio Sancti Dionysii.

NUnc videndum est, quomodo Monachus S. Dionysii factus Abaelardus, Scholas eo loci rexerit, & quanta fuerit Scholarium copia, quam vel Lutetia secum traxit, vel aliunde accersivit. Cujus rei testis est ipse Abaelardus in historia calamitatum suarum, capite 8. & sequentibus. *Vix autem*, inquit, *de vulnere* (castrationis scilicet) *adhuc convalueram, cum ad me confluentes Clerici tam ab Abbate nostro, quam a meipso continuis supplicationibus efflagitabant, quatenus hoc quod hucusque pecuniæ vel laudis cupiditate egeram, nunc amore Dei operam studio darem: attendens, quod mihi fuerat a Domino talentum commissum, ab ipso esse cum usuris exigendum: & qui divitibus maxime hucusque intenderam, pauperibus erudiendis amodo studerem: & ob hoc maxime Dominica manu me nunc tactum esse cognoscerem, quo liberius a carnalibus illecebris, & tumultuosa vita sæculi abstractus, studio literarum vacarem: nec tam mundi, quam Dei vere Philosophus fierem. Erat autem Abbatia illa nostra, ad quam me contuleram, sæcularis admodum vitæ atque turpissimæ. Cujus Abbas ipse quo ceteris prælatione major, tanto vita deterior,*

terior, atque infamia notior erat. Quorum quidem intolerabiles spurcitias ego frequenter atque vehementer, modo privatim, modo publice redarguens, omnibus me supra modum onerosum atque odiosum effeci. Qui ad quotidianam discipulorum nostrorum instantiam maxime gavisi, occasionem nacti sunt, qua me a se removerent. Diu itaque illis instantibus atque importune pulsantibus, Abbate quoque nostro & fratribus intervenientibus, ad cellam quandam recessi, Scholis more solito vacaturus. Ad quas quidem tanta Scholarium multitudo confluxit, ut nec locus hospitiis, nec terra sufficeret alimentis. Ubi, quod professioni meæ convenientius erat, sacræ plurimum lectioni studium intendens, sæcularium artium disciplinam, quibus amplius assuetus fueram, & quas a me plurimum requirebant, non penitus abjeci: sed de his quasi hamum quendam fabricavi, quo illos Philosophico sapore inescatos, ad veræ Philosophiæ lectionem attraherem: sicut & summum Christianorum Philosophorum Origenem consuevisse, historia meminit Ecclesiastica. Cum autem in divina Scriptura non minorem mihi gratiam, quam in sæculari, Dominus contulisse videretur, cœperunt admodum ex utraque lectione Scholæ nostræ multiplicari, & ceteræ omnes vehementer attenuari. Unde maxime magistrorum invidiam atque odium in me concitavi. Quod Otho Frisingensis Episcopus testatum quoque reliquit in libri 1. de rebus gestis Frederici primi capite 47. *Ubi* (scilicet Parisius) *occasione quadam satis nota non bene tractatus (*Abaelardus) *Monachus in monaste-*

rio

rio Sancti Dionysii effectus est, ibi die noctuque lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de literato efficitur literatior. Chronicum item Moriniacense: *Petrus Abaelardus Monachus & Abbas, vir erat religiosus, excellentissimarum rector Scholarum, ad quas pene de tota Latinitate viri literati confluebant.* Quibus liquet verbis, Abaelardum celebrem habuisse in suo monasterio Scholam, quæ velut examen quoddam Parisiensis Academiæ fuit. Nunc vero ex hac ad urbem Schola, ad institutas in suburbiis Scholas redeundum est.

ARTICULUS IV.

Scholæ cœnobii Sancti Victoris Parisiensis.

DE his Scholis luculentum extat testimonium apud Joannem de Sancto Victore in memoriali historiarum, quod sic se habet ad annum 1131. *Ordo canonicus apud Sanctum Victorem Parisius nuper fundatus incipiebat viriliter reflorere, ubi venerabilis Abbas Gilduinus vita & scientia laudabiliter enitebat: Thomas quoque Prior, postmodum martyr, & magister Hugo de Saxonia, religione & scientia clarissimus, in septem artium liberalium peritia, & vivacitate ingenii, & sensus subtilitate in tempore suo parem non habens, sicut opera & tractatus, qui communiter habentur, manifeste declarant. Cui S. Bernardus tunc epistolas familiariter mittebat, & cum quo de sententiis Scripturarum, & de quæstionibus ad invicem colloquentes.*

 Ma-

Magister quoque Richardus jam in dicto Ordine professus, natione Scotus, jam incipiebat clarere. Hic postea Prior fuit, & multa utilia & subtilia scripsit. Pluresque alii ibidem simpliciter & religiose sub Gilduino Abbate militantes, famam suæ sanctitatis & scientiæ per totum orbem spargebant, vigebatque ibidem studium. Deinde ad annum 1139. *Clarebat hoc tempore Ordo canonicus Sancti Victoris Parisius, celebrisque fama per orbem habebatur, præcipue propter famosas quasdam & insignes personas, moribus & scientiis adornatas, quas in diversis diversorum mundi locorum Ecclesiis sparsit, velut vitis fœcunda palmites proferens transplantandos. Hoc enim tempore fuerunt accepti ibidem Canonici professi, Prælati in Ecclesia Romana, duo Cardinales, magister Ivo Cardinalis, & dominus Hugo Episcopus Tusculanensis, magister Acardus Episcopus Abrincensis: Abbates quoque novem, in Ecclesia S. Satyri Hircuo, Abbas Radulfus Sanctæ Genovefæ Parisius, Abbas Odo S. Evurtii Aurelianis, Abbas Rogerus Sanctæ Mariæ Augensis, Abbas Rogerus Sancti Bartholomæi Noviomensis, Garnerius Sancti Vincentii Silvanectensis, Balduinus Sanctæ Mariæ Alticerris, Guibertus Sancti Augustini de Bresco in Anglia, Richardus Sancti Jacobi de Guignemora in Marchia, magister Andreas, magistri Hugo, & Richardus, & Adam, & Thomas Prior.* Hæc ex codice manuscripto, qui in nostra Regiæ Navarræ Bibliotheca asservatur.

Huic Auctori conjungimus Jacobum de Vitriaco Cardinalem in capite 24. Occidentalis Historiæ: *Mul-*

Multis a principio Parisiensibus magistris, viris literatis & honestis, velut stellis fulgentibus illustrata, & quasi margaritis pretiosis decorata: inter quos nominatissimus & præcipuus extitit citharista Domini, organum Sancti Spiritus, magister Hugo de Sancto Victore dictus, qui malogranata tintinnabulis conjungens, exemplo sanctæ conversationis multos ad honestatem incitavit, & melliflua doctrina ad scientiam erudivit. Et paulo post: *Hi siquidem prudentes & honesti viri, extra Parisiensis urbis tumultum seorsum congregati, supra firmum & stabile fundamentum regulæ Sancti Augustini institutiones honestas & salutares observantias statuerunt.* In hoc monasterium a Guillelmo Campellensi literarum studium illatum fuisse, articulo secundo testatur Abaelardus, & confirmat Hildebertus Cenomanensis Episcopus, in epistola ad eundem Guillelmum: *Fert autem fama, id a quibusdam tibi persuasum, ut ab omni lectione penitus abstineas. Super hoc attende quid sentiam. Citra profectum proficit, quisquis alteri cum potest non prodest. Virtus est etiam, male usuro virtutis ministrare materiam. Præterea sub evangelico te cohibuisti consilio, quo juvenis a Christo audivit: Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Holocaustum igitur habes offerre, non sacrificium. De eorum quippe differentia apud Gregorium super Ezechielem sic legisti: In sacrificio quidem partem pecudis, in holocausto autem totum debes offerre.* Et post pauca: *Cum quis aliquid suum Deo vovit, sacrificium est; cum vero*

omne quod habet, holocaustum. Offer ergo te totum Deo, quoniam Domino Deo tuo te totum devovisti; alioquin eum promisso defraudabis holocausto. Denique sapientia abscondita, & thesaurus absconditus, quæ utilitas in utrisque? Aurum dispersum melius rutilat, quam signatum. Nihil a vilibus tophis gemmæ differunt, nisi in medium deducantur. Scientia quoque distributa suscipit incrementum, & avarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. Noli ergo claudere rivos doctrinæ tuæ, sed, juxta Salomonem, deriventur fontes tui foras, & aquas tuas in plateis divide. Guillelmum Campellensem, qui jam factus erat Canonicus Ecclesiæ S. Victoris, ita hortatur, ut a publicis in cœnobio lectionibus non desistat. Hildeberti consilio Guillelmus acquievit. Sed non multo post creatus est Catalaunensis Episcopus. Cui in regenda cœnobii S. Victoris Schola Thomas Prior successit, Thomæ celeberrimus Hugo, Hugoni Nanterus Prior, Nantero Richardus ille nominatissimus in paucis, Richardo Galterus, Galtero Godefridus, & Godefrido Adamus ille, cujus illustre epitaphium tot libros occupavit, & quo hunc articulum claudemus, cum non possit satis describi, & memoriæ mandari, cum nihil sit homine miserius vel superbius.

Heres peccati, natura filius iræ,
Exiliique reus nascitur omnis homo.
Unde superbit homo? cujus conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori.

Vana

Vana salus hominis, vanus decor, omnia vana:
Inter vana nihil vanius est homine.
Dum magis alludit præsentis gloria vitæ,
Præterit, immo fugit, non fugit, immo perit.
Post hominem vermis, post vermem fit cinis, heu, heu,
Sic redit ad cinerem gloria nostra suum.

Præter illos magistros Scholæ Sancti Victoris monimenta suggerunt alios complures. Sed eos recensere necesse non est impræsentiarum.

ARTICULUS V.

Continuatus Academiæ Parisiensis labor, celebritas, & auditorum frequentia.

FUisse in Claustro beatæ Mariæ, seu in Episcopali sede, qui Theologiæ Scholis præsiderent, & magistris Scholæ S. Victoris responderent, dubitari non debet. Idque facile colligitur ex Hugone, qui in Summa sententiarum, tract. 6. cap. II. refellit alios doctores, qui secus ac ipse contritionis efficaciam declararent. Eos autem doctores fuisse, qui Claustri beatæ Mariæ, vel Episcopii Scholas regebant, Theologicæ scientiæ historia nos docet. Quæ cum certa videantur, de illis omnibus promiscuus hic mihi sermo erit. Sed cum rerum multitudo statim obversetur, necessario delectus habendus est. Pauca igitur de multis adferam, ut hinc lector fastidio levetur, inde quorundam testimoniorum, in quibus summa hujusce rei constat, recensione facile contentus esse queat.

 Phi-

Philippus Abbas monasterii Bonæ Spei, qui recens ab ætate Hugonis fuit, ceteris hac in parte præibit in epist. 3. ubi sic alloquitur Heroardum, cui scribit, *luctantem in Gymnasio Parisiensi, & voluntario humero pressuram sustinentem torcularis: Tu amore ductus scientiæ Parisius advenisti, & a multis expetitam optato compendio Jerusalem invenisti. Hic enim David decachordum Psalterium manu tangit, hic tactu mystico Psalmos pangit: hic Isaias legitur, legendo detegitur prophetia: hic Prophetæ ceteri diversos modulos concordi proferunt melodia. Hic sapiens Salomon erudiendos convenas opperitur: hic ejus promptuarium studiosis pulsantibus aperitur: hic ad pulsandum tantus concursus, tanta frequentia Clericorum, ut contendat supergredi numerosam multitudinem laicorum. Felix civitas, in qua sancti codices tanto studio revolvuntur, & eorum perplexa mysteria superfusi dono Spiritus resolvuntur, in qua tanta lectorum diligentia, tanta denique Scripturarum scientia, ut in modum Cariathsepher merito dici possit civitas literarum.* Respicit Philippus ad diversas sacrorum librorum partes, quas quilibet tractator ac magister in suis Scholis explicabat.

Tunc vero temporis Gislebertum Pictaviensem Episcopum Parisiis docuisse, tradit idem Philippus in epist. 5. *Comperi a magistro Gisleberto Pictaviensi Episcopo, quod librum istum, de quo nobis sermo est, scripsit non Athanasius, sicut noster titulus præmittitur, sed Hilarius Pictaviensis, cujus etiam & fides & doctrina commendabilis invenitur. Nudius*

dius enim tertius cum essem Parisius, idemque magister & Episcopus Gislebertus mihi colloqui dignaretur, inter loquendum protulit de libro illo quendam versiculum, &c. Quibus verbis Gislebertum Pictaviensem Episcopum proponit, qui tunc Parisiis Theologicæ Scholæ præerat.

Philippum Abbatem monasterii Bonæ Spei sequitur Petrus Blesensis, qui non semel Parisiensis Scholæ eruditionem suis extulit laudibus. Et primo quidem in epist. 19. *Qui interrogant, interrogent Parisius, ubi difficilium quæstionum nodi intricatissimi resolvuntur.* Deinde in epist. 26. *Vester vobisque devotissimus operam Theologiæ Parisius indulgeo, Bononiensis castra militiæ suspirans, quæ vehementer amata citius & præmature deserui.* Tum demum in Compendio Jobi, cap.2. de fratre Gerardo Cartusiensi: *Deum testor, non minus circumspecte & sane de articulis fidei Christianæ respondebat, quam si maximam vitæ suæ partem in Scholis Parisiensibus expendisset.* Hinc Parisiensem Scholam laudat a solutione quæstionum, quæ salebris & difficultatibus involutæ sunt: inde Scholarem Parisiensem profitetur sese, & florentem Lutetiæ præ ceteris locis Theologiam commendat.

Æqualis Petro Blesensi Stephanus Abbas monasterii Sanctæ Genovefæ, & postea Tornacensis Episcopus, non sine laude commemorat duo Scholarum genera, quæ suo tempore Lutetiam illustrabant. Hæc autem sunt illius verba ex epistola 97. qua Lundensi Archiepiscopo pro Petro Canonico

Ecclesiæ Sanctæ Genovefæ scribit: *Sed aut in claustro regularibus disciplinis intendat cum fratribus suis sub venerabili fratre nostro Willelmo Domino servientibus, aut quotiens & quando volueritis, vobiscum in curia vestra religiose, sicut decet & expedit, conversetur. Quod autem de ipso nobis per literas vestras intimastis, vel in monte, vel in * Parisiensium sæcularium Scholas, & venditores velorum mittendo, salva gratia vestra, non admittimus, quoniam institutioni nostræ repugnat & consuetudini, sicut per ipsum præsentibus fratribus novum proponetur spectaculum, quod futuris perniciosum trahatur in exemplum. Habet in claustris sapientia regulas suas, erigens sibi Scholas, inde veritatis, hinc virtutis. Quod si forte consilium vestrum in hoc declinaverit, ut de regulari sæcularem facere contendatis, aliam quam Parisius civitatem, in qua studuerat, eligite.* Aliæ ergo erant Scholæ in Genovefiano monte, quas Clerici regulares tenebant, & quorum caput erat Stephanus, ut dignitate, sic & eruditione illustrissimus magister: in aliis Lutetiæ locis aliæ, quas alii præceptores regebant. Et in primis Petrus Lombardus, Mauricius, Petrus Cantor, Stephano compares, quos Henricus Gandavensis Theologicæ Scholæ præsides & rectores appellat. Unde non sine causa idem Stephanus in epist. 160. Parisiensem & Remensem civitatem sic inter se committit: *Usurpabant sibi hactenus, nec immerito, Parisiensis civitas doctrinam, Remensis Ecclesia disciplinam.*

Stephano Tornacensi suppar Rigordus in libro de

de gestis Philippi Augusti. *Hujus*, inquit, *Philippi temporibus quamplurimum florebat Parisius studium literarum, nec legimus tantam aliquando fuisse in aliqua mundi parte Scholarium frequentiam, quanta prædictum locum studendi gratia incolebat. Quod non solum fiebat propter loci illius amœnitatem, & bonorum omnium superabundantem affluentiam; sed & propter libertatem specialem, & prærogativam defensionis, quam idem Philippus Rex, & ante ipsum pater ejus Scholaribus impendebant. Cum itaque in eadem nobilissima civitate non modo de trivio & quadrivio, verum & de quæstionibus Juris Canonici & Civilis, & de ea facultate, quæ de sanandis corporibus, & sanitatibus conservandis scripta est, plena & perfecta inveniretur doctrina: ferventiori tamen desiderio sacra pagina & quæstiones Theologicæ docebantur.* Hic est Parisiensis Scholæ seu Academiæ status sub Philippo Augusto.

Rigordo succedit Jacobus a Vitriaco Cardinalis, qui statum Parisiensis civitatis executus significat, quibus ex locis Scholares Lutetiam advolarent. Hæc sunt illius verba, in capite septimo Occidentalis Historiæ, ubi mutuas Scholarium contentiones depingit: *Non solum autem ratione diversarum sectarum, vel occasione disputationum sibi invicem adversantes contradicebant; sed pro diversitate regionum mutuo diffidentes, invidentes & detrahentes, multas contra se contumelias & opprobria impudenter proferebant. Anglicos potatores & caudatos affirmantes; Francigenas superbos, molles &*

mu-

muliebriter compositos asserentes; Teutonicos furibundos, & in conviviis suis obscœnos dicebant, Normannos autem inanes & gloriosos, Pictavos proditores & fortunæ amicos: hos autem, qui de Burgundia erant, brutos & stultos reputabant. Britones autem leves & vagos judicantes, Arturi mortem frequenter eis objiciebant: Lombardos avaros, malitiosos & imbelles: Romanos seditiosos, violentos, & manus rodentes: Siculos tyrannos & crudeles, Brabantios viros sanguinum, incendiarios, rutarios & raptores: Flandrenses superfluos, prodigos & comessationibus deditos, & more butyri molles & remissos, appellabant. Inter has contumelias, quæ a nationibus & populis velut vile a pretioso separandæ sunt, dispicere cuivis licet, ex omnibus fere Occidentis partibus ventitasse Lutetiam, qui literis operam darent. Jacobus populos duodecim numerat ceteris spectabiliores, qui Parisiensem Academiam componerent.

Ante annos ducentos quinquaginta & amplius florebat Lutetiæ Constantinopolitanum Collegium, ex quo quid ipsa Græcia proficeret in Parisiensibus Scholis facile constabat. Hic nihil attingo, quæ Robertus Gouletus Parisiensis Theologus de multiplici Academiæ magnificentia scripsit. Illius liber præ manibus est omnium, vel esse potest.

Verum non ante deferendus mihi videtur Vitriacus, quam quæ in cap. 9. de quibusdam illustribus magistris tradidit, commemorem: *Defuncto igitur prædicto Christi athleta*, Fulcone Presbytero, magistri

gistri Petri Cantoris discipulo) *qui latratibus sanctis mundum quasi evigilare cœperat, & veritatis lumine ex parte nebulosas illuminaverat regiones, multi zelo charitatis accensi, & ejus exemplo incitati cœperunt prædicare & docere, multos erudientes ad justitiam, & de faucibus Leviathan sanctis exhortationibus peccatorum animas extrahentes: inter quos principales & majoris nominis fuerunt, quasi stellæ in firmamento cæli, venerabilis pater magister Stephanus Cantuariensis Archiepiscopus, & magister Galterus de Lundonia, & magister Robertus de Corchon, qui postea factus est Cardinalis: magister Albericus de Lauduno, qui postea factus Archiepiscopus Remensis, de fluvio commutatus in rivulum: magister Joannes de Lirot, & socius ejus magister Joannes de Nivella, vir humilis & timoratus, & omnium virtutum margaritis ornatus, cum pluribus aliis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, qui in agro Domini fideliter & prudenter laborantes, de cavernis petrarum & montibus bestias venabantur, de lacu fæcis & miseriæ retibus & sagenis pisces extrahentes.* Hæc ille, quæ non mediocrem Parisiensis Academiæ dignitatem & præstantiam loquuntur.

Ne vero quisquam putet, eos Auctores, quibus antea usi sumus, gentis & Academiæ nutricis suæ laudi & gloriæ plus æquo indulgere; exteros producimus tres, qui quod nostrates memoriæ prodiderunt, novis elogiorum accessionibus confirmabunt.

Primus erit Michael Villanovanus in suis ad Pto-

Ptolemæum ſcholiis, ubi de Gallia ſermonem habet: *Nec cauſidicis tantum, ſed aliarum omnium diſciplinarum profeſſoribus Gallia eſt referta. Teſtis Pariſienſis Academia, poſt ipſam Toloſana, Juriſperitorum mater, & aliæ plurimæ; ſed omnium, quæ in orbe ſunt, clariſſima Pariſienſis, ad quam univerſi ex Europa fere Chriſtiani ad Theologiam, Philoſophiam, & liberales ceteras diſciplinas ediſcendas concurrunt.*

Alter Joannes Regiomontanus in ſuis quoque ad Ptolemæum annotationibus: *Obſervantiſſimi veræ pietatis ſunt Galli, matrimonia Italico ritu celebrant, liberales artes multis curæ exiſtunt, & divinarum artium ſtudia: Gymnaſium, quod Pariſiis eſt, id demonſtrat, omnium quæ hodie ſunt in terris, celeberrimum; ſunt & Romanarum literarum appetentiſſimi, & Latinarum æmuli: in hoc ſtudiorum genere nec Græca aſpernantur.*

Tertius Horatius Turſelinus in lib. 1. de vita S. Franciſci Xaverii cap. 2. *Erat illis temporibus Pariſienſis Academia, non ſolum vetuſtate, famaque ſapientiæ inclyta, ſed etiam ob magiſtrorum præſtantiam, diuturnitatemque pacis maxime celebris, acerrimis undique ingeniis eo confluentibus, ut inde referrent eruditionis eximiæ famam.* Hiſpani ſunt atque Itali, qui idem cum Gallis ſine ulla aſſentatione teſtantur.

Hæc habuimus, quibus Pariſienſis Academiæ curam, celebritatem, & illius auditorum frequentiam generatim & veluti per averſionem probaremus.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Summi quidam viri in Parisiensis Academiæ sunt educati.

HIc summorum virorum nomine eos tantum intelligo, qui vel Romani Pontifices, vel Principes fuerunt. Ceterorum vero multitudo cum pene infinita sit, infinitum quoque est singulos recensere. Iis ergo recensendis supersedeo.

Romanorum Pontificum familiam ducet Innocentius tertius, de quo ita loquitur anonymus Auctor in illius gestis, quæ nuper ex Fuxensi Bibliotheca in lucem prodierunt. *Hic primum,* inquit, *in Urbe, deinde Parisius, tandem Bononiæ scholasticis studiis insudavit, & super coætaneos suos tam in Philosophica, quam in Theologica disciplina profecit, sicut ejus opuscula manifestant.* Deinde post multa alia: *Porro summus Pontifex attendens quod idem Autissiodorensis unus fuerat ex illis, qui ab initio interdicti sententiam non servarunt, & Senonensis Ecclesia eam observaverat ab initio, ut discerneret inter inobedientes & indevotos, postulationem ipsius in publico consistorio reprobavit, cum secundum legem divinam non sit arandum in bove & asino, nec quisquam debeat vestem induere de lana linoque contextam. Unde quidam protinus clamavit: Nunquam Autissiodorensis Episcopus de bene cantando tantum acquiret, quantum de male cantando jam perdidit. Universis exultantibus & laudantibus Deum, præfecit eidem magistrum Petrum de Cor-*

Corbolio, cujus Parisius in sacra Theologia fuerat auditor, quem jam pridem in Cameracensem Episcopum fecerat promoveri. Quibus manifesta sunt duo, & Innocentium tertium Parisiis operam dedisse Theologiæ, & ejus in Theologia magistrum fuisse Petrum de Corbolio, quem Innocentius ipse primum ad Cameracensem, deinde ad Senonensem Ecclesiam promovit. De Parisiensi autem hujus Pontificis magisterio hic nihil habetur. Invenio quidem illum a nonnullis recentioribus magistrum seu Theologum Parisiensem dictum, sed & ab antiquis hoc nomine donatum non invenio. Tunc enim non qui audiret tantum, sed qui doceret Theologiam, magister in Theologia vocabatur. Innocentium autem Parisiis vel alibi docuisse qui probabunt? Ceterum locus, in quo Innocentius studuit, beatæ Mariæ Claustrum est, cujus Scholas Petrus de Corbolio & ipse Parisiensis Canonicus rexit, & opera Theologiæ quædam reliquit, quæ habeo manu exarata sub hoc titulo: *Quæstiones scholares magistri Petri Senonensis Archiepiscopi.*

Gregorius nonus, cujus ita meminit Martinus Crommerus in libro 8. de rebus Polonorum: *Ivo Episcopus Cracoviensis cum Gregorio nono in Academia Parisiensi conjuncte & familiariter vixerat.* Hic autem Pontifex Canonicus Parisiensis fuerat, & in Ecclesia beatæ Mariæ eam fundavit stationem, quæ hodieque magno cum pietatis sensu frequentatur.

A Gregorio nono haud multum distat Urbanus quar-

quartus, de quo ita Papyrius Maſſonus in libro 5. de vitis Pontificum loquitur ex antiquis monimentis: *Ideo vir dilectus Deo & hominibus, dum adhuc eſſet puerulus, Pariſius mittitur, ut ibi armariolum puri pectoris ſcholaſticis imbueretur diſciplinis: ubi ſic laudabiliter primo in liberalibus artibus, poſtmodum in ſcientia Juris Canonici ſuperni numinis benedictione profecit, quod in utriſque cathedrali promeruit titulo inſigniri. Cumque ipſius excellentis ingenii altitudo majorum profunda requireret facultatum, ad Theologiæ ſtudium ſe convertit, in qua ſic laudabiliter dignoſcitur profeciſſe, quod lingua ejus ſcribæ calamus prædicationis verbo ſingulos confovebat.* Hic eſt Pariſienſis curſus ſtudiorum Urbani quarti, quem cum alia multa pietatis & doctrinæ opera, tum inſtitutum quoque Corporis Chriſti feſtum reddidit illuſtrem, & conſequentibus annis prædicandum.

Urbanum quartum ſequitur Innocentius quintus, quem pro certo conſtat Pariſienſem in Theologia magiſtrum fuiſſe. Joannes de Sancto Victore, ſcriptor illius temporis in Memoriali Hiſtoriarum ad annum 1270. *Poſt quem*, inquit, (Gregorium decimum) *Frater Petrus de Tarantaſia, de Ordine Fratrum Prædicatorum, magiſter in Theologia electus eſt in Papam, & vocatus eſt Innocentius quintus.* Idem memoriæ prodidit Sanctus Antoninus: idem quoque Trithemius his verbis in catalogo Eccleſiaſticorum Scriptorum: *Petrus de Tarantaſia, Ordinis Prædicatorum, & poſt Gregorium decimum Papa Innocentii quinti nomine cano-*

nonice consecratus, sedit in Pontificatu summo mensibus tantum quinque: vir certe in divinis Scripturis eruditissimus, & in Philosophia Aristotelica nobiliter doctus, qui Theologiam multis annis egregie docuit, & magnam suæ eruditionis laudem acquisivit. Deinde nominat libros, quibus amplissimum est apud posteros nomen consecutus.

Innocentio quinto succedit Hadrianus quintus, quem Innocentius quartus patruus Parisiensibus in Claustro beatæ Mariæ magistris erudiendum tradidit. Et quo commodius id fieret, nepotem Parisiensis Ecclesiæ Canonicum fieri curavit. Sed ne quid in exsolvenda pensione annua fraudis admitteretur, Innocentius ad Parisiense Capitulum scribit his verbis: *Innocentius dilectis filiis Decano & Capitulo Parisiensi. Satis igitur fovendum est votum dilecti filii Octoboni Concanonici vestri, & etiam promovendum, qui cum de Præposituris Roseti, & de Braia, ac grangiis Nemoris sibi duntaxat relictis, absque annexa conditionis hujusmodi, & alicujus onere pensionis, relicta prædicta cum domo de Simero Parisius juxta claustrum sita, & vineis montis martyrum, de quorum proventibus sine gravi detrimento vobis statutæ pensionis emolumentum obvenire poterit, pro debito vobis onere deputentur, &c. Lugduni Pontificatus sexto.* Præterea ob eruditionis acceptæ beneficium Parisiensi Ecclesia multa legasse veteres hujus Ecclesiæ commentarii testantur.

Post Hadrianum quintum prodit sese Benedictus duodecimus, de quo ita in ejus vita, quæ ex manu-

nuscripto codice Fuxensis Bibliothecæ prodiit: *Hic prius fuit vocatus Jacobus Furnerii, alias cognomento Novelli, qui in juventute sua sub habitu regulari & monastico decrevit Domino famulari, fuitque receptus & indutus in Monachum in monasterio Bolbonensi Ordinis Cisterciensis, diœcesis Mirapicensis, ubi postquam edoctus fuit in regularibus observantiis & claustralibus disciplinis, diutius circa studia literarum insudavit, tam Parisiis, quam alibi permanendo, in quibus adeo profecit, quod tandem fuit effectus sufficiens & notabilis magister in sacra Theologia.* Hunc Wernerus Rolewinkius, & alii magistrum in Theologia vocant.

Ad Benedictum duodecimum accedit Clemens sextus, quem Bartholomæus Urbinas sacræ Theologiæ Professorem appellat in epistola, quæ Milleloquio Augustini præfixa est: *Divinæ benignitatis immensa clementia re & nomine Urbi & orbi Clementem summum largita est Pontificem, ad quem cum fiducia licet accedere, velut ad omnimodæ largitatis fontem pium. Non temeritatis audacia sed simplicitatis confidentia induxit me pauperem, ut hoc opus mitterem ad pauperum patrem. Omnipotens enim Deus ad Apostolicæ sedis culmen promovet sapientes, vel jam vocatos illustrat. Unde tali consueta pietate, quæ sacræ paginæ Professorem fecerat dignissimum, nunc sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ constituit Episcopum, &c.* Hæc ille, quibus quidem constat Clementem in Theologia magistrum fuisse; sed Parisiensem fuisse significat inprimis Franciscus Petrarcha in lib. I. rerum memoranda-

rum: *Clemens VI. egregius nunc Romulei gregis pastor, tam potentis & invictæ memoriæ traditur, ut quidquid vel semel legerit, oblivisci etiamsi cupiat, non possit. Hoc sibi & studiorum nutrix alma Parisius, & orbis universus tribuit.* Sed clarius Clementis vita ex manuscripto Fuxensi: *Hic prius*, inquit, *vocatus est Petrus Rogerii, fuitque monastico habitu indutus in monasterio Casæ-Dei in Alvernia, diœcesis Claromontensis, Ordinis Sancti Benedicti, in suæ flore juventutis: ubi primo edoctus extitit in regularibus observantiis, demum ivit ad studia literarum, in quibus adeo profecit, quod fuit effectus profundissimus & solemnis magister in sacra Theologia:* sed Lutetiæ Parisiorum, ut Massonus in Clementis vita scribit, & confirmatur ex publico Theologorum Parisiensium super visione beata judicio, cui Clemens, tunc Petrus Rogerii dictus interfuit. Illud postea referemus.

Romanorum Pontificum familiam claudet Alexander quintus, quem Gerso Cancellarius Parisiensis magnum Theologum appellat in sermone contra bullam Mendicantium, *quam*, inquit, *aliqui Ordinum quatuor Mendicantium impetrarunt, aut, ut verius dicam, extorserunt, vel per cautelam, vel per inadvertentiam sancti patris nostri: sanctus enim pater noster, qui magnus est Theologus, nunquam rem talem admisisset, si eam examinasset.* De Alexandro quinto loquitur, a quo Mendicantes nonnulli bullam qua de agitur, impetraverant, vel extorserant. Significantius adhuc scribit Platina in vitis Pontificum: *Hic enim ab adolescentia Ordinem*

dinem Minorum ingressus, adeo Parisiis liberalibus studiis, Theologicæque disciplinæ vacavit, ut brevi & publicam Scholam habuerit, & in libros Sententiarum docte & acute scripserit. Hinc Æneas Silvius in libro 10. Epitomes Blondi, Pontificem illum *summum Philosophum atque Theologum* vocat. Rem exploratam ita tradit Papyrius Massonus in libro 6. de Episcopis Urbis: *Fuerat ex Theologo Parisiensi Archiepiscopus Mediolani Insubrum, postmodum Cardinalis, ac denum in viventium Pontificum dignitatem locumque vocatus est Ecclesiasticæ concordiæ causa, annumque ætatis fere septuagesimum attigerat. Admirationis plenum est, quod vir optimus narravit, se nec parentes, nec fratres, aut aliquem ex agnatis cognatisve suis unquam vidisse, sed a Franciscano quodam Italo susceptum in Creta, ductumque in Italiam, mox in Angliam missum, cumque Oxonii operam humanioribus literis dedisset, Lutetiam Parisiorum venisse, ut Philosophiæ & Theologiæ studia disceret, in eaque diu professum scientiam rerum divinarum, & ad librum Sententiarum commentarios scripsisse.*

His Pontificibus addam nepotes Alexandri quarti, quos patruus ad optimas artes instituendos Parisiensibus magistris concredidit. Cui rei fidem præstat hæc Alexandri epistola: *Alexander servus servorum Dei, dilectis filiis Decano & Capitulo Parisiensi, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum dilectos filios Joannem, Rogerium, & Blasium nepotes & capellanos nostros Parisius duximus destinandos, disciplinis ibidem scholasticis vacaturos,*

 at-

attendentes, quod ex conversatione bonorum morum formetur honestas, & propter hoc eorum profectibus expedire, quod iidem morentur in loco congruo, & cum personis conversentur honestis: universitatem vestram duximus attente rogandam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ipsos cum ipsorum familia, in domibus Claustri Ecclesiæ vestræ morari pro reverentia nostra benignius permittatis, statuto contrario, quod habere dicimini juramento firmatum, ne quis non Canonicus, vel in expensis Canonici, in domibus ipsis manere valeat, non obstante, preces nostras taliter impleturi, quod vestra exinde possit devotio merito commendari. Datum Anagniæ 3. Calendas Julii, Pontificatus nostri anno secundo.

Hactenus de Pontificibus & iis, qui sua ad Pontifices consanguinitate spectant. Nunc agendum est de Principibus, non qui Academicos homines ad se vocarunt, capiendæ disciplinæ causa; sed qui ad Academicos homines accesserunt. De primis hic nullus nobis erit sermo, quia infinitus esset; sed de aliis, qui in Academiæ Parisiensis penetralibus educati fuerunt. Hic historicum non ago, nec annalium conditorem: sed ex historia & annalibus veterum flores decerpo, qui mihi ad Parisiensis Academiæ parentis optimæ decus & splendorem conducere videntur.

Ab exteris ordiemur, & Carolum Imperatorem quartum adducemus, *qui*, ut scribit Trithemius in Hirsaugiensi Chronico ad annum 1360. *cum esset vir doctus, quippe qui in Gymnasio Parisiorum mul-*

to tempore operam literis dederat, amaretque præ ceteris viros eruditos, Universitatem pro decore Bohemiæ laudabiliter instituit, quæ multis privilegiis & donationibus ab eo illustrata, in brevi tempore ultra omnes totius Germaniæ Universitates gloria & numero personarum crevit. Multorum instar esse potest Carolus Imperator, quem Academiæ Parisiensis Scholarem Germanus Auctor asserit.

E Gallis vero plures damus Borbonios Principes, quorum nominibus Academiæ regesta plurimum illustrantur. Horum primus occurrit Ludovicus Borbonius Cardinalis, de quo ita commentarii Academici loquuntur anno 1524. quo Joannes Colinæus Gallicanæ nationis Procuratorem agebat: *Die Martis undecima convocata est Universitas apud Sanctum Maturinum super tribus articulis per Decanum Facultatis Theologiæ, eo tempore, quo suffectus erat in Rectorem dominus magister Petrus Luillier: primus super declaratione eorum, quæ dominus Cardinalis Borbonius dixerat in Collegio Navarræ, superioribus Facultatibus, & Facultate artium præsentibus. Decanus Facultatis Theologiæ cœpit recensere quæ ab eo audiverat; illum scilicet habuisse orationem ajebat, in qua Universitatem magnifice & luculenter laudavit, ejusque alumnum se & ejusdem fautorem semper fore promisit; quinimo si qua privilegia fuissent adempta, sese toto conamine, ut restituerentur, annixurum, imo & acturum pro viribus. Deinde quod admonuit, ut Universitas pro Rege ab hostibus detento ad Domi-*

num preces effunderet, ut iis placatus labenti regno succurreret, promittens se una cum fratre domino a Vindocino, si Deus auxilium non negaret petitum, ita regno & Ecclesiæ interea profuturos, ut non suæ, sed publicæ utilitati consulentibus omnia quantum possunt, in tanto malo prospere succederent. Sic Ludovicus Cardinalis Borbonius alumnum se Academiæ profitetur, & revera multos annos Scholaris egerat in Regio Navarræ Gymnasio.

Alter Carolus Borbonius, quem ita memorat Rectorum Academiæ liber ad annum 1534. die decima Octobris, inter eos qui fidem Academiæ præstiterunt, Rectore Hugone L'Esprevier, in Theologia Baccalaureo, & Regiæ Navarræ socio: *Carolus a Borbonio, filius Caroli a Borbonio, Ducis Vindocinensis, regali prosapia natus, diœcesis Meldensis.* Caroli mentio incidit in epistola, qua Jacobus Brullius Monachus monasterii S. Germani Pratensis dedicat editum a se Isidorum Hispalensem: *Carolus Borbonius natus anno 1523. ubi excrevit, liberalibusque studiis aptus visus est, ad regale Navarræ Gymnasium Lutetianæ civitatis, consodalem Carolum Lotharingium, postea Remensem Archiepiscopum ac Cardinalem habiturus mittitur.* Id ante Brullium Claudius Espencæus notaverat in epistola, qua suos in quasdam Pauli epistolas commentarios Carolo Borbonio Cardinali, & Archiepiscopo Remensi nuncupat anno 1571. *Præter meam in regias prosapias vestras (quibus a progenitoribus & majoribus usque meis servio) reverentiam, sic quoque visum est, consuetudinem & amicitiam*

am ſtudioſam, in quam in regali Navarræ Collegio a vobis eximia tum ſpe & maxima indole pueris annos ante plus minus quatuor & viginti juvenis ſum receptus, hoc μνημοσύνῳ refricare. De Carolo Borbonio, & de Carolo Lotharingio loquitur.

Tertius in eodem Rectorum libro ad annum 1537. Rectore Aquilino Pluiette, in Theologia Baccalaureo, & Regiæ Navarræ ſocio: *Joannes a Borbonio nobiliſſimus, Francorum Regum ſanguine natus, domini Caroli a Borbonio Vindocinenſis Ducis filius, Laudunenſis diœceſis.*

Quartus Carolus Cardinalis Vindocinenſis, poſtea Borbonius dictus, quem majores noſtri humanioribus literis & Philoſophiæ vacantem in regio Navarræ Collegio viderunt. Ab hujus Principis inſtitutione Joannem Hamiltonum maximopere commendat Ludovicus Servinus, qui pro illo elegantem orationem habuit, qua eundem ab Academia Pariſienſi ad parochiæ Sanctorum Coſmæ & Damiani præfecturam jure nominatum defendit. Servini verba ſi quis requirit, hæc ſunt Latine reddita: *Joannes Hamiltonus ſanguinis regii Principem inſtituit, cujus ipſa virtus virtutem docere poteſt, dominum Cardinalem Vindocinenſem, maximæ ſpei Principem, & dominos Cardinalem Joioſeum, & Comitem a Buchagio fratres domini Ducis Joioſei, qui Regis ſororem duxerat, & qui magnus erat literarum fautor & patronus.*

His adjiciam fratres illos quatuor, qui ad annum 1537. in libro Rectorum inter juratos Scholares re-

periuntur: *Franciscus, Carolus, Guido, & Georgius de la Tremoille, nobiles ac generosi, sanguineque regio nati, filii illustrissimi Principis de la Tremoille, Pictavienses.* Missos facio omnes Lotharingicæ domus Principes, quos sine dubitatione Academia Parisiensis aluit in Regio Navarræ Gymnasio. Sed de his satis.

ARTICULUS VII.

Pontifex seu Romana Curia Parisiensem Scholam consulit in rebus dubiis.

MAgnificum articuli hujus titulum si quis forsan miretur, mirari desinet evolutis veterum Theologorum Paris. monimentis. E pluribus testes duos dabimus Parisienses Theologos in paucis nominatissimos, Robertum de Corceon, & Joannem Gersonem, utrumque Academiæ Cancellarium, quorum ille sub Innocentio III. Apostolicæ sedis legatus in Gallias missus est; hic vero in Concilio Constantiensi *usque adeo superexcellens doctor habitus est, qualis vix in tota Christianitate reperiri poterat*, ut Joannes Cochlæus in libro 2. historiæ Hussitarum testatur.

Primum igitur audiamus in Summa Theologiæ, quæstione de fraterna correctione, cap. 4. *Alexander tertius hæsitans de ipsius expositione*, (præcepti de fraterna correctione) *consultationem misit Parisius magistro Petro Lombardo, quærendo ea dubia, quæ de eo sunt inquirenda: scilicet utrum illud capitulum sit intelligendum de occulto crimine tan-*

tantum, vel de manifesto tantum, aut de utroque simul, & qualiter sit procedendum in accusatione tali, scilicet utrum inscribendo, vel benigne ammonendo, & utrum sufficiat inductio unius testis, & utrum sufficiat tandem ostendere crimen fratris Episcopo loci loco Ecclesiæ. Magister Petrus Lombardus fertur respondisse, quod capitulum illud intelligendum est de occulto crimine: verbi gratia, ego solus scio solus, quod fornicatus es, & non vis desistere: venio ad te dicens: Frater dimitte hoc: & non vult dimittere. Postea induco duos qui nesciunt hoc, & coram illis confitetur illud, sed tamen non vult desistere: & ideo dico illud Ecclesiæ, vel Episcopo: ille autem ibi negat totum, & dicit se dixisse quoddam factum illis testibus, & mentitum se fuisse illis per omnia. Certe si sic fiat, non procedit ulterius accusatio. Potest tamen Episcopus talem ad purgationem cogere. Hic solius Petri Lombardi fit mentio, quia tunc fere solus Scholæ Theologicæ magna cum laude præsidebat. Sed quid sibi & aliis Parisiensibus Theologis hac de quæstione videretur, Pontifici solus rescripsit. Vera hujus de fraterna correctione præcepti intelligentia Romanos Pontifices non semel torsit. Nam ante Alexandrum III. Eugenius III. super eo præcepto consuluerat magistrum Odonem monasterii Ursicampi Abbatem, qui postea Tusculanus Episcopus factus est. Hoc ipsemet Odo testatur in quæstionibus Theologicis, quæ nondum in lucem prodierunt.

Alterum vero expendamus in ea propositione, quam in Concilio Constantiensi habuit contra magi-

magiſtrum Joannem Parvi: *Ad Facultatem*, inquit, *Theologiæ deferuntur frequenter a diverſis mundi partibus, imo & a Romana Curia nonnunquam, quatenus habeatur ejusdem Facultatis doctrinale judicium.* Et poſt alia: *Placet tandem attendere, quod in Curia Romana minor eſt abundantia Theologorum, quam conſuevit eſſe Pariſius, exempli gratia, & dum inde trahitur cauſa fidei per appellationem ad Curiam Romanam, ſolet remitti ad Univerſitatem Pariſienſem, ſicut viſum eſt pluries temporibus noſtris. Propterea non videtur rationabile, cauſam fidei per tot ſolemniſſimos Theologos agitatam & diſcuſſam remittere diſcutiendam uni, duobus, vel tribus Cardinalibus non Theologis, ſicut dominus Baltazar nuper Papa Joannes XXIII. facere conatus eſt in cauſa condemnationis propoſitionis defuncti magiſtri Joannis Parvi, quæ usque modo pendet coram domino Cardinali de Urſinis, non ſine gravibus damnis & expenſis domini Epiſcopi Pariſienſis & Inquiſitoris.* Hæc ille in propoſitione bene longa, quæ nondum juris publici facta eſt.

Ex his autem verbis Pariſienſis Schola quantum valuerit apud omnes auctoritate, diſpicitur. Hinc ad eam a diverſis mundi partibus ſæpiſſime, inde ab Romana Curia conſultationes aliquando mittuntur, & eo mittuntur, ut quod in facilibus non accidit, in arduis certe rebus conſilia & reſponſa ſapientium quærantur. Sed quod omni laude majus eſt, & de quo tanto præſertim teſte dubitare non licet, quæ per appellationem ad Romanum tribunal defe-

deferebantur controversiæ, cum ibi finem capere non possent, ad Parisiensis Scholæ magistros remittebantur. Istud vero cum pluries suo etiam tempore factitatum scribat Auctor idoneus & locuples, mirum nemini videri debet, Parisiensem Scholam ad tam magnum, quam quod maximum fidei apud omnes auctoritatisque fastigium pervenisse: deinde Gersonem iniquo animo ferre, ut quæ causa in frequentissimo Parisiensium Theologorum consessu judicata fuerat, rursum uni, duobus, aut tribus abhinc anno 23. delegatis judicibus discutienda dirimendaque committeretur.

Gersonis porro testimonium, quod missis ab Romana Curia pluribus ad Parisiensem Academiam consultationibus fœcundum est, si quis pro dignitate rei expendat illud, articulum hunc, qui alias brevis est, ad multas paginas produxisse judicabit. Silentio prætermittere non possum, quod idem Gerso in sermone, quem nomine Universitatis habuit coram Carolo VI. Delphino, & Regni proceribus, sic antedixerat: *Justis de causis offert ac proponit salutationem istam Regis filia, studiorum mater, pulcher & clarus sol Franciæ, imo vero totius Christianitatis, Parisiensis universitas, a qua huc missi sumus, Rex nobilissime, & excellens Princeps.* Et quibusdam interpositis: *Hæc, inquam, Universitas multo præclariorem veræ fidei, sempiternæque vitæ, quam altera* (Atheniensis) *habet cognitionem. Quam ob causam lumen fidei, veritatis magistra, clarum lumen totius sanctæ Ecclesiæ & Christianitatis est appellata.* Parisiense Studium hac

tanta

tanta celebritate famæ cum jam universis notum esset gentibus, ex eo contigit, ut quæ Theologiæ quæstiones ubiubi dilui non poterant, ad illud diluendæ deferrentur. Persuasi erant omnes & merito, clavem potestatis sic indigere clave scientiæ, ut hac non adhibita, nihil ab alia sine periculo erroris vel clauderetur, vel aperiretur.

ARTICULUS VIII.

Romani Pontifices Parisiensem Academiam exquisitis laudibus exornant.

ARticulum hunc expediemus paucis, atque e Pontificibus multis adducemus quatuor, qui Parisiensem Scholam cum novissent penitius, eam debitis laudibus afficiendam esse crediderunt.

Primus erit Gregorius nonus, his verbis: *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis magistris & Scholaribus Parisiensibus salutem & Apostolicam benedictionem. Parens scientiarum Parisius velut altera Cariathsepher civitas cara claret. Magna quidem, sed de se majora facit optari, docentibus & discentibus gratiosa. In qua utique tanquam in officina sapientiæ specialis habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo rite conflatur. Ex quibus prudentes eloquii mystici murenulas aureas vermiculatas argento cudentes, fabricantes monilia ornata, lapidibus pretiosis, imo nullo pretio comparandis, sponsam Christi decorant. Ibi ferrum de terra tollitur,*

litur, quia dum terrena fragilitas fortitudine solidatur, lorica fidei, gladius spiritus, & cetera, unde fit Christianæ militiæ armatura potens adversus aereas potestates, & lapis calore solutus, in æs vertitur, quia corda lapidea sancti Spiritus afflata fervore dum ardent, incendunt, & fiunt prædicatione sonora præconantia laudes Christi, &c. Datum Laterani in mense Aprili, anno Pontificatus quinto.

Alter Urbanus VI. in epistola, quam postea referemus. *Inter*, inquit, *imo supra ceteras studentium Universitates, in quibus scientiarum gemma refulget, Parisiensis velut quoddam sydus irradiat, & pulsis procul ignorantiæ & errorum tenebris, doctrina sua seu lumine circumlucet. Ex ipsa namque tanquam ex purissimo fonte semper sani verique dogmatis rivuli profluxerunt, qui per innumeros alveos Parisius discurrentes, falsarum opinionum limum absterserunt. Hujus quidem fontis claritatem nulla unquam quantalibet impetuosa vis pluviæ turbidavit.* Et post alia: *Quidni gaudeamus, & exultet spiritus noster, quando intra felicia castra Parisiensis Studii doctissimos & magnanimos veritatis & orthodoxæ fidei pugiles intuemur, &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Pontificatus nostri anno primo.* Hæc ille, qui cum Clemente VII. vixit in schismate.

Tertius Pius II. in Bulla retractationis eorum opinionum, quas dum erat Æneas Silvius, defenderat. *Aderant*, inquit, *in Concilio Basiliensi legati*

Scholæ

Scholæ Parisiensis, cujus est fama per celebris, &c. Datum Romæ 6. Cal. Majas 1463.

Quartus Innocentius octavus in ea epistola, quam 7. Decembris, anno 1486. ad Facultatem Theologiæ Parisiensis scripsit: *Dilecti filii, salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus non sine magna cordis nostri lætitia sinceram animorum vestrorum devotionem, quam ad nos, sanctamque Romanam Ecclesiam, & fidem Catholicam habetis. Cum omne studium & curam vestram pro ejusdem fidei defensione, & hæreseων extirpatione, sicuti probatissimos quosque Christianos decet, incessanter adhibueritis; meremini profecto pro hujuscemodi militia tam animose & strenue gesta Apostolicas gratias, nostramque benevolentiam, per illud præsertim quod nuper egistis contra quendam Joannem Laillier, qui spiritu iniquissimo seductus, ausu temerario varias propositiones scandalis & hæresi plenas, & Ecclesiæ & Sanctorum determinationi, imo vero Evangelicæ & Apostolicæ Scripturæ contrarias, & de hæresi suspectas, non erubuit publice prædicare, in magnam Dei & Sanctorum & Romanæ Ecclesiæ contumeliam. Vos itaque non mediocri laude dignos censemus, qui tanquam veræ fidei propugnatores pro revocandis erroribus, quantum in vobis fuit, procurastis. Fuit quoque nobis gratissimum, quod per vos non fuerit admissus ad vesperias & Theologicum magisterium.* Et post alia: *Sententiam Episcopi Parisiensis, qua ab eodem Joanne hæreticalem infamiam abolevit, irritamus, cassamus & annullamus.* Et post alia: *Opus Deo gra-*

gratum & nobis acceptissimum fecistis, eritque sedes Apostolica pro hujusmodi factis ad vos omnes amplioribus gratiis & favoribus prosequendos paratissima. Datum Romæ. Hæc Innocentius Pontifex octavus, quibus, quæ ab antecessoribus Scholæ Parisiensi tributa sunt elogia, conclusit. Quidquid autem in his elogiis continetur, eo spectat, ut Parisiensis Schola scientiarum parens habeatur, & ex ea tanquam ex purissimo fonte optimæ quæque artes & disciplinæ ad alias mundi plagas derivatæ credantur: deinde ut omnes agnoscant, Parisiensem Scholam hoc sibi vindicare potissimum, quod præ ceteris Academiis Catholicæ fidei dogmata constantissime defendat, vel ab iis nullatenus sensibus recedat, quos sanctos majores ac patres suos celebrasse manifestum est. Quæ duo vel sola Parisiensem, aut quamlibet aliam Academiam summe commendare possunt. Ad illam porro duplicem optimæ commendationis notam velut cumulus accessit Nicolai III. privilegium, quo Parisiensibus magistris ubique terrarum liceat legere & regere, ac pro doctoribus & magistris haberi. Id autem privilegium sic se habet: *Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Universitati magistrorum & Scholarium Parisiensium salutem & Apostolicam benedictionem. Dum attentæ considerationis indagine perscrutamur, quod per literarum studia, cooperante illo, a quo omne datum optimum, omneque donum confluit & perfectum, viri efficiuntur scientiis eruditi, per quos Scripturarum veritas explicatur, erudiuntur rudes, provecti ad altiora*

 con-

concrescunt, & fides Catholica invalescit: libenter talia loca, ubi patent studia hujusmodi, & studentes in eisdem, gratiis, muneribus, immunitatibus & libertatibus honoramus. Cupientes itaque ut studentes in agro scientiæ apud civitatem Parisius, ad magisterii gradum animentur, & in Facultatibus, in quibus cathedra decorari meruerunt magistrali, cunctos valeant ubique erudire, præsentium tenore decernimus, ut quicunque ex Universitate vestra apud civitatem prædictam ab illis, per quos consuevit licentiandis in dictis Facultatibus auctoritate Apostolica regendi licentiam elargiri, prout est ibi hactenus observatum, quod qui examinatus & approbatus fuerit ab eis, & hujusmodi licentiam obtinuerit, in Theologiæ, vel Juris Canonici, aut Medicinæ, seu liberalium artium Facultatibus ex tunc absque examinatione vel approbatione publica, vel privata, vel aliquo alio novo principio, regendi atque docendi ubique locorum extra civitatem prædictam liberam habeat facultatem, nec a quoquam valeat prohiberi, non obstantibus aliquibus aliis consuetudinibus vel statutis, & si velit legere, sive non, in Facultatibus prælibatis pro Doctore nihilominus habeatur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Dei omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, decimo Calendas Aprilis.

Hæc

Hæc & alia, unde celebritas nominis oritur, fuerunt, opinor, causa, cur in Ecclesiæ Conciliis supra reliquarum Universitatum magistros Parisienses nostri primas facile tenuerint. Atque ut nihil dicam de iis Conciliis, quæ Tridentinum antecesserunt, Parisienses in ipso Tridentino duplicis honoris prærogativam consecutos esse liquet. Et primum quidem Theologos omnes præter eos, qui a Pontifice missi sunt, præcedunt. Deinde soli ex omnibus Facultatis suæ nomine sese inscribunt: *Doctores Theologiæ Facultatis Parisiensis, missi a Carolo nono Galliarum Rege Christianissimo.* Ceteri vero Doctores Theologicæ Facultatis suæ nomine non sese inscribunt: *Theologi missi a Philippo Rege Catholico: Theologi missi a Rege Portugalliæ.* Parisiensis Facultatis nomen majestatis aliquid objicit, quod non objicit aliarum Facultatum nomen. Hæc porro majestas duobus maxime conciliatur, antiquitate & eruditione: quæ ceteris a Parisiensi Facultatibus Theologiæ pari modo non conveniunt.

ARTICULUS IX.

Romani Pontifices Academiæ Parisiensi se in Apostolicam sedem promotos esse per literas significant.

QUod Romani Pontifices recens creati se in Apostolicum thronum allectos esse nunciis vel litteris significaverint Academiæ, maxima apud omnes illam auctoritate valuisse argumentum est

certissimum. Nam Academiæ id honoris redditur, quod olim solis propemodum Regibus, & majoribus Episcopis reddebatur. Neque vero id factum est in schismate duntaxat, sed & tunc temporis, cum Ecclesia summa pace concordiaque fruebatur. Præsto sunt exempla plurima, quibus quæ de utroque Ecclesiæ statu diximus, probentur.

Primum à Benedicto XII. repetimus, atque ita sese habet: *Benedictus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Universitati magistrorum & Scholarium Paris. salutem & Apostolicam benedictionem. Altitudo cælestis consilii supra cuncta tenens in excelsis imperium, sic dat esse rebus, & dispensat ineffabili providentia munera gratiarum, sic creaturarum conditiones & status ordinat, ac prout vult, variat & disponit, quod sensus humanus ejus secreta consilia perscrutari non valens, in horum consideratione potius hebetatur, cum sint investigabiles viæ Domini, & sapientiæ suæ magnitudinem humani non capiant intellectus. Facit enim fortem ex debili, balbutientibus eloquium tribuit, & ponit nonnunquam humiles in sublimi, plenam & perfectam habens ad singula, tanquam palma concludens omnia, potestatem. Sane felicis recordationis Joanne Papa XXII. prædecessore nostro nuper, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, ad cælestem patriam ab hujus mundi miseria, sicut pie credimus, evocato, ejusque corpore cum exequiarum solennitate debita tumulato, venerabiles fratres nostri, Episcopi, Presbyteri & Diaconi Romanæ Ecclesiæ*

siæ Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione pastoris convenientes in unum sub deliberatione consilii, quam tanti negotii qualitas exigebat, habito super electionis futuri Papæ celebratione tractatu, licet consentire potuissent in alios majorum meritorum claritate conspicuos, & plurium virtutum titulis insignitos, tandem tamen ad personam nostram dirigentes unanimiter vota sua, nos ad summi Pontificatus apicem divinæ dignationis clementia evocarunt. Nos igitur nostrarum insufficientiam virium, & administrationis tam arduæ sarcinam, tantique oneris gravitatem intenta consideratione pensantes intra nostra præcordia, quid inter tot diversas & varias sæculi fluctuationes & pugnas agendum, quidve tenendum, quiave pensandum existeret, animo duximus trepido revolvendum. Demum vero spiritus virtute resumpta, in illo qui assurgit in occursum timentium & implorantium humiliter nomen suum, quique clementer in semitis suis gressus hominis perficit, inter hujusmodi cogitationum fremitus, anchoram spei nostræ fiximus, ad ferendum sub ejus fiducia jugum servitutis Apostolicæ, imbecilles humeros humiliter submittentes, ac subsequenter benedictionis & coronationis solennia, & cetera recepimus secundum morem ejusdem Romanæ Ecclesiæ in personis Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum hactenus observatum, anxiato & humiliato spiritu Domino supplicando, ut ipse qui nos jugum hujusmodi subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram suæ virtutis robore fulciat, sicque illud fa-

 ciat

ciat sub benignitate portabile, quod sub illo nos non contingat ex nostra debilitate deficere, sed ita sua omnipotentia nobis & gregi Dominico vigilantiæ nostræ commisso potius proficere, quod de talento nobis credito dignam valeamus in extremo judicio reddere rationem. Considerantes igitur, quod nos tanquam hominem inter mundanos conflictus & turbines constitutos, nostrumque imperfectum diligentius attendentes, ad devotionem vestram Deo gratam nostræ mentis levamus oculos, & ad vestrorum orationem, de quorum numero fuimus aliquando, suffragia ferventius aspiramus. Ea propter Universitatem vestram precamur & obsecramus attentius per viscera misericordiæ JESU CHRISTI, quatenus pro persona nostra, statuque salubri & felici universalis Ecclesiæ orationes devotas & sedulas ad supernæ majestatis clementiam effundatis, & etiam effundi faciatis in vestris generalibus congregationibus, ut omnipotens Deus, qui humeris nostris imbecillibus molem imposuit Apostolicæ servitutis, nobis suæ omnipotentiæ dexteram porrigat, defectum nostrum suæ virtutis robore fulciat, ut dum navigabimus in hujus vitæ salo, ac tempestuosis fluctibus & procellis, sciamus & possimus dispersa colligere, fracta connectere, deperdita restaurare, custodire pinguia, manuducere fortia, & humilia confovere, aliasque sponsæ nostræ nobis divinitus copulatæ Romanæ præfatæ & generali Ecclesiæ præesse pariter & prodesse. Nos enim Universitatem vestram devota charitatis zelantes affectu, ipsius salutis & prosperitatis cupimus incrementum, cui libenti animo,

mo, quatenus secundum Deum poterimus, prout expedire novimus, annuemus. Cum autem, sicut intelleximus, portitores hujusmodi interdum esse consueverint contra intentionem mittentium exactores, nunc importunæ petitionis instantia, nunc etiam murmurationum susurris, ac detractionum & querelarum comminationibus exigendo; scire vos volumus, quod nostræ intentionis existit, latoresque præsentium jurare voluimus, quod ad exigendum vel retinendum aliquid talibus instantiis, murmurationibus, detractionibus, seu comminationibus non utantur, nec recipere oblata præsumant. Ideoque ut nostris in hoc intentioni & beneplacitis concurratis, præfatis eorum abusionibus, ceterisque similibus, si forsan eis, quod non esset verisimile, uti præsumerent contra proprium juramentum, contemptis, animo vos ultra præmissa ipsis nostro ministranda mandato, tribuendo aliquid non gravetis, cum non per extorsiones hujusmodi, sed alia retributione congrua intendamus ipsorum laboribus respondere. Datum Avenioni 5. Idus Januarii, Pontificatus nostri anno primo. Hæc Benedictus qui ex Parisiensi Cisterciensis Ordinis Theologo per varias dignitates ad sedem Apostolicam conscendit. An autem primus ille fuerit, qui similes literas Parisiensi Academiæ dederit, nec ne, fateor me nescire. Quidquid id est, institutionis hujus initia vix esse potuerunt augustiora.

Alterum est hujusmodi, quod Urbanus VI. præbebit: *Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Rectori, Magistris, Doctoribus, Scholari-*

bus, & Universitati Studii Parisiensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Inter, imo super ceteras Studiorum Universitates, in quibus scientiarum gemma resplendet, vestra Parisiensis velut quoddam sidus irradiat, & pulsis procul ignorantiæ ac errorum tenebris, doctrina ceu lumine circumlucet. Ex ipsa namque tanquam ex purissimo fonte semper sani verique dogmatis rivuli profluxerunt, qui per innumeros alveos Parisius discurrentes, falsarum opinionum limum absterserunt. Hujus quidem fontis claritatem nulla unquam quantalibet impetuosa vis pluviæ turbidavit. Vobis itaque, dulcissimi filii, qui ex hoc limpidissimo fonte dulcissimas literarum aquas avido haustu elicitis, congaudemus vobis, & sancta Romana Ecclesia congratulatur, cui talia ligna fructus producentia secus decursus aquarum in tam ingenuo viridario summus parens rerum plantavit. Quidni gaudeamus, & exultet spiritus noster, quando intra felicia castra Parisiensis Studii doctissimos & magnanimos veritatis & orthodoxæ fidei pugiles intuemur? Sævas hæreticorum pravitates, quantum potest, evacuat, contra ejus munitissima castra pharetras suas armat turba schismatica. Nam si milites alumni vestri ad resistendum promptissimi, veritatis & fidei thorace muniti, habentes victricia spicula, quibus hostium præcordia penetrantur, habent faces ardentissimas charitatis, quibus illorum machinæ confundantur: habent scaturientis fontis undas, quibus eorum faculæ protinus extinguuntur. Ut enim illud prætereamus, cujus sola recordatione plurimum consolamur,

mur, quod nuper cum ingenti gaudio fide dignorum relatione percepimus, quemadmodum vos adversus eorum hæreticorum atque schismaticorum assertionem subdolam contra vos impudice loquentium nonnullas causas tactas veras, saluberrimas, & quales professionem vestram decent, in nostrum, imo in memoratæ fidei favorem, & utilitatis defensionem simul publice tenuistis, & eas contra quoscunque contrarium profitentes defensastis: pro quibus Universitatem vestram merito laudamus, prosequentes devotionem vestram requirimus & exhortamur attentius, ac per aspersionem pretiosissimi sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI, cujus in hac parte res agitur, obsecramus, quatenus causam justitiamque nostram toti mundo notoriam, quam dicti Pseudochristiani, veri satellites Antichristi obnubilare, ac schisma perniciosissimum in Ecclesia suscitare moliuntur, suscipere, imo jam susceptam defensare, tanquam legitimi certatores, & ut inconsutilis veri Joseph tunica lanietur, sub divinæ potentia dexteræ vos murum inexpugnabilem opponatis, hostiumque multitudinem nullatenus formidetis sub signis militantes victricibus veritatis, quæ licet quandoque calumniantium fucatis argumentorum coloribus impugnetur, vinci tamen non potest, & illorum nequit multitudine conculcari. Nihil enim felicius, quam pro veritate bellare, nulli clariores triumphi, nulla pinguiora spolia reportarentur, quam quæ veritas defensa pollicetur. Eia ergo, athletæ magnanimi, ac veritatis orthodoxæ devotissimi defensores, contra illorum impugnatores & hostes feliciter in-

surgatis, ut proinde præter æternæ mercedis præmia, humanarumque laudum præconia, nostram & Apostolicæ sedis benedictionem & gratiam, ac exauditionem in vestris petitionibus meriti reportetis. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Pontificatus nostri anno primo. Diploma hoc extat in MS. codice cœnobii Sancti Victoris, & illius meminit Radulphus de Rivo Tungrensis Decanus, in tom. 3. Historiæ Pontificum Leodiensium, capite 12. ubi de Urbano VI. ita loquitur: *Insuper literas dirigit ad diversas Christiani orbis partes, quibus electionem suam legitimam asserit. Unas misit ad Universitatem Parisiensem, quæ sic incipiunt: Urbanus Episcopus, &c.* Hæc ille, qui cum Clemente VII. vixit in schismate. Nostrates & quidam alii stabant a Clementis; Itali & nonnulli alii ab Urbani partibus. In solidum neutri assertum est jus Romani Episcopatus. Res injudicata per universam tunc remansit Ecclesiam.

Tertium sic se habet: *Benedictus (XIII.) Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Rectori ac Universitati Studii Parisiensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Mirabiles elationes maris hujus sæculi, magni quidem & spatiosi. Illinc enim reptilia, quorum non est numerus, spiritualia videlicet monstra nequitiæ, quæ cum ipsum mare navigantibus, portumque salutis remige fide petentibus, formidabili congressione luctantur; densis nempe surgentibus undique ventis horrida sævit tempestas, & exaltantur terribiliter fluctus ejus. Quod etsi sit semper turbidum, semper penitus inquietum,*

tum, his tamen infaustis temporibus superabundantibus ac exigentibus demeritis peccatorum, solito vehementius induravit. Flavit enim aquilo frigidus, & refrigerata plurimum Christi fidelium charitate, præter bellorum & dissensionum exitiosa discrimina, quibus inter se diffident, ac non sine gravibus humanorum corporum stragibus, miserandisque cædibus debacchantur omnes fere Reges & populi Christiani, præterque mala cetera vix enarrabilia, quibus miserabiliter concutitur totus orbis, schismaticæ divisionis in Dei Ecclesia supervenit discordia, cujus perniciosissimum damnum Catholica climata nunc inundans, non modicam fidelium absorbuit portionem. Mirabilior tamen in altis Dominus dominans potestati maris, ac motum fluctuum ejus mitigans, & tranquillans Petri naviculam ipsius maris fluctivagis agitatam procellis, & variarum persecutionum allisam scopulis, timentemque cum Christi fidelibus, qui præfati decennii clade tracti ad salvificum ipsius præsidium consurgerent, tam sævis inundationibus prorsus obrui, tantaque tempestate demergi, semper a naufragii perditione liberat, & dum magis de suprema periclitatione formidat, tum eam mirabilius præter mortalium spem erigit in sublime. Dumque naucleri sui eidem pro tempore præsidentis ab hac luce migratio pro mortalitatis humanæ necessitate contigit, ne pro rectoris defectu periculum submersionis subeat, secundum exigentiam temporum & miserorum merita ex ineffabili suæ bonitatis clementia providet successorem, nec semper ad tanti supportationem honoris satis

ido-

idoneum, sed infirma mundi eligens, ut fortia quæque confundat, utque liquido pateat, quod ipsam naviculam ipse per se constructam, suoque sanguine pretioso redemptam, per seipsum regit & gubernat: & ne dictæ naviculæ inter tanta pericula salvatio humanis adscribatur suffragiis, nonnunquam ejus regimini præficit imbecillem, sicut nos homuncionem viribus debilem ac insufficientem meritis, ad ipsius navis clavum, suæ videlicet Ecclesiæ regimen, sua dignatione vocando fecisse noscitur. His diebus felicis siquidem recordationis Clemente Papa septimo prædecessore nostro ab hujus terrestris incolatu miseriæ nuper ad supera, ut pie credimus, Christo vocante, translato, corporeque suo, prout mos est, & debitum exposcebat, honorificæ tradito sepulturæ; venerabiles fratres nostri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, inter quos & de quorum numero tunc eramus, in Palatio Apostolico apud Avenionem, ubi dictus prædecessor vitam corporalem finierat, pro electione futuri Romani Pontificis congregati, in humilitatem nostram, utinam non exorbitante judicio, concorditer & unanimiter per viam scrutinii concordantes, nos tunc Petrum Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem, ad summi Pontificii cathedram evexerunt. Nos vero gradus altitudinem, & oneris imminentis tantæ celsitudinis ascensuri molem, præsertim hujus deflendi schismatis procelloso tempore, nobis in Cardinalatu, diversarumque legationum officio, experientiæ longæ participi non ignotam, attenta meditatione pensantes, eligentium & offerentium instantiæ, insufficientiæ nostræ imparitatem

obje-

objecimus, debilitatem nostram, dictante conscientia, cum repetita multotiens relaxationis supplicatione, humiliter allegantes. Cumque nec sic cessaret instans fratrum importunitas eorundem, sed vim inferens nostro proposito Collegii jussus urgeret; nos ex defectuum nostrorum conscientia diffidentes, de illius tamen confidentes omnipotente clementia, qui pacis & unitatis amator utraque fecit unum, sperantesque quod operi manuum suarum dexteram porrigens, nos in tam profunda maris altitudine positos non relinquet, nostris per fratres eosdem multiplicibus excusationibus non admissis, nec lacrymosis deprecationibus exauditis, ne mundi gravium bellorum multiplicatione divulsi, potissime tamen Ecclesiæ sacrosanctæ, nunc miserabiliter laceratæ dissidio, nostrum electioni prædictæ denegando consensum, discrimina negligere censeremur, quanquam injuncti oneris molem insufficientia nostra refugeret, de superabundanti tamen plenitudine misericordiæ Dei nostri confisi, ei imbecillitatis nostræ subjecimus imperfectionem, ac debiles humeros Apostolicæ supposuimus servituti. Ut igitur ipse Deus nos, quoniam debiles manus ad fortia misimus, corroboret, adjuvet & confirmet, ac Ecclesiæ suæ navem nostro creditam regimini, in hujus mundi tempestatibus custodiat ac dirigat, & per ministerium nostrum ad optatæ portum pacis & unitatis adducat, ad quod, Deus quantum ipse concedet, & humana sinet fragilitas, proponimus omnibus nobis possibilibus modis intendere, totoque conamine laborare, Universitatem vestram monemus ac charitative rogamus,

mus, quatenus preces humiles, sedulas & devotas frequenter fundatis ad Dominum, ut insufficientiam nostram sua pietate suppleat, debilitatem fulciat, nobisque quod est onerosum, læviget, quod laboriosum, alleviet, quod obscurum, suæ claritatis luce revelet, & aspera convertat in plana, sicque præveniendo clementer aspiret, & adjuvando misericorditer prosequatur, quod zelus noster semper in ipsius beneplacitis ferveat, nec unquam in illorum executione torpescat. Ceterum, amicabiles filii, affectum vobis charitativæ benignitatis expandimus, & solidæ charitatis genium aperimus, proponentes, quantum cum Deo poterimus, honori vestro deferre, ac vestra & singulorum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benevolentiæ promovere. Datum Avenione, quinto Idus Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

Altera epistola, quæ *credentiæ* vocatur.

Benedictus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Rectori ac Universitati Studii Parisiensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Mittentes nunc ad regiam ac principum domus regiæ Franciæ præsentiam venerabilem fratrem nostrum Ægidium Episcopum Avenionensem, & dilectum filium Petrum Blanii, Decretorum Doctorem, nuncios Apostolicos, præsentium perlatores, pro nonnullis magnis & arduis negotiis nos, & Romanam Ecclesiam, ac ipsius unionem tangentibus, ac non mediocriter insidentibus nobis cordi, discretionem vestram paternaliter exhortamur, ac affectuose rogamus, quatenus

tenus eisdem in dicendis nostri parte fidem velitis omnimodam adhibere. Datum Avenione 15. Calend. Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

Hæ sunt literæ Benedicti XIII. quibus se ad Apostolicam sedem evectum esse Studio Parisiensi declarat.

Quartum est hujusmodi: Nicolaus V. pares ad Academiam Parisiensem literas scripsit, de quibus Joannes Placentinus ita loquitur in commentariis Gallicanæ nationis: *15. die mensis Maji, anno 1449. fuit congregata per dominum Rectorem in Sancto Maturino, hora 7. alma Universitas Parisiensis super tribus articulis. Primus est ad audiendum literas summi Pontificis Nicolai V. delatas a reverendo magistro nostro, magistro Donato de Puteo Italico &c. Quantum ad primum, natio Gallicana ad partem retracta, regratiata est summe sanctissimo domino nostro Nicolao Papæ V. super grata & benigna communicatione suarum literarum, offerens eidem preces & orationes pro felici & prospero ejus statu. Regratiata est etiam reverendissimo domino Patriarchæ Antiocheno, super bono & sincero affectu, quem habet ad præfatam Universitatem, quam visitare dignata est ejus reverenda paternitas, supra grata communicatione suarum literarum, quibus insinuat omnibus Christi fidelibus mentis lætitiam magnam de unione ac pace universalis Ecclesiæ, eidem gratias referendo super pœnis & laboribus per ipsum in hac re assumptis. Regratiata est etiam reverendis magistris nostris, magistro Donato de Puteo de sua legatione egregie completa, & super omni-*

omnibus pœnis & laboribus ob honorem præfatæ Universitatis assumptis. Regratiata est etiam magistris nostris Romæ commorantibus, videlicet magistro Michaeli Anglici, & magistro Joanni Solerii, super eorum gratis literis, & sincero affectu, quem inspiciuntur habere ad præfatam Universitatem.

Quintum sic se objicit: Pius II. pares etiam ad Academiam literas scripsit, & illæ sic se habent inter illius epistolas numero 384. *Pius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Universitati Studii Parisiensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Pius & misericors Deus noster, universæ conditor creaturæ, quia sapientia fundavit terram, omnia ordinans, cælestia & terrestria, sacrosanctam Romanam Ecclesiam ea complectitur charitate, ut per successivam vicariorum suorum mutationem nulla adversus eam procella, nullus prævalere possit spiritus tempestatis. Sane felicis recordationis Calixto Papa III. prædecessore nostro, de hujus mortalis vitæ valle 8. Idus Augusti ad cælestem patrem evocato, & ipsius funeris ac exequiarum celebratione solenni ac debita subsecuta, nos una cum fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, Romæ in Apostolico Palatio apud Sancti Petri Apostolorum principis basilicam, in quo dictus prædecessor habitaverat, ac debitum naturæ persolverat, modo ac tempore congruis pro futuri creatione Pontificis curavimus convenire, nobisque cum eis fratribus sub deliberationis magnæ negotio, quam tantæ rei qualitas*

litas exigebat, aliquandiu tractantibus, tandem ipsi fratres licet potuissent in alios majoris meriti consentire, tamen sancti Spiritus (a quo sancta Romana & universalis Ecclesia Christi sponsa regitur) infusione ipsorum animos sic afflante, ad personam nostram dirigentes unanimiter vota sua, nos tunc tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, nescimus quo occulto & nobis tremendo judicio, ad celsitudinis Apostolicæ fastigium concorditer elegerunt. Nos autem imbecillitatis nostræ conscii, nostrarum parvitatem virium ad tanti oneris sarcinam digne perferendam agnoscentes, postquam diu quid agendum foret, cogitavimus, tandem considerantes Romani Pontificis electionem, non ab hominibus, sed a divina inspiratione procedere, cujus non licet resistere voluntati, sperantesque eum, qui ab initio fundationis Ecclesiæ infirma mundi elegit, ut confunderet fortia, vires suas nobis ad tanta gubernacula subministraturum, cupidi bene agere, & prodesse potius, quam præesse, in spiritu humilitatis colla submisimus jugo Apostolicæ servitutis. Quapropter devotionem vestram precamur, ut omnipotentem Deum instantius exoretis, a vestrisque omnibus exorari curetis, ut nos per suam gratiam roboret & dirigat in agendis. Nos enim pro nostræ erga vos mentis affectu dispositi sumus in casibus occurrentibus vestram devotionem specialium gratiarum prærogativis, & aliis beneplacitis, quantum cum Deo poterimus, confovere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1458. pridie Nonas Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Q Sex-

Sextum ita ſequitur: Paulus II. pares quoque ad Academiam literas ſcripſit, ut Joannes Curtinus ad annum 1464. teſtatur in commentariis Gallicanæ nationis: *Die 3. Novembris, Univerſitas poſt prandium convocata fuit apud Sanctum Maturinum, per honorandum dominum meum dominum Rectorem ſuper duobus articulis. Primus fuit, ad audiendum lecturam quarundam literarum a ſanctiſſimo domino noſtro, nec non a dominis Cardinalibus miſſarum. Et quoad primum articulum, audita lectura illarum literarum, alma Univerſitas congratulabatur ſuæ electioni, regratiando eundem ſanctiſſimum dominum noſtrum Papam, & dominos Cardinales, de bona communicatione ſuarum literarum, & de bono affectu, quem videntur habere apud almam matrem Univerſitatem Pariſienſem, & pro ampliori congratulatione placuit almæ Univerſitati, quod illa hora poſt congregationem cantaretur ſolenniter apud Sanctum Maturinum,* Te Deum, *pro ejusdem ſanctiſſimi domini noſtri Pauli Papæ II. canonica electione, & quod proxima die opportuna dominus Rector haberet proceſſiones generales facere: Et etiam ne alma mater Univerſitas de ingratitudine argueretur, die 11. ejusdem menſis Novembris, factæ fuerunt proceſſiones Univerſitatis ad exorandum altiſſimum pro proſperitate ſanctiſſimi domini noſtri Pauli Papæ II. apud Sanctam Genovefam in monte.*

Sixtus IV. pares etiam ad Academiam literas ſcripſit anno 1471. ut notat Joannes Sandionyſianus in commentariis Gallicanæ nationis.

ARTI-

ARTICULUS X.

Romani Pontifices concilium generale celebraturi, ad Parisiensem scribunt Academiam, ut ad illud idoneos homines mittat.

MArtinus V. cum juxta Constantiensis synodi decretum anno 1423. ad generale concilium celebrandum se accinxit, ea de re ad Parisiense Studium ita scripsit : *Literas vestras plenas filialis devotionis & fidei libenter legimus, & oratores vestros libenter audivimus, nos eadem fere sententia facunde & prudenter hortantes ad celebrationem concilii generalis : quibus licet per nos fuerit viva voce satis copiose responsum, tamen quia nos delectamur vobiscum loqui in ista materia, nos non dubitamus zelo conservandæ fidei, & Ecclesiasticæ dignitatis commoveri sinceritatem cordis vestri, per has literas ad pleniorem cognitionem patefacere & aperire voluimus. Non est, dilecti filii, dubitandum, quin plurimum profutura sit, sicut scribitis, Christianæ reipublicæ hæc sacra synodus, Deo auctore, de proximo celebranda, per sanctam superiorem Constantiensem synodum instituta ad ordinandam reformationem status Ecclesiastici, & ad periculosas hæreses extirpandas : & propterea nemo debet de voluntate nostra circa hujus celebrationem generalis concilii dubitare. Et si civitas Papiensis ad hoc per ipsam Constantiensem synodum deputata, casu aliquo impediretur, quem avertat Deus, non propterea*

ob hoc necessario & sancto opere desistemus. Nam speramus, quod Deus per misericordiam suam aliquam ex propinquis civitatibus nobis ab omni impedimento liberam conservabit. Denique existimate, nec concilio idoneum locum, nec nobis sincerum animum ad ea, quæ erunt recta & justa, defuturum. Vos vero, filii dilecti, quæcunque in eodem concilio ad honorem Dei, reformationem Ecclesiæ, extirpationem hæresum, & ad pacem, & ad salutem populi Christiani proponenda & statuenda videbuntur, mature, distincte & salubriter providete. Nota nobis est vestra erga Romanam Ecclesiam fidelitas atque devotio, quæ semper vestros sensus erexit atque excitavit ad conservandum atque honorandum caput, unde pendet salus & conservatio Ecclesiasticæ monarchiæ, tum contra inflammata multorum (vota) amplitudinem suam ex rerum perturbatione quærentium, nec nunc tum in honesto proposito spiritus vestros tenuisse putamus, quos velitis excitare ad utiles atque sanctas cogitationes pro fide Catholica, pro dignitate Ecclesiæ, pro libertate Ecclesiastica conservanda. Hæ siquidem curæ dignæ sunt vobis & omnibus, qui Christianam rempublicam salvam volunt, &c. Datum Romæ. Apud Odoricum Raynaldum, in tomo 18. Ecclesiasticorum Annalium. Porro verba hæc, *Ecclesiasticæ monarchiæ*, cum inter verba, *Christianæ reipublicæ*, interponantur, impediunt ne quis verbis istis, *Ecclesiasticæ monarchiæ*, abutatur. Interponantur, dico, cum antequam Martinus dicat τὸ *Ecclesiasticæ monarchiæ*, prius dixerit: *Non est, dilecti filii, dubitandum*

dum quin plurimum profutura sit (sicut scribitis) Christianæ reipublicæ hæc sacra synodus. Deinde postquam Martinus dixit τὸ *Ecclesiasticæ monarchiæ*, subjecit postea, *qui Christianam rempublicam salvam volunt.* Præterea quo in statu res tunc essent in Ecclesia Dei, his verbis, *Ecclesiasticæ monarchiæ*, commodam expositionem injiciunt. Hoc duntaxat observo, ne videatur Martinus secum ipse pugnare.

Eugenius IV. Martini decessoris vestigia relegens ad Parisienses Academiæ proceres scribit literas, ut adsint concilio, ubi agendum erat de reducend.s ad Romanæ Ecclesiæ communionem Græcis. Literæ sunt hujusmodi: *Eugenius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Rectori, Doctoribus, & Magistris Universitatis Parisiensis salutem & Apostolicam benedictionem. Tanquam athletis fidei, &c. in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut statuto termino ad hujusmodi concilium veniatis cum advisamentis pro pace fidelium, extirpatione hæresum, & reformatione cleri atque Prælatorum, & præsertim armis justitiæ, & sanctorum Patrum institutis muniti, ut lumine ingenii & doctrinæ vestræ, atque aliorum, qui in concilio erunt, ipsis Græcis eorum errores ostendere, & media veritate sacra futura synodus Græciæ nat. ad agnitionem veritatis, & ritum Romanæ Ecclesiæ reducere valeat quærendum.* Hæc in tomo 5. Historiæ Universitatis Parisiensis, ad annum 1431. quibus quanta in existimatione pietatis & doctrinæ Parisiensis Universitas fuerit, luculenter apparet.

ARTICULUS XI.

Christianissimi Reges Parisiensem Scholam consulunt in rebus arduis & difficilibus.

HOc loco ne infinitus sim, non ibo per singula, quæ mihi Academicorum temporum memoriam replicanti occurrunt. Ergo Theologicarum in isto sentiendi genere consultationum libet nunc exemplum proferre quadruplex, ex quo de multis similibus conjectura fieri possit.

Primum spectat ad Templarios, quorum secta tempore Philippi Pulchri penitus extincta est. Illud suppeditat Joannes Victorinus in MS. Memoriali historiarum ad annum 1304. *Quos* (Templariorum nonnullos) *dominus Guillelmus de Longareto captos in diversis partibus regni Franciæ, fecit ad justificandum adduci, & Corbolii in carcere reservatos diu & sanctissime custodiri. Cujus custodiæ præceptor & dispositor erat frater Imbertus prædicator & Regis confessor. Hi se opponebant viriliter & audacter ad probandum crimina prætacta esse in eis, etiam ex eorum confessione convinci. Et detenti fuerunt Corbolii, usque quo magister & alii capti fuerint, & dicta crimina saltem pro parte recognoverint. In crastino captionis eorum, die scilicet Sabbati, congregatione facta in Capitulo Ecclesiæ beatæ Mariæ Parisiensis, magistrorum Universitatis, & Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, dictus Guillelmus de Longareto, cum Præposito Parisiorum, & quibusdam aliis Regis ministris,*

ipse

ipse dominus Guillelmus, cui principaliter commissum erat negotium, totum factum retulit. Et post alia: *Postea congregatione generali omnium magistrorum & scholarium cujuscunque Facultatis facta apud Templum, magister transmarinus adductus est, & quidam alii coram omnibus confessi sunt quosdam articulorum prædictorum.* Et post alia: *Item in alia congregatione coram Universitate, magister & alii plures simpliciter sunt confessi, & magister pro toto Ordine.* Et post alia, annum 1308. *Intendebat Rex sapienter agere, & ideo volebat hominum cujuscunque conditionis regni sui habere judicium, vel assensum, ne posset in aliquo reprehendi. Unde proponebat non solum reportare secundum deliberativum judicium nobilium & literatorum, sed etiam civium & laicorum, qui personaliter illic comparentes fuerunt. Omnes dixerunt communiter eos esse reos mortis. Parisiensis Ecclesia, Universitas præcipue, & magistri in Theologia requisiti expresse suam dederunt sententiam vel censuram.* Consultatio hæc non potuit non esse maxima, in qua delendum esse Templariorum Ordinem Parisiensis Schola decernit.

Alterum pertinet ad statum animarum, quæ post mortem purgandum nihil habent. In hac autem quæstione sic Parisienses magistri respondent Philippo Regi Valesio: *Serenissimo principi, ac domino domino Philippo, Dei gratia Regi Francorum illustri, sui devoti Cappellani ejusdem miseratione, Petrus Patriarcha Hierosolymitanus; Petrus Archiepiscopus Rotomagensis; Guillelmus Bernardi,*

Cancellarius Parisiensis; Joannes de Blangiaco, Archidiaconus Vulcassinus in Ecclesia Rotomagensi; Nicolaus de Lyra Ordinis Fratrum Minorum; Joannes de Mattheno Ordinis Sancti Benedicti; Matthæus de Archis; Petrus de Palma, Prior Provincialis Fratrum Ordinis Prædicatorum in Francia; Joannes de Caricampo Ordinis Cisterciensis; Petrus de Casa, Prior Generalis Fratrum beatæ Mariæ de Carmelo; Simon de Meneriis; Guillelmus Reginaldi de Castro, Ordinis Prædicatorum; Germanus Celati; Jarinus de Giaco Ordinis Prædicatorum; Guillelmus de Brena Ordinis Minorum; Guillelmus Calcot Ordinis Prædicatorum; Oliverius Saladini; Gerardus de Pergamo Ordinis Eremitarum Sancti Augustini; Petrus de Verberia Ordinis Vallis Scholarium; Nicolaus de Alexandria Ordinis Eremitarum Sancti Augustini; Petrus Herse Ordinis Carmelitarum; Nicolaus Boneti Ordinis Fratrum Minorum; & Durandus de Aureliaco Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ magistri, cum sui humillima recommendatione per temporalis regni regimen sic transire, ut perveniat ad perpetui regni culmen. Placuit vestræ regiæ majestati nos Dominica quarta Adventus Domini in vestro manerio in nemore de Vicenis ad sui præsentiam convocare, nosque requirere, quod vellemus corporale juramentum præstare, quod super petendis a nobis de statu animarum sanctarum a corporibus exutarum, veritatem, quam sentiebamus, fideliter & absque palliationis cujuscunque velamine diceremus, assistentibus vestræ regiæ celsitudini excellentibus principibus dominis,

minis, Philippo Dei gratia Rege Navarræ, Joanne primogenito vestro Normanniæ, Ludovico Borbonii, Ducibus, Carolo germano vestro Alençonii, Guidone Blesensium, Comitibus, ac reverendis patribus dominis, Guillelmo Auxitano Archiepiscopo, Guillelmo Parisiensi, Andrea Attrebatensi, Guillelmo Convenarum, Petro Ruthenensi, Rogerio Lemovicensi, Bernardo Aniciensi, Joanne Nivernensi, Episcopis, Guillelmo electo Ebroicensi, Petro Cluniacensi, Guidone Sancti Dionysii, Petro Sancti Germani de pratis, Hugone Corbeiensi, Abbatibus, & aliorum tam Clericorum, quam Baronum & militum, consiliariorum, virorum religiosorumque & sæcularium multitudine copiosa. Præfato autem juramento per nos præstito, duæ nobis fuerunt propositæ quæstiones. Prima utrum animæ sanctæ in cælo existentes videant divinam essentiam facie ad faciem ante resumptionem corporum, ante judicium generale. Secunda, utrum visio, quam de divina essentia nunc habent, renovabitur in die extremi judicii, alia succedente. Et quia, Princeps serenissime, vos ut dominum nostrum, carissimum fundatorem & guardiatorem Parisiensis Studii, & nostræ ibidem Theologicæ Facultatis, Regemque præcellentem revereri tenemur, & vestris jussionibus obedire: attendentes specialiter id quod ab ore vestro ibidem audivimus, scilicet quod nihil in hac materia quærebatis, quod tangere possit sanctissimum patrem ac dominum nostrum dominum Joannem, digna Dei providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summum Pontificem, cujus sumus devoti servi & filii;

quinimo ficut filius ejus devotiffimus, honorem fuum in hiis & aliis zelabatis: advertentesque quod multorum fide dignorum relatione audivimus, quod quicquid in hac materia fanctitas fua dixit, non afferendo, feu opinando protulerit, fed folummodo recitando: confiderantesque quod juxta principis Apoftolorum doctrinam, de ea, quæ in nobis eft, fide & fpe parati effe debemus omni pofcenti nos reddere rationem, figillatim quod fentiebamus, fuper petitis refpondimus. Sed omnes in hanc fententiam convenimus, quod a tempore mortis Domini noftri JESU CHRISTI, per quem pretium redemptionis humani generis extitit perfolutum, omnes animæ fanctorum Patrum, quas ibidem Salvator nofter ad inferos defcendens eduxit de Limbo, ceterorumque fidelium animæ, quæ de corporibus exierunt, nihil habentes purgabile, vel quæ jam in purgatorio funt purgatæ, ad vifionem nudam & claram, beatificam, intuitivam & immediatam divinæ effentiæ, & benedictiffimæ Trinitatis, Patris, ac Filii, & Spiritus fancti, quam Apoftolus primæ ad Corinthios 13. nominat vifionem faciei ad faciem, funt affumptæ, ipfa deitate beata perfecte fruuntur, & jam quod crediderunt, videntes, quod fperaverunt, tenentes, non in fpe, fed in re funt beatæ: quodque dicta vifio, quam nunc habent, refumptis corporibus minime evacuabitur, alia fuccedente, fed ipfamet in eis, ficut earum vita æterna perpetuo remanebit. Et quia, Princeps inclyte, poftmodum in die Sancti Joannis Evangeliftæ nos feciftis Parifius congregari, & ibidem fuimus veftro nomine requifiti, ut illud, quod dicta

dicta die Dominica quarta Adventus in vestra præsentia dixeramus, redigeremus in scriptis, nostris ibidem sigillis appensis; licet supplicavissemus quod de his, quæ jam dixeramus, dignaretur vestra celsitudo regia contentari, vel quod sicut quilibet sigillatim responderet, ita in scriptis redigeret sigillatim: tamen nolentes vestris jussionibus contraire, præsentes literas sub appensione sigillorum nostrorum in præmissorum testimonium regali excellentiæ duximus concedendas. Et nos, Guillelmus le Petit: Henricus de Sonjons, Minister principalis Ordinis Fratrum Minorum in Francia; Ægidius de Pertico; Joannes de Sancto Dionysio Ordinis Sancti Benedicti; Guillelmus Herces, Pœnitentiarius Parisiensis; & Robertus de Bardis; in eadem Facultate Theologiæ Doctores, qui in dicta convocatione facta in nemore Vicenarum præsentes non fuimus ex causis legitimis impediti, postmodum in aliis congregationibus fuimus requisiti, præmissis quæstionibus consimiliter cum præfatis patribus & magistris per omnia respondemus, & idem quod ipsi dixerunt, in prædicta materia credimus & sentimus: in cujus rei testimonium sigilla nostra una cum sigillis eorum præsentibus literis duximus apponenda. Datum Parisius apud Sanctum Maturinum, in nostra congregatione generali magistrorum in Theologia regentium, & non regentium, secunda die Januarii, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo tertio. Hæc Facultas Theologiæ Parisiensis, quibus adjiciendum puto, quod Guillelmi Nangiaci Continuator ea de re prodidit, ut hæc historia plenius intelligatur:

Hoc

Hoc anno 1333. cum prædicatio, quam dominus Joannes Papa, prima Dominica Adventus anni 1331. debuit prædicare, in qua publice, ut ferebatur, dixerat, quod animæ decedentium in gratia non vident Deum per essentiam, nec sunt perfecte beatæ usque post resumptionem corporum, quod dictum multos scandalizaverat, quasi sopita videretur: publice tamen apud Avenionem, ubi Papa tunc residebat, istud dictum a pluribus, ab aliquibus, & maxime a quibusdam Cardinalibus ob favorem, ab aliis ob timorem summi Pontificis prædicti; nam quendam Fratrem Prædicatorem, qui contra istud dictum, sive errorem istum prædicaverat, statim in carcerem fecit poni, sustineretur ac etiam prædicaretur, Parisius autem a magistris & tota Facultate Theologia reprobaretur: missi sunt a latere ipsius Papæ Parisius duo magistri in Theologia, unus de Ordine Fratrum Minorum, ejusdem Ordinis Generalis, alter de Ordine Fratrum Prædicatorum, qui sibi in opinione sua consentiebant. Et quamvis fingerent, se pro reformanda pace inter Regem Angliæ, & Regem Scotiæ esse missos, apparuit tamen quod pro alio non venerant, nisi ut magistros in Theologia regentes Parisius, cum aliis de regno Franciæ subverterent, & ad opinionem suam adducerent. Sed ita per Dei gratiam non accidit. Nam quamvis idem Generalis Minister eandem quæstionem in præsentia Scholarium quasi infinitorum determinaret, & teneret pro conclusione affirmando, quod animæ decedentium, seu animæ Sanctorum non vident, nec videbunt Deum visione beatifica & gloriosa usque ad assum-

assumptionem corporum in die extremi judicii: hoc audito magnum murmur inter Scholares auditum est, dicentes talem errorem sine punitione transire non debere. Audiens autem scandalum, qui erat Parisius pro hac determinatione Frater Prædicator, qui cum illo, ut dictum est, venerat, quid de his, pro quibus missus fuerat in Francia, faceret, vel diceret, nisi statim ad Papam rediret. Sed in quodam sermone ipse summus Pontifex super errore prædicto excusavit se, dicens quod nunquam tenebat, nec unquam istam tenuerat doctrinam, quæ ponit, quod animæ Sanctorum non videbant Deum usque ad diem judicii. Et cum ad aures Regis Franciæ Philippi ista devenirent, tanquam verus Catholicus, ac pugil Christi fidei fortissimus valde condoluit, quod talis zizania erroris in medio tritici fidei, quæ semper in regno Franciæ viguit, superseminaretur. Et cum prædictus Minister scivit, quod Rex super hoc male contentus erat, ivit ad eum, ut super hoc se excusaret. Sed Rex animadvertens & dubitans, ne ipse verbis involveret, dixit ipse se eum in præsentia bonorum Clericorum in Theologia libenter audire. Tunc Rex accersitis decem magistris in Theologia de sufficientioribus qui tunc Parisius potuerunt inveniri. quorum quatuor erant de Ordine Minorum, interrogavit eos in præsentia dicti Ministri, quid eis de doctrina, quam nuper Parisius seminaverat, videretur. Qui omnes reprobaverunt eam, ipsam cum determinatione sua falsam & hæreticam reputantes: sed ad hoc non potuerunt eum adducere, ut cum eis concordaret. Sed Rex adhuc

super

ſuper hoc non contentus, altera die ſatis cito poſt fecit vocari in domo ſua de nemore Vicenarum omnes magiſtros in Theologia, cum omnibus Epiſcopis & Abbatibus, qui tunc Pariſius potuerunt inveniri, vocato etiam prædicto Miniſtro. Cum reſediſſent, Rex in Gallico ſuo duo eis quærendo propoſuit: primum fuit, utrum animæ Sanctorum ex tunc videant faciem Dei: aliud fuit, utrum iſta viſio, qua nunc vident faciem Dei, in die judicii deficiat, altera ſuperveniente viſione. Ad primam quæſtionem omnes reſponderunt affirmative. Ad ſecundam ſimiliter reſponderunt, quod iſta viſio non in die judicii deficiet, ſed permanebit æternaliter. Verum eſt, quod aliqui dixerunt, quod iſta viſio perfectior erit in die judicii: & cum iſtis prædictus Miniſter non ſponte, ſed quaſi coactus, ut videbatur, concordatus eſt. Et de iſta ſententia Rex petiit ab omnibus magiſtris ibidem aſſiſtentibus unam literam ſigillis iſtorum ſingulorum munitam, quod & factum eſt. Nam factæ ſunt tres literæ eandem formam continentes, ſigillatæ ſingulæ 39. ſigillis, quia tot erant ibi magiſtri: quarum literarum ex parte Regis una fuit miſſa Papæ, mandans ſibi a latere, quatenus ſententiam magiſtrorum de Pariſius, qui melius ſciunt quid debet teneri & credi in fide, quam Juriſtæ & alii Clerici, qui parum, aut nihil ſciunt de Theologia, approbaret, & quod ſuſtinentes contrarium corrigeret. Quin etiam aliquid amplius in iis expreſſum fuiſſe literis ſignificat Petrus Alliacus, Cameracenſis Cardinalis in ea oratione, quam anno 1406. die Decembris undecima habuit coram Rege,

Rege, & quæ ita in codice Victorino incipit: *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, &c.* Hoc autem istud est: *Joanni Papæ XXII. scripsisse, quod nisi suam revocaret sententiam, eam flammis addiceret.* In quibus, quæ dissimulare non debui, Philippo Regi nonnihil æstus & fervoris in defendenda Parisiensium sententia condonandum est. Porro quid in hac consultatione Parisienses Theologi egerint, quid Rex ipse, qui Theologos consuluit, eorum, quæ retulimus, lectio sola docere potest.

Tertium exemplum suppeditat responsio, quæ Carolo VIII. per Facultatem Theologiæ Parisiensis facta est super nonnullis propositis quæstionibus. Atque ita se habet: *Anno Domini 1497. die 11. mensis Januarii, sacratissima Theologorum Facultas almæ matris Universitatis Parisiensis congregata fuit apud Sanctum Maturinum pro terminandis quibusdam quæstionibus a domino nostro Rege ad se transmissis, super quibus jamdudum fuerant dati duodecim deputati ex magistris nostris, diu quoque & per plures dies continue per dictos deputatos, & alios disputatum fuerat super his. Quibus deputatis auditis, & consequenter omnium Doctorum & Regentium & Magistrorum accepta uniformi deliberatione & conclusione, fuit per dictam Facultatem concorditer responsum ad dictas quæstiones affirmative. Videlicet ad primam, qua quæritur:* Sçavoir mon si le Pape est tenu de dix ans en dix ans assembler le saint concile representant l'Eglise universelle, & mesmement de present consideré le desordre qui est en l'Eglise tout notoire *tam in capi-*

capite, quam in membris. *Quod Latine sic efferri potest: Utrum Papa teneatur de decennio in decennium cogere sanctum concilium universalem Ecclesiam repræsentans, & nunc potissimum, habita ratione perturbati ordinis, qui in Ecclesia tam in capite, quam in membris manifestus est.*

Et responsum est, quod summus Pontifex & Pater sanctissimus tenetur de decennio in decennium congregare generale concilium universalem Ecclesiam repræsentans, & maxime nunc, cum tanta sit deordinatio in Ecclesia tam in capitibus, quam in membris, quæ cunctis notoria est.

Ad secundam, qua quærebatur: Et en cas d'urgente necessité, comme de present, ou aprés que dix ans seront passez aprés le dernier concile, le Pape est prié & sommé de ce faire: & s'il est negligent, ou differe, à sçavoir mon si les Princes, tant Ecclesiastiques que seculiers, & autres parties de l'Eglise se peuvent assembler de soy-mesme, & s'ils feront le saint concile representant l'Eglise universelle, sans estre par le Pape assemblez. *Quod Latine sic efferri potest: Si in casu summæ necessitatis, sicuti nunc, aut post elapsos annos decem ab ultimo celebrato concilio, rogetur Papa, & de convocando concilio interpelletur, & si neglexerit, aut distulerit, utrum, inquam, Principes tam Ecclesiastici, quam sæculares, & aliæ insigniores Ecclesiæ partes congregari possint ex seipsis, & utrum in eo casu fecerint concilium universalem Ecclesiam repræsentans absque Papæ convocatione.*

Di-

Dictum est determinative, quod si tempore urgentis necessitatis, sicut nunc, vel post decem annos ab ultimo celebrato concilio, dictus summus Pontifex rogatus fuerit, requisitus, summatus & monitus de sic congregando dictum concilium, ut supra, & facere recusaverit, & neglexerit, vel distulerit, tunc Principes tam Ecclesiastici, quam sæculares, & partes Ecclesiæ notabiles possunt se congregare, sine hoc quod per dictum Pontificem congregetur dictum concilium universalem Ecclesiam repræsentans.

Ad tertiam, qua quæritur: Si en cas de necessité urgente, comme de present, ou aprés dix ans passez comme dessus, une grande & notable partie de la Chrestienté, comme le Royaume de France, ou le Roy representant iceluy, prie, somme & admoneste le Pape & les autres parties de soy assembler, & pourvoir à la necessité de l'Eglise; & les autres parties, ou aucunes d'elles sont negligentes, refusantes, ou dilaiantes d'y venir: à sçavoir mon si ceux, qui s'y trouveront, pourront celebrer ledit concile sans les autres, & pourvoir à la necessité de l'Eglise. *Quod Latine sic efferri potest: Si in casu summæ necessitatis, sicuti nunc, aut post elapsos annos decem, ut supra, magna quædam Christianitatis portio, quemadmodum Galliæ regnum, vel Rex idem regnum repræsentans, roget, interpellet & moneat Papam, & alios, ut sese congregent, & Ecclesiæ necessitati consulant; & ceteræ partes, aut earum aliquæ negligant, recusent, aut venire differant: utrum quæ partes convenerint, memoratum concilium habere poterunt sine aliis, & Ecclesiasticæ necessitati providere.*

Dixit & definit prædicta Facultas, quod tempore urgentis necessitatis, ut nunc, vel post decennium ab ultimo celebrato concilio, ut supra dictum est, postquam aliqua bona & magna pars & notabilis Christianitatis, quemadmodum regnum Franciæ, vel Rex Christianissimus ipsius, vices gerens rogaverit, summaverit & exhortatus fuerit dictum summum Pontificem, ceterasque partes Ecclesiæ de congregando dictum concilium, & ad ipsum conveniendo, & de providendo necessitati Ecclesiæ, ipse vero Pontifex, vel aliquæ prædictarum partium fuerint recusantes, negligentes, vel differentes de veniendo ad dictum concilium, nihilominus illi, qui aderunt & comparebunt, poterunt sine aliis non comparentibus, dictum concilium celebrare, & necessitati Ecclesiæ providere. Actum anno & die prædictis. Hæc de tertio exemplo, quod quanti sit ponderis, ultro se prodit.

Quartum præbent articuli, quos sacra Theologiæ Facultas hortante Francisco primo conscripsit. Res autem ista sic se habet: *Decanus & Facultas Theologiæ Parisiensis, omnibus fidelibus in Christo salutem. Cum hodie per concionatorum in asserendis dogmatibus altercationem videamus plerosque fidelium, juxta id quod Ephesiis scribit Paulus, tanquam parvulos fluctuantes, ad omnem ventum cujusvis doctrinæ circumferri & agitari: nostra autem intersit, quantum in nobis erit, dissidentes opinionum fluctus componere, de sanctissimo Christianissimi Regis proposito abunde persuasi, quidnam circa articulos hodie a plerisque controversos & Christianis*

nis doctoribus & concionatoribus prædicandum, & ceteris Christi fidelibus cum universa Ecclesia sit credendum, paucis hoc ordine visum est adnotare.

I. Certa & firma fide credendum est, baptisma omnibus etiam parvulis ad salutem necessarium esse, ac per ipsum dari gratiam Spiritus sancti.

II. Eadem fidei constantia est tenendum, homini inesse liberum arbitrium, quo potest bene vel male agere, & per quod, si etiam in peccato mortali fuerit, Deo adjuvante, ad gratiam resurgere valeat.

III. Nec minus certum est, adultis & ratione utentibus post peccatum mortale admissum necessariam esse pœnitentiam, quæ in contritione & confessione sacramentali vocaliter Sacerdoti facienda, similiter & satisfactione consistit.

IV. Ad hæc, peccatorem non sola fide, sed & bonis operibus justificari, quæ adeo necessaria sunt, ut sine illis nemo adultus vitam consequatur æternam.

V. Quilibet Christianus tenetur firmiter credere, in consecratione Eucharistiæ panem & vinum converti in verum Christi corpus & sanguinem, remanentibus tantum panis & vini speciebus, sub quibus realiter verum Christi corpus continetur, quod ex Virgine natum est, & in cruce passum.

VI. Sacrificium Missæ est ex Christi institutione valens pro vivis & defunctis.

VII. Non est laicis ad salutem necessaria commu-

 nio

nio sub utraque specie, recteque certis ac justis de causis olim ab Ecclesia sancitum est, ut illis sub una tantum panis specie communicetur.

VIII. Porro solis Sacerdotibus secundum Ecclesiæ ritum ordinatis data est a Christo potestas consecrandi verum Christi corpus, & in foro pœnitentiæ a peccatis absolvendi.

IX. Quos certum est, etiamsi mali & in peccato mortali fuerint, consecrare verum Christi corpus, siquidem illud consecrare intendant.

X. Ceterum Confirmatio & Unctio extrema sunt duo sacramenta a Christo instituta, per quæ datur gratia Spiritus sancti.

XI. Nec dubitandum est, Sanctos in hac mortali vita, & in Paradiso agentes miracula operari.

XII. Sanctum est & Deo maxime gratum orare beatam Dei genitricem Mariam, & Sanctos qui in cælo sunt, ut sint pro nobis advocati & intercessores apud Deum.

XIII. Ii itaque Sancti beatam cum Christo vitam degentes, non solum sunt imitandi, sed & venerandi & orandi.

XIV. Ob idque religiose faciunt, qui loca eis dedicata ex devotione visitant.

XV. Si quis in templo, aut extra templum prius sua oratione ad beatam Virginem, aut Sanctorum aliquem recurrat, quam ad Deum, non peccat.

XVI. Nec ullo modo addubitandum est, quin genu flectere coram imagine Crucifixi, & beatæ Mariæ,

&

& Sanctorum, ad rogandum Christum & Sanctos opus sit bonum ac pium.

XVII. Ad hæc similiter credendum est, & nullatenus dubitandum, purgatorium esse, in quo animæ detentæ, oratione, jejunio, eleemosyna, aliisque bonis operibus juventur, ut citius liberentur a pœnis.

XVIII. Tenetur & quilibet Christianus firmiter credere, unam esse in terris universalem Ecclesiam visibilem, in fide & moribus errare non valentem, cui omnes fideles in his, quæ sunt fidei & morum, obedire astringuntur.

XIX. Quod si quid in Scripturis sacris controversiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Ecclesiam definire spectat & determinare.

XX. Est & certum, multa esse credenda, quæ non sunt expresse ac speciatim tradita in Scripturis sacris; quæ tamen per traditionem Ecclesiæ sunt necessario recipienda.

XXI. Eodem veritatis firmamento recipiendum, potestatem excommunicandi esse de jure divino immediate a Christo Ecclesiæ concessam, & ob id magnopere timendas esse censuras Ecclesiasticas.

XXII. Certum est, concilium generale legitime congregatum, universalem repræsentans Ecclesiam, in fidei & morum determinationibus errare non posse.

XXIII. Nec minus est certum, unum esse de jure divino summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur,

qui quidem potestatem habet & indulgentias conferendi.

XXIV. Constitutiones Ecclesiasticæ, ut de jejunio, de delectu ciborum, de abstinentia a carnibus, aliisque multis, vere obligant in foro conscientiæ, etiam omni secluso scandalo.

XXV. In eodem conscientiæ foro vota obligant, etiamsi monastica sint, perpetuæ scilicet continentiæ, paupertatis & obedientiæ.

Inhibet autem Theologorum Facultas iis, qui de grege suo sunt, Magistris, Baccalaureis, ac ceteris gradum Theologicum nunc & in posterum profiteri volentibus, ne quoquo pacto supradictis propositionibus contraria, aut in concionibus prædicent, aut in lectionibus, vel alibi doceant; quin potius quando se materia & occasio offeret, eas populo sincere annuncient, & aperte declarent. Porro etiam decrevit, ut præfatas propositiones singuli Magistri & Baccalaurei chirographi sui appositione confirment. Et cum in suo grege lupos, & immorigeros, contentiososque alere tutum non sit: qui huic decreto parere noluerint, & contrarias præfatis propositiones docuerint, aut in posterum prædicaverint, e suo consortio ejiciendos in perpetuum privare decrevit. Ceterum quia contradicendi studio, & a majorum institutis desciscendi, plerique novarum rerum & doctrinarum studiosi laudabilem illam consuetudinem, qua per intercessionem beatissimæ Virginis, Spiritus sancti gratia imploratur, negligunt: monemus, ne tantopere a salutatione illa Angelica, quam nobis Evangelium præscripsit, abhorreant, neve, ut plerique

que solent, quoties Domini Salvatoris nostri JESU CHRISTI mentio occurrit, salutiferum illud JESU nomen præponere dedignentur, contenti dicere, le Christ, *cum præsertim teste Petro non sit aliud nomen sub cælo, in quo nos salvari oporteat. Similiter cum divorum Apostolorum, Evangelistarum, aut sanctorum Doctorum mentio inciderit, ne, uti consueverunt, sine ulla honoris præfatione nominent* Pierre, Paul, Iacques, Matthieu, Jerosme, Augustin, *& cetera; neque sit eis grave addere vocabulum Sancti, & nominare* Saint Pierre, Saint Paul, *& cetera. Et postremo ne defunctorum animas populi precibus commendare negligant. Anno Domini 1542. die decima mensis Martii, Facultas Theologiæ congregata per juramentum in Collegio Sorbonæ super articulis præcedentibus, probavit hos articulos sub forma, qua scripti sunt. Sic signatum de mandato domini Decani, & Facultatis*, Fournier, *cum paragrapho.*

Hos autem articulos quanti fecerint Christianissimi Reges, & Magistratus politici, docet nos Renatus Benedictus Parisiensis Theologus in admonitione, quam his articulis abs se in lucem editis anno 1560. præfixit. *Facultas Theologiæ Parisiensis*, inquit, *more sapientum, atque etiam Ecclesiæ Patrum in conciliis generalibus congregatorum, brevissimis & sententiosis articulis docet fideles, quid sit credendum tanquam pium & Catholicum, quid contra fugiendum tanquam erroneum, atque Evangelio & Christianorum salutiferæ doctrinæ adversum. Quæ quidem in re tanta & tam commenda-*

bili usa est methodo atque diligentia, ut paucæ sint hujus temporis hæreses, quas viginti quinque, illisque brevissimis articulis non accurate & evidenter notarit. Quibus sane usque adeo piorum Christianorum desiderio satisfactum fuit, ut Christianissimi Reges, Franciscus hujus nominis primus, Henricus ejus nominis secundus, & Franciscus secundus,(quos optata pace frui percupimus) eos tam sapienter & secundum Evangelium & doctrinam Apostolicam collectos & confectos regia auctoritate divulgari jusserint, ut scilicet haberent viri Catholici, quid in præsentibus diversarum de religione opinionum turbis certo crederent, & in quo contra hæreseων tempestuosas undas fulti conquiescerent securi atque tuti. Quod idem consultissimi Senatores, viri & Magistratus primi lubentissime fecerunt, rati forsan, illos articulos Scripturæ sacræ, doctrinæ Apostolicæ atque antiquæ; eique a Sanctis omnibus probatæ Ecclesiæ consuetudini tam convenientes, ad confirmandam piorum fidem, atque ad revincendam fluctuantium & errantium Evangelicæ veritatis ignorationem sufficere debere. Non putabant enim meo judicio illi sapientissimi & Reges & Magistratus, aliquem esse, aut inveniri posse in facili Gallia talium monstrorum prius non feraci, qui sententiis & determinationibus tot tam piorum, & omni disciplinarum genere præditorum summorum Theologorum, quot illis edendis articulis post longam maturamque deliberationem convenerunt, subscribere & firmissime adhærere dubitaret. Hæc ille, qui quæ propriis usurpavit oculis, sincere conscripsit.

Porro

Porro autem articuli nostri Romanæ sic placuerunt Ecclesiæ, ut a Pontifice delegati sint judices, qui in illorum violatores inquirerent. Id inter Francisci I. & Henrici II. constitutiones memoriæ proditum est. Inquisitum non est certis de causis, quæ inibi & recensentur & videri possunt.

Ceterum in his illustribus quatuor exemplis consultationes totidem animadvertimus, quæ in gravissima omnium materie cum versentur, Theologicæ Facultatis sapientiam & auctoritatem insignite loquuntur. Consultationem primam repetit Philippus Pulcher, alteram sibi vendicat Philippus Longus, tertiam proposuit Carolus octavus, quartam demum sibi propriam esse confirmat Franciscus primus; confirmant & alii Reges qui sequuntur. Eo spectant, quæ de hac consultatione Renatus noster Benedictus scriptis consignavit. At in secunda consultatione nonnihil est, quod in Theologicæ Facultatis gratiam paulo diligentius considerandum est. Siquidem in illo consessu, qui, ut ajunt, in nemore Vicenarum habitus est, Episcoporum fuerunt genera duo: alii Parisienses erant Theologi, alii Parisienses non erant Theologi. Qui Theologi prioris generis erant, super proposita quæstione sententiam ferunt. Qui vero posterioris, non ferunt, sed ab aliis latam excipiunt, uti Rex & alii Principes, qui celeberrimo consessui interfuere. Inter Episcopos autem qui Parisienses erant Theologi, fuerunt duo, qui in consessu primas tenent, Petrus de Palude Patriarcha Hierosolymitanus, & Petrus Rogerii Rotoma-

gensis Archiepiscopus, qui postea sub nomine Clementis VI. Pontificatum Ecclesiæ Romanæ gessit. Sed erant multo plures Episcopi Theologis Parisiensibus non accensiti, Guillelmus Ausciensis Archiepiscopus, Guillelmus Parisiensis Episcopus, Andreas Atrebatensis, Guillelmus Convenarum, Petrus Rutenensis, Rogerius Lemovicensis, Bernardus Aniciensis, Joannes Nivernensis, & Guillelmus electus Ebroicensis. Cur autem Episcopi qui Parisienses erant Theologi, suam de re proposita sententiam pronunciant, alii qui Parisienses non erant Theologi, non pronunciant, causa haud fuit, opinor, quod non possent: (poterant enim quia erant Episcopi, & sumuntur habuisse clavem scientiæ) sed id Parisiensis magisterii honori ac reverentiæ tribuendum esse censuerunt. In summa hujus quod exhibuimus inter Episcopos discriminis causa nulla potest alia excogitari, quæ in Parisiensis Scholæ decus & gloriam non cadat.

ARTICULUS XII.

Exteri Reges & Principes ad Parisiensem Academiam scribunt non raro.

DUo sunt, opinor, quæ articuli hujus lemma objiciunt, persuasa Regibus Academiæ Parisiensis existimatio, & agnita ejusdem in tractandis reipublicæ Christianæ negotiis auctoritas. Sed istud utrumque ex ipsis Regum metiamur literis, quas manuscriptus codex cœnobii Sancti Victoris suppeditat:

Epi-

Epiſtola prima ex parte Regis Aragonum Univerſitati Pariſienſi directa.

Joannes Dei gratia Rex Aragoniæ, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ & Corſicæ, Comesque Barchinonæ, Roſſilionis & Ceretanniæ, venerabilibus Cancellario & Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Baccalariis, ac toti Univerſitati Pariſienſis ſtudii, amicis noſtris cariſſimis, intimæ dilectionis affectum. Dei virtus & Dei ſapientia Dominus JESUS CHRISTUS, cujus ineffabili ſubjecta ſunt omnia poteſtati, a fundationis initio ſplendore virtutum ſuam illuſtravit Eccleſiam, inſignemque reddidit ſingulari privilegio poteſtatis, ut per ejus miniſterium juſtitiæ conſequeretur effectum, & ſedato fluctuum turbine mundo poſſet tranquillitas provenire, caput ei ſtatuens unicum, hoc eſt, unicum ſolum præſidem & rectorem, qui in ſpiritualibus cunctis præeſſet, & cui omnes Chriſticolæ firmiter obedirent. Hoc igitur dum ſollerter attendimus, horrendumque ſchiſma penſamus: exortum nutritumque, proh dolor! in Eccleſia ſancta Dei adeo jam eſt, diuque tenaces immiſit radices; nec minus inſpicimus venenum peſtiferum ex eodem profluens ſchiſmate permultum; interrumpens poteſtatis præmiſſæ in non modica mundi parte, & fidem inficiens orthodoxam, gravesque metuimus diſſenſiones & odia hinc inde propterea ſeminata: & ubique intuemur rerum & corporum, non utinam animarum peccata gravia, quæ ex his fidei Chriſtianæ cultoribus imminere noſcuntur, quæque in poſteris ſperantur veriſimiliter graviora. Nam quanto in peccato plus quis perſeverat, tanto

per

peramplius assolet in eodem durior fieri, & dilabi facilius ad pejora, multaque usu præscribuntur longævo, & perpetua quandoque stabilitate firmantur. Dolemus nempe ex his acerrime, & indesinenter amaritudinis calicem exhaurimus, ad extirpationem schismatis ipsius aspirantes ferventius, viasque, & modos sollicite inquirentes, quibus hujusmodi tempestatis horror turpissimus, quo admodum, ut præfertur, ipsa turbatur Ecclesia, & Christiana religio vehementer concutitur, cælesti pietate propitia propulsetur, possitque etiam ipsa ad sui debiti & primævi status redire decorem. Et quia audivimus persæpe, quod super hoc schismate radicitus evellendo fuerunt vobiscum & inter vos habiti diversi tractatus, nec latet nos, quod cetera mundi Studia vestrum Parisiense Studium, quod certe brachiis cordialis affectionis complectimur, antecellit, estque potissime in Theologica Facultate, qua æquum ab iniquo discernitur, & fides Catholica roboratur, aliorum omnium speculum & exemplar: unde est probabiliter concludendum, quod vestra prægrandis sollertia sollerter advertens, quod & totius orbis necessitates innumeræ protestantur, & vestra prudentia circumspecta, discriminum, quæ longa schismatis prælibati induxit duratio, conscientia non ignorat, quantum necessaria sit, & quantum perutilis circa subjectam materiam accelerata provisio, invigilaverit plus aliis super ea, & per consequens sunt vobis præ ceteris illa aperta. Hic amicitiam vestram percaram hortamur in Domino, & rogamus obnixe, quatenus omnia illa, & unumquodque eorum

rum

rum ſingulariter & diſtincte, quæ circa præmiſſa quomodolibet præſentitis, dignoſcitis & videtis, nec non & veſtram intentionem ſalubrem velitis per literas veſtras taliter expeditas, quod eis fides poſſit impendi pleniſſima, nobis clariſſime, ipſasque literas exhibitori præſentium tradere, quem ad vos propterea providimus deſtinandum. Nos vero, quibus exinde ultra divinum ſervitium ſpecialem complacentiam facietis, prompti ſumus & avidi pro defenſione fidei, & unione populi Chriſtiani, non ſolum regna & terras, facultatesque omnes, ſed perſonam nec minus noſtri exponere, & vobis in omnibus complacere. Datum Barcinonæ ſub noſtro minori ſigillo, 20. die Auguſti, anno a Nativitate Domini 1394. Rex.

Sequitur ſuperſcriptio.

Venerabilibus & dilectis Cancellario & Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Baccalariis, ac toti Univerſitati Pariſienſis Studii, amicis noſtris cariſſimis.

Altera epiſtola ex parte Regis Aragoniæ, Univerſitati Pariſienſi directa.

Joannes Dei gratia Rex Aragoniæ, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ & Corſicæ, Comesque Barcinoniæ, Roſſilionis & Ceretanniæ, venerabilibus & dilectis Cancellario, Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Baccalariis, ac toti Univerſitati Pariſienſis Studii, amicis noſtris cariſſimis, ſalutem & intimæ dilectionis affectum. Negotio inſiſtentes ferventius ſolito exquirendi ſollicite modos & vias ſalubres, quibus ab Eccleſia ſancta Dei poſſit evelli radicitus ſchiſma nefan-

fandum, fidem inficiens orthodoxam, opprobria, sectiones, infinitaque mala inducens Christi fidelibus, & utinam non eisdem finale repromittens excidium, scripsimus super ipso negotio vestræ prudentiæ his diebus in effectu petentes, quod omnia & singula singulariter & distincte, quæ circa subjectam materiam circumspectio vestra præsentiat, videat atque noscat, vias nobis velitis, fratres carissimi, aperire, quas nos obtulimus offerimusque libenter pro defensione fidei, & unione populi Christiani, possibiles quoslibet sufferre labores, & exponere nos & nostra, prout in litera, quam inde vobis direximus, & credimus ob paucitatem lapsorum dierum nondum vestras venisse ad manus, hæc vestra poterit honoranda discretio plenius contueri. Nunc autem videntes latiores ac promptiores vias & modos ad extirpationem hujuscemodi schismatis, per decessum felicis memoriæ domini Clementis Papæ septimi se offerre, & in libera Cardinalium facultate pro majori parte consistere tantæ rei effectum, nostram eis direximus super isto exhortatoriam literam, quæ scilicet præscribitur, quæ incipit: Reverendi, &c. cujus copiam, ut extensius & ad oculum videatis quid continet, vobis transmittimus præsentibus inclusam, vos intime deprecantes & hortantes in Domino, veluti qui inter alios Christianæ fidei cultores in eminentia positi estis scientiæ & virtutis, quanquam, ut accepimus, noveritis jam ante dicti summi Pontificis obitum, & scripseratis de hac materia Cardinalibus memoratis: at quibus decens valde esse conspicimus, satisque proprium prosequi factum istud,

qua-

quatenus provide advertentes, quod tantæ tamque necessariæ provisioni jamfere omnis celeritas mora est, cum hac sit occasione tota Christianitas posita inter malleum & inter incudem, de morte, nisi festine adhibeatur remedium salutare, secura potius, quam de vita Cardinales eosdem sollicitare velitis, & apud eos vestris insistere efficacibus monitis, & eloquiis fructuosis, quod debitum solvant, ad quod circa hæc Deo hominibusque tenentur, & suæ satisfaciant conscientiæ, oneri & honori; & insuper excitare velitis, & indesinenter instare ad tanti prosecutionem negotii mundi Reges ac Principes & magnates, & alias sic laudabiliter vos habere, quod ab omnibus collaudari, & divinæ mereamini retributionis præmio confoveri, primævis & nostris literis, ut præfertur, vobis directis, si placuerit, responsuri, & alias rescripturi quæque vestræ adveniant placita voluntati. Datum Barcinonæ 22. die Septembris, anno a Nativitate Domini 1394.

Sequitur superscriptio prædictarum literarum.

Venerabilibus & dilectis Cancellario, Rectori, Magistris, Doctoribus, Baccalariis, ac toti Universitati Parisiensis Studii, amicis nostris carissimis.

Tertia epistola ex parte Regis Aragoniæ, Universitati Parisiensi directa, & 28. Octobris recepta.

Joannes Dei gratia Rex Aragoniæ, &c. venerabilibus & dilectis Cancellario, Rectori, Magistris, & Doctoribus, ac toti Universitati Parisiensis Studii salutem in eo, qui solus omnium est salvator.

Quia

Quia postquam nuper vobis scripsimus super ista nefandissima peste schismatis in Ecclesia Dei vigentis remedianda, obiit dominus Papa Clemens, cujus anima in pace quiescat, & deinde in summum Pontificem fuit electus dominus Cardinalis Aragoniæ; dubitamus, ne forsitan hæsitetur, nos primum nostrum mutasse vel mutare propositum ob favorem ejusdem, quoniam naturalis regni nostri, & semper utique majestatis nostræ fervidi zelatoris & specialis amici. Et quanquam revera duo ista, scilicet puta naturalitas, amicitia quoque, & alia multa, quæ erga eum veræ dilectionis probabilia parvitatis argumenta contineant: sane potius merito, zelo Dei, & fidei incendio afficimur, & Christiana religione compellimur, nos & Ecclesiæ Catholicæ mundi Principes desiderabilem & saluti fidelium necessariam Ecclesiæ unitatem inquirere, & perquirere, sectionem fugare sceleratissimam, & scintillas tantæ malitiæ, unde venerint, extinguere, quantum poterimus, & sit fas; circa ista enim vigilamus assidue, Magistrorum, Doctorumque solemnium perscrutamur intrinseca, & exploramus, & vota, inquam, vestra, ut prædiximus, desiderabiliter expetimus, & consilia: quibus singulis ante oculos nostros compositis, & in mente dispositis eligamus, quæ propterea melius huic bono respondeant, viæ decenter & remedia opportuna. Scripsimus, & nunc scribimus illustrissimo & carissimo fratri nostro Regi Francorum super hac materia, quem non ambigimus in re tam ardua, prout decet, sollicitum, & simili debito huic voto conformem. Certiorantes itaque de præ-

præmissis prælectam prudentiam vestram, preces precibus superaddimus cordiales, quatenus immorose velitis nobis quæcumque propterea deliberaveritis, utilius persequenda rescribere. Non enim ideo caritati vestræ credimus esse molestos, scientes indubie, generosos animos non fatigari, sed potius recreari laboribus fructuosis. Datum Barcinonæ sub nostro sigillo secreto, sexta die Octobris, anno a Nativitate Domini 1394. Rex.

Sequitur superscriptio prædictarum literarum.

Venerabilibus & dilectis Cancellario & Rectori, Magistris & Doctoribus, ac toti Universitati Studii Parisiensis, amicis nostris carissimis.

Quarta epistola ex parte Regis Aragonum, Universitati Parisiensi directa.

Joannes Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ & Corsicæ, Comesque Barcinonæ, Rossilionis & Ceretanniæ, venerabilibus & dilectis Rectori & toti Universitati Studii Parisiensis, amicis nostris carissimis, cordialis amoris dulcedinem cum salute fixam. Amici carissimi, adeo modo manet in animo extirpandum ab agro Domini Sabaoth schisma pestiferum, quod omissis, quanto potius in oblitum jam fere deductis negotiis aliis ad hoc incessantibus distrahimur, & cura propensiori monemur. Nam cum gregem Dominicum corruptibiliter sua labe inficiat & veneno, ac disperdat æterna damnatione quamplures ex gregis ipsius ovibus, seminariumque malorum sit omnium, & in flammam jam suus ignis pertranseat destructuram,

ſuperlativo deſiderio cupimus, viribusque totis innitimur ipſum evelli radicitus, & pacem Eccleſiaſticam in ſuum ſtatum primævum reduci. Proinde attendentes quod ibi agendum eſt fortius, ibi accuratius inſiſtendum, ubi graviora pericula imminent, & unde fortiora timentur diſpendia provenire, & ideo binas literas juris decoras ſententia & ornatu, reſponſorias literis noſtris jam ſuper facto hujuscemodi vobis miſſis avida manu recepimus: & eo ſiquidem gratiores illas habemus, quo potius veſtræ ſanæ intentionis propoſitum, veſtraque vota ſalubria noſtris conformia intuemur. Indeque, ac de laboribus quos noſtri amore propterea ſuſtuliſtis, & non minus de veſtra oblatione non modicum liberali, & affectu benevolo, quem dicitis, & firmiter credimus ad noſtri gerere beneplacita & honores, aſſurgimus vobis ad gratiarum multiplices actiones. Cum autem nunc ſereniſſimo Principi Regi Francorum cariſſimo fratri noſtro ſcribamus per literam, cujus copiam mittimus præſentibus incluſam, teneatque firmiter noſtra credulitas, quod vos, ſeu veſtrum nonnulli Univerſitatis veſtræ loco & nomine mittentis congregationi & actibus, de quibus in litera agitur prælibata, veſtram amicitiam intime deprecamur, quatenus ob reverentiam illius, cujus in hac parte cauſa tractatur, & noſtri reſpectu amoris, velitis taliter agere, quod informationem, quam in prædicta litera petimus, habeamus non ſolum a dicto Rege Franciæ, ſed a vobis, &c. Intra breve ſcituri, quod nobis magnum ex hoc placitum impendetis, qui veſtris nequaquam beneplacitis & honoribus de-

deessemus. Datum Barcinonæ 18. die Januarii, anno a Nativitate Domini 1395.

Quæ autem causa fecit, ut Joannes Rex Aragonum ad Parisiensem Academiam scriberet, eadem Richardum Angliæ Regem ad scribendum eidem Academiæ impulsit. Hæ vero literæ, quas Academia die 15. Octobris, anno 1395. accepit, quasque e Gallico in Latinum sermonem vertimus:

Carissimi, & admodum dilecti, vobis significamus, nos prudenti ac sincera Magistrorum in Theologia, & Doctorum in Decretis, aliorumque Universitatis vestræ nunciorum, quos nuper ad nos misistis, relatione curas cognovisse & labores, quos ad pestiferum Ecclesiæ schisma profligandum impendistis. Quæ hoc in negotio, ut accepimus, gessistis, ad præpotentis Dei gloriam, ad Christianorum salutem, & ad omnium Catholicorum Principum securitatem & gaudium gesta fuisse persuasum habemus. Atque in his Principibus nos, qui vero perpetuoque extinguendi schismatis desiderio tenemur, Universitatem vestram cum in tollendo schismate, tum in reducenda Ecclesiæ concordia pro viribus laborasse agnoscimus. Quare factum est, ut Universitatis vestræ famam & gloriam prædicaturi sint omnes anni consequentes. A vobis vero per nuncios accepimus literas, quæ & consilia, & sententias, & decreta vestra paucis complectuntur. In iis autem id animadvertimus, quod & Clerum & Academias nostras, Oxoniensem, Cantabrigiensem, & alias plurimum solatur. Sed cum non possint tam brevi ad capiendum super vestris literis consilium cogi, nullum vobis responsum

reddimus, nec immerito. Res enim, quæ universam Christianitatem spectat, non debet sine magna deliberatione tractari ab iis, quorum sententia & auctoritas nonnihil valere creditur. Clerus porro & Universitates nostræ ubi cogentur in cœtum, iis & vestras literas dabimus, & quicquid vestri nuncii nobis oretenus dixere, aperiemus. Tunc auditis expensisque Cleri & Universitatum nostrarum rationibus & sententiis, quæ tollendo schismati via opportunior videbitur, eam amplectemur, carissimoque fratri Francorum Regi significabimus, nec non & vobis, quibus ex animo gratias agimus ob exantlatos pro pace Ecclesiæ labores. Interim vos etiam atque etiam rogamus, ut pro extirpando schismate, & pro stabilienda Ecclesiæ pace laborare pergatis.

Sequitur superscriptio:

Carissimis & admodum dilectis amicis in Deo Universitatis Parisiensis.

Hic autem omnino sunt duo, quæ me ab referendis quas ad Reges & Principes misit Academia, literis videntur prohibere. Unum, quod captu difficile non sit, id genus fuisse literas, quarum ope Principibus & Regibus de inveniendis ad tollendum schisma rationibus responderet, vel Reges & Principes ad promovendam Ecclesiæ pacem cohortaretur. Alterum, quod Universitatis literæ, non perinde ac Regum & Principum, convenienter instituto nostro referrentur. Plus enim commendationis & gloriæ ex literis quas a Regibus accepit Parisiensis Academia, quam ex literis quas

quas Regibus ſcripſit, ſine dubitatione ulla mutuatur.

Saxoniæ Dux ad Pariſienſem ſcribit Academiam, & eam rogat, ut certas quasdam Martini Lutheri aſſertiones probet vel improbet. Quidquid id eſt, Ludovicus Picotus cum ad annum 1520. Procurator erat Francicæ in Academia nationis, ſic enarrat: *Die Martii 2. in congregatione Univerſitatis apud Sanctum Maturinum, ad ſupplicationem Magiſtri noſtri Bedæ conſulentis Univerſitatem ſuper literis Ducis Saxoniæ ad dictam Univerſitatem Pariſienſem tranſmiſſis, de approbandis vel improbandis quibusdam Martini Lutheri concluſionibus, decretum eſt nullas literas reſponſivas dari dicto Duci Saxoniæ, aut cuivis alteri, niſi prius habito ſuper his conſilio a quatuor Facultatibus.*

ARTICULUS XIII.

Sacramentum Reginæ Blanchæ datum, in quo certa quædam privilegia illuſtria Pariſienſi Univerſitati conceduntur.

QUo tempore beatus Ludovicus in Ægyptum profectus eſt, & in regni procuratione Blancham matrem reliquit, confectum eſt ſacramentum, quod Pariſienſis Univerſitas Reginæ huic dedit, ubi certa quædam Univerſitati conceſſa privilegia continentur. Hæc quia memoratu digna ſunt, & Univerſitatis amplitudinem repræſentant, ſacramentum referendum eſt, & ita ſe habet:

Universitas Magistrorum Parisiensium, eisdem die & anno fecit legi coram domina Regina hujusmodi scriptum, & promisit quod juramenta, de quibus in eo fit mentio, a Magistris & Scholaribus faceret renovari & jurari, quod servarent pacem villæ bona fide pro posse suo de omnibus gentibus, quantum ad omnes gentes, tam Clericos, quam laicos, quod factum fuit eadem septimana, quod scriptum sic incipit: Promissum est pro communi utilitate totius Studii Parisiensis, quod universi studentes tam Magistri, quam Scholares in Theologia, Decretis, Medicina, Artibus, & Grammatica per sacramentum obligabuntur: Quod omnes tam Clericos, quam laicos, tam viros, quam fœminas, ex quorum mala vita pax & studium studentium in prædictis Facultatibus impeditur, revelabunt in secreto Parisiensi Episcopo, vel ejus Officiali, seu Cancellario infra octo dies, si potuerint, postquam sciverint. Qui Episcopus, Officialis, Cancellarius bona fide promittent, quod nulli personam nominantes vel denunciantes revelabunt seu manifestabunt. Item provisum est quod quilibet Regens in prædictis Facultatibus sit per prædictum sacramentum obligatus, quod nullum diffamatum de meillia frequenti, raptorem mulierum, fractorem hospitiorum, de nocte errabundum furem, raptorem, latronem publicum, homicidam petet tanquam Scholarem liberari, si contigerit eum capi a Præposito Parisiensi, vel ejus mandato, vel ab ipso, nisi bona fide credat eum modo, quo petit liberari, & eum esse liberandum. Si quis vero sit Magister vel Scholaris qui ad prædicta per juramentum

tum in publico se noluerit obligari, non reputabitur esse de Universitate, nec beneficiis Universitatis gaudebit. Bachelarii vero decretales & leges legentes se speciali juramento obligabunt, quod sacramentum recipient ab illis, qui eos audient, secundum formam superius annotatam; & quicunque jurare noluerit, non recipietur ab eis in Scholis, super hoc ab eisdem Bachelariis de ipsis non recipiendis præstito juramento. Qui & auditores legum vel decretalium, nec etiam alii, nisi alicujus Magistri actu regentis bis ad minus in septimana Scholas intraverint, Scholares nullatenus reputentur, & si eos capi contigerit, nec per aliquem Magistrum, nec per Universitatem repetentur. Ad hæc autem obligabuntur bedelli tam communes, quam speciales, cujuscumque fuerint Facultatis, proprio juramento. Modus autem repetendi Scholares captos talis erit apud Magistros Artium, quod Magister Scholaris capti, cum duobus Regentibus Magistris, quibus constet, quod sit Scholaris, accedet ad Præpositum, & Scholarem suum repetet, qui si reddere denegaverit, dictus Magister significabit hoc Rectori Universitatis, & tunc Rector eum nomine Universitatis repetet. Et si Præpositus eum reddere noluerit Rectori, tunc recurret Rector ad Cancellarium, postremo ad Episcopum, vel Officialem ejusdem. In aliis autem Facultatibus unusquisque Magister Scholarem suum repetet pro se, si necesse fuerit: & publicabitur & renovabitur forma ista per Scholas ad minus bis in anno, videlicet circa festum omnium Sanctorum, & circa carnisprivium. Hactenus ex codice MS.

qui fœderum Regum Franciæ liber inſcribitur, mandato Regis Caroli V. per Gerardum de Monte-acuto ſcribam exaratus.

Porro ſacramentum quod hic deſcribitur, Pariſienſis Univerſitas Reginæ Blanchæ præſtitit anno 1251. & annis poſtea ſingulis repetiit.

ARTICULUS XIV.

Pariſienſis Academia legatos mittit ad generalia Concilia.

ANnus circumagebatur milleſimus quadringenteſimus octavus, cum Pariſienſis Academia legatos ad Piſanum Concilium mittendos eſſe cenſuit. E Facultatibus ſingulis ſelecti ſunt plures, quos inter eminuit Poncius Simonetus, qui ſuperiori anno Academiæ Rectorem egerat. Res igitur ſic ſe habet in publicis commentariis: *Noverint univerſi, nos Joannem Warini Rectorem Univerſitatis Pariſienſis inſtituiſſe die 21. Febr. ann. 1408. M. Poncium Simoneti, Magiſtrum in Artibus, & Licentiatum in Theologia, nuncium Univerſitatis ad Concilium Piſanum, in rectorem ambaſſiatæ dictæ Univerſitatis ad dictum Concilium, & recepiſſe juramentum ſuum in plena Univerſitate propter hoc ſpecialiter celebrata, de fideliter exercendo ibidem officium dictæ rectoriæ, & inſtructiones ſuas pro poſſe tenendo & adimplendo. In cujus rei teſtimonium ſigillum Rectoriæ Univerſitatis præfatæ præſenti ſchedulæ duximus apponendum, anno Dom. 1408. 26. menſis Feb.*

Sunt

Sunt & aliæ Parisiensis Academiæ ad alias Academias datæ literæ, quibus eas ad ineundam secum pro communi causa societatem hortatur. Adscribendæ sunt: *Rector & Universitas Magistrorum Studii Parisiensis, clarissimis & discretissimis oratoribus & legatis Studiorum, salutem, amicitiam, & sinceram dilectionem. Quanquam, viri clarissimi, propensa ratio quærendæ pacis Ecclesiasticæ nos conjunxit, tamen unum habemus propinquitatis vinculum singulare. Nam cum nobis sanctorum studiorum veritas, qua nihil in terris clarius, unam professionem dederit, non tamen humanæ societatis fœdus, sed quasi divini nexus glutinum sortiamur, necesse est: ita ut proprium illud nobis veritatis studio vindicemus, unde vestra cum nostris sincerior debebit esse communicatio. Mittimus ad hoc ad sacrum generale Concilium solemnes & probatos viros, Magistros, Dominicum Parvi, Petrum Plaou, sacræ Theologiæ Professores, Robertum de Quesnæio, Petrum de Pruvino, Decretorum Doctores, Henricum Doigny in Medicina, Poncium Simoneti, Eustachium de Foquembergue, Guillelmum Carpantarii, & Arnoldum Wintuniith, in Artibus Magistros, quos optamus animis vestris his & aliis de causis esse acceptos. Idcirco vos rogamus, viri doctissimi, eis in dicendis pro parte nostra fidem adhibere, & in omnibus favorem præbere atque directionem. Tueatur vos summa Trinitas, & pedes vestros in viam deducat veritatis. Datum Parisiis sub sigillo nostro, in congregatione nostra generali apud Sanctum Maturinum propter hoc speciali-*

ter celebrata, dic, &c. Vestri Rector & Universitas Studii Paris.

Nunc de legatis, quos Parisiensis Academia direxit ad Constantiense Concilium, agendum est. Legati fuere Joannes Gerson, Joannes Dachery, Joannes Despars, Benedictus Gentiani, & Joannes de Templis, de quo in Procuratoria Nicolai Gondricuriæ leguntur hæc tantum: *Octava die Octobris anni 1414. Joannes de Templis ad Concilium generale nationis Franciæ legatus missus est.* De ceteris confugiendum est ad opem MS. codicis Bibliothecæ monasterii Sancti Victoris, ubi sic se res habet: *Die 21. mensis Februarii, hora 5. vespertina, nuncii Universitatis Parisiensis applicuerunt Constantiam, ubi recepti sunt a Suppositis ejus DD. regni Franciæ multum honorifice. Die vero sequenti de peritorum consilio Papam adire distulerunt, tam propter solemnitatem Cathedræ Sancti Petri, quam etiam ut interim de dispositione Papæ & Imperatoris, ac totius Concilii possent certius informari, & consequenter in agendis & proponendis fructuosius & cautius se habere, ac etiam pro crastino accessum ad Papam & audientiam impetrare, quæ eis libentissime concessa est. Adierunt igitur Papam die Sabbati de mane, & præsentatis suæ sanctitati in consistorio publico suis literis, & ab eodem clementer receptis & perlectis, recepti sunt omnes ad pedum, manus & oris oscula beatorum, & illico data est eis publice proponendi facultas præsentibus DD. Cardinalibus, pluribusque Prælatis, Doctoribus, & nobilium personarum multitudine copiosa. Et proposuit*

posuit Magister Joannes Dachery sumens verbum pro themate: Festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio. Qui multum scientifice proposuit, & breviter satis, derelinquens alia per Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, (Joannem Gersonem) *aut Magistrum Benedictum Gentiani latius alias explicanda. Quam quidem propositionem gratam habuit dominus noster, qui eos quam benigne, quam affabiliter, affectuosè & desideranter receperit, non potest scriptis satis digne exarari, commendans Universitatem super omnes Universitates singulariter in duobus, videlicet susceptis sumptibus, & maximis fructuosissimisque laboribus pro unione sanctæ matris Ecclesiæ, & zelo fidei per solertem & exactissimam vigilantiam ad destructionem errorum fidei ac pravis operibus adversantium. Addidit quoque, quod eos summo desiderio exspectaverat, ne Universitas promotrix unionis Ecclesiæ, in facienda unione careret suis bravio, honore & gloria. Sed ut dominus noster Rex, quem carissimum filium & Christianum Regem nominavit, ipsaque Universitas participes essent in præmio & honore, qui super ceteros Reges & Universitates participes fuerunt in sancto labore: propterea voluit semper legationem Regis & Universitatis exspectare, volens libere & ad effectum dare pacem Ecclesiæ etiam per suam voluntariam cessionem papatus, quemadmodum ipse jam in pleno consistorio libens obtulerat, exhibens schedulam quandam super hac sancta intentione sua ad libere cedendum confectam, cujus tenor superius est insertus. Quam quidem viam cessionis*

Im-

Imperator, & Cardinales, & quatuor nationes, in quas universum Concilium distinctum, scilicet Gallica, Italica, Germanica, & Anglica concorditer approbaverant, tanquam faciliorem, breviorem & utiliorem ad extirpationem totalem hujus pestiferi schismatis. Sed non suffecit tribus nationibus, Gallicæ videlicet, Anglicæ, & Germanicæ illa prima schedula per Papam exhibita: sed aliam confecerunt, & suæ sanctitati præsentarunt, quæ quoniam in illa forma sibi non placuit, aliam rursus & secundam exhibuit.

Ceterum eadem die dicti nuncii fecerunt diligentiam, ut scirent dispositionem Imperatoris, qui recepit eos gratanter hora tertia post meridiem in audientia publica, & præsentatis eidem literis Universitatis, proposuit M. Benedictus Gentiani multum eleganter sumens verbum Apostoli: Ecce nunc tempus acceptabile. Quod si grata fuit ejus propositio, etiam grata fuit Imperatoris responsio in prosa & verbis Latinis, & sine dilatione recommendans Universitatem, & suum singulare desiderium ut veniret affectuose declarans, & quam ferventer suum desiderium ad prosecutionem unionis sanctæ matris Ecclesiæ ad plenum exprimens, exhortans ipsos nuncios, sicut ipsi fuerunt in eorum propositione exhortati, quantum vellent totis conatibus ad hoc ipsum vigilanter intendere, & sibi in agendis consulere, & eorum adventus tarditatem ferventioribus diligentiis & laboribus compensare.

Ex his & aliis quamplurimis apparet, quantum laboris, operæ & studii cum ad extirpandum schisma,

ſma, tum ad conſtituendam in Eccleſia per generale Concilium pacem Univerſitas contulerit. Qui vellet ire per ſingula, ingentem ederet commentarium.

Non prius actum eſt de celebrando Baſileenſi Concilio, quam ad illud Pariſienſis Academia legatos miſerit, Nicolaum Amici, & Guillelmum Evrardi. Id teſtantur & acta Concilii, & literæ, quas e Concilio ad Pariſienſem dederunt Academiam, in quibus rerum a ſe pro Eccleſia & pro Concilio geſtarum rationem reddunt. Unæ erunt inſtar omnium, & ſic ſe habent: *Poſt longum animorum noſtrorum fluctuationem, quorſum Bohemicum regnum declinaret, tandem nudius tertius per legatorum præſentis Concilii vocalem relationem, & literarum oratorum dicti regni ſigillis trium ſtatuum munitarum exhibitionem, lætantes percepimus eorumdem reductionem Spiritus ſancti directione in brevi futuram. Nempe perverſis plurimis eorum aſſertionibus, & novis adinventionibus rejectis, ad quatuor duntaxat articulos informari in præſenti Synodo, auditis eorum rationibus & allegationibus ſe determinarunt, quos latius reſerabit præſentium lator egregius M. Joannes de Riparia, qui dictorum oratorum Concilii relationibus interfuit. Veſtræ devotionis, ſi placet, erit pro tam fructuoſa reductione divinam clementiam ſuppliciter exorare, & ad id ipſum ceteros inducere. Equidem eorum adventus præter dicti regni fidelem reconciliationem, ad omnium ſtatuum Eccleſiæ reformationem plurimum erit fructuoſus; namque inter cetera petunt,*

tunt, quod possint libere in plena congregatione vitia & abusus Ecclesiasticos neminem nominando detegere, & super his remedia postulare, ad quæ maxime afficimur, quoniam hæc, ut judicamus, clades bellicas, & plurimas divinas vindictas demeruisse censentur. Jam non datur locus diffugii, quin huc accedant omnes Prælati, Regum, Principum, Universitatum, & Capitulorum legati, cum hic agatur de Catholica fide, & morum necessaria reformatione, sine quibus impossibile est placere Deo, & pro quibus tenetur quisque fidelis etiam usque ad mortem laborare. Spectabiles Magistri, ultra modum miramur, cur nondum pecunias recepimus, grandem habuimus fiduciam de nostra solutione in adventu Magistri Nicolai Amici, qui nondum rediit: sed spes quæ differtur, affligit animos. Hoc autem speciale unum habeo refugium, vestrum implorare adjutorium, ut omnibus pene meis consumptis pro honore Dei, Ecclesiæ & vestrum, fideliter laboranti subvenire benignius velitis, aut gratuito dono, quemadmodum sæpenumero fecistis vestris alumnis, aut sub hypotheca meorum stipendiorum per Universitatem solvendorum. Sicut equidem grande opus misericordiæ feceritis, & honorem vestrum conservaveritis, & tandem, ut exopto, æternam gloriam recipietis. Scriptum Basileæ 2. mens. Junii. Hæc ex regestis Franciciæ nationis in Parisiensi Academia.

ARTI-

ARTICULUS XV.

Parisiensis Academia, & Academici celebres ad generalia Concilia literas perscribunt.

QUod proponimus, id effecit Academiæ existimatio & nominis auctoritas, quæ per universum orbem Christianum pervaserat.

Nicolaus Clemangius ad Constantiense Concilium præclaras & grandes mittit literas, quibus Patres ad sanciendam Ecclesiæ concordiam, & morum emendationem vehementissime cohortatur. Literæ sunt hujusmodi:

Nisi me, Patres venerandissimi, ardor maximus unitatis Ecclesiasticæ, meis jamdudum præcordiis infixus, altius, continuisque animum meum fodiens stimulis, & extrema quædam, ut ita dicam, rerum necessitas ad scribendum vestris clarissimis paternitatibus impellerent, nequaquam meæ parvitatis humilitas tale quicquam aggredi præsumeret. Sed nihil est quod non amor vincat, de quo vere dictum est:

Omnia vincit amor:

Nihil quod non amor audeat, de quo alius dixit:

Audacem faciebat amor:

Nihil quod non zelus ardentior, intima corrodens viscera extorqueat, de quo scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. *Et iterum:* Tabescere me fecit zelus meus. *Parcetis itaque, Patres clementissimi, meæ ignorantiæ, meæque audaciæ, quod ad*

ad cœtum vestrum gloriosissimum ac sapientissimum mea insulsa non pertimui mittere scripta. Quanquam absit, ut ad docendas vestras perspicacissimas intelligentias talia dirigam, quas & cælestis, ut credendum est, unctio, & doctrinæ uberioris fœcundissima notitia de omnibus excellentissime instruunt. Ac pauca quidem, quæ animo de pace Ecclesiæ cogitanti præsenti rerum statui occurrerunt, ad remque pertinere visa sunt, vestris solertiis spiritualibus insinuanda, per illasque dijudicanda, si tamen non auribus vestris indigna sunt, illa tantum transmitto. Spiritualis *enim (ut ait Apostolus)* omnia dijudicat, & ipse a nemine judicatur. *Ubi autem spiritum qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei, virosque spirituales invenire poterimus, si in vestra sancta congregatione Spiritu sancto coadunata inventi non fuerint? Ne autem longum plus debito sumam exordium, paucis quod dicere institui, explicare conabor. Neminem imprimis opinor mirari oportere, si grave atque tædiosum est plerisque vestrum, quod unionis Ecclesiasticæ negotium schismatisque inveteratissimi constantem extirpationem (cujus gratia convenistis) maturius expedire non potestis, qui biennio jam prope expleto, hujus rei gratia in sancta Synodo sedetis. Sed acerborum inveteratorumque vulnerum tarda solet esse difficilisque curatio. Difficilitas autem curationis, aut ex incuria, ut arbitror, provenit tempestivæ opitulationis, opportunique remedii, aut forte ex adhibitione rerum minus aptarum. Duo quippe ista multum consueverunt & morbis nocere, & morbos aggravare.*

re. Cum itaque ad curam morbi veternosi perdifficilis atque acerbissimi tandem vel sero vocati sitis, vestrum esse debet ante omnia induere fortitudinem atque constantiam, ut nulla vos terreat adversitas, nulla frangat desperatio, turbet difficultas, vincat labor, superet tædium, metus succumbere faciat; nulla denique temporum, morarumque dispendia vestras a tam glorioso cœpto longanimitates ante rei susceptæ perfectionem quomodolibet avertant. Radix autem spei vestræ non in vobis sita esse debet, sed in divinæ pietatis, opis suffragio, quæ vulnerat & medetur, percutit & sanat; non in humano subsidio vel consilio, quia cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ, non præterea in ingeniosa subtilitate, scientiarum fœcunditate, argumentorum calliditate, verborum compositione, linguarum volubilitate, contentionum certamine, sed in cælestis auxilii, atque gratiæ clementissima miseratione, quæ suam Ecclesiam non derelinquet, neque obliviscetur in finem, cum qua usque ad consummationem sæculi se futuram promisit, & in cujus fortassis unione modum mirabilem atque hominibus inexcogitabilem salvavit sibi dextera ejus, & brachium sanctum ejus. De hujus siquidem diri vulneris consolidatione non improbe puto dici posse, quod ait quidam:

Non hæc humanis opibus, non arte magistra
Proveniunt.

Major agit Deus, qui scilicet juxta vocem Patris, propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, & sanat omnes infirmitates nostras, & qui est lapis angula-

ris faciens utraque unum. *Ut ergo radix ſpei veſtræ in illo inconcuſſe plantata, ſuccoque ſui Spiritus largiter irrigata atque vegetata, ſuo non fraudetur fructu, ſed optatiſſimos tandem fructus ſuavitatis ac pacis afferat; decet vos præcipue & ante omnia cum Domino pacem habere, cum ipſoque per gratiam reconciliatos eſſe, qui hujus pacis & gratiæ pro tota Catholica Eccleſia apud illum impetrandæ interceſſores eſtis ac mediatores, ne ſecundum verba Apoſtolica,* aliqua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. *Non eſt autem, ut ſatis noſtis, idoneus ad pacem mediator homo impacatus & contentioſus. Porro quomodo a judice gratiam aut pacem aliis impetrabit, qui odioſum adverſus ſe offenſumque judicem habet? Denique ſi alios velit ſanare ægrotus medicus, nonne illam Evangelicam exprobrationem jure audiet:* Medice cura te ipſum? *Qui igitur ad pacem ſupra Iſrael, id eſt, ſuper populum Domini, a Deo, cujus illa donum eſt, obtinendam conveniſtis, pacem primum cum illo habete; deinde invicem ut* unanimes *ſitis,* idipſum ſentientes, ſolliciti inter vos ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, *ne in vobis, qui pro tranquillitate, & quietudine domus Dei certatis, nova Satanæ miniſterio ſuſcitentur ſchiſmata, novæ contentiones & rixæ oriantur, quæ & principale unitatis Eccleſiaſticæ negotium a votivo effectu irritum faciant, & majorum forte turbinum intricatione involvant. Tentavit jam multis artibus, multis inſidiis, ac machinamentis antiquus ille zizaniorum ſeminator, concordiæque & pacis hoſtis,*

hostis, quemadmodum audio, & satis credo, inter vos pestiferum virus infundere, vestrumque sanctum propositum plurimis dolis ac fraudulentiis eludere: suum de agro Dominico vipereum semen eradicari permoleste ferens, nunc quidem a principali vos abducendo materia, ad aliasque jurgiosas & certaminibus plenas attrahendo, nunc ad novas electiones ambitiosorum ardore incendendo, nunc difficultates alias variis ex causis ac motibus erumpentes ingerendo. Et satis est verisimile, illum fraudis ac nequitiæ artificem non adhuc quieturum, sed aliis insuper astutiis ac calliditatibus, quantumcumque sibi fas fuerit, rem perturbaturum. Sed vestrum est in his omnibus obstaculis ac difficultatibus illius vestra sapientia vincere malitiam, Apostolumque audire monentem: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum; *summaque cura ac sollicitudine ad id operam dare, ne vester celeberrimus conventus, pacis reformandæ gratia congregatus, sine pacis adepto fructu discedat atque dilabatur. Quod si, proh dolor! (quod Deus avertat) eveniret, de Ecclesiastica prorsus unitate, cujus tanta erat omnium fidelium mentibus per vestram sacram conventionem spes ingesta, actum existimo. Quid enim de illa in posterum sperare licebit, si nunc tota Christianitatis exspectatio ad vos suspensa & erecta irrita fuerit? Excidit spes unicuique unquam videndæ unionis, & cum spe simul cura excidet, laborandique studium. Quis enim in re desperata suum libenter velit laborem impendere? Ibit schisma Latinæ Ecclesiæ cum schismate Græcorum in incuriam*

atque oblivionem, sicut jam nimia annorum longævitate plurimum ire cœpit. Quis nobis similem dispositionem, similes dies referet, similem Synodum congregabit, similem zelum accendet in cordibus hominum? Tepescent omnia, remittentur omnia, frigescent omnia, desperatione ad postremum frangentur omnia. Ergo, Patres optimi, Patres sancti, Patres inclyti, constantes estote, & videbitis auxilium Domini super vos. O pii Pastores Ecclesiæ, Principes populorum, columnæ & bases solidæ tabernaculi, dulces olivæ pacis nunciæ, orbis salus, mundi lumina, domus Dei fulcimentum, quos in unum Deus Abraham congregavit ad illuminandum his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, & ad dirigendum pedes nostros in viam pacis: videte ne sanctum vestrum Concilium aliqua rerum adversitate deterreatur, difficultate fatigetur, asperitate frangatur, prolixitate tepescat, quo diabolicis victi insidiis, opus Dei imperfectum relinquatis. Nolite per Dei misericordiam, quæ in manibus vestris Ecclesiam respicit, sanat, salvat, pacificat, qui jam cælesti miseratione duobus contendentium sublatis, pacem in dextris quodammodo portatis; nolite, inquam, a vestris felicibus cœptis desistere, donec illud cum Dei gratia, auxilioque perfeceritis, ad quod in unum convenistis, dare scilicet pacem gentibus, & liberare populum Domini. Nolite per piissima viscera clementiæ JESU CHRISTI, importuna quorumlibet instigatione, ad novam festinantius electionem procedere, quo nihil in hoc rerum statu capitalius pro Ecclesia facere potestis. Nolite illorum

fa-

facta imitari, quos juste reprehenditis: destruxerunt plane Ecclesiam istæ immaturæ & properatæ electiones, schisma fecerunt, schisma auxerunt, schisma foverunt, & radicaverunt, atque in has ærumnosas calamitates merserunt, e quibus numquam illam puto perfecte posse liberari, quamdiu ad novas electiones ante unionis certitudinem procedi continget. Ecclesiæ magis utilitati, imo necessitati, miserabilique calamitati, quam ambitiosorum ardori consulite, qui singula non Dei, aut suæ Ecclesiæ respectu, sed sui causa agunt, cunctaque proprio commodo metiuntur, quibus, proh dolor! ita plenus est mundus, totaque Ecclesia, ut illorum comparatione rari sunt alii. Nimis illorum importunitati diebus pristinis obsecutum est, nimis de beneficiorum collatione hactenus curatum, in quo lac ac lanam saluti gregis anteposuimus, ex quo non solum vulnus Ecclesiæ nequaquam sanatum est, sed lethaliter nimis aggravatum. Doceant itaque vos in futuris agendis præterita exempla, rerumque experientia eventu comprobata, qua nullum potest evidentius esse documentum. Cuncta prius summa cum diligentia excogitanda sunt, prius tentanda, & agenda, quibus schismate radicitus extirpato, ceterisque ad certam unionem necessariis rite compositis, pax Ecclesiæ in tuto collocetur, quam ad Pontificis electionem, quod omnium debet esse extremum, procedatur. Alioqui nisi re prius in vado posita, quid erit noviter eligere, nisi schisma fere eradicatum novo rursus germine renasci facere? Nam quod de beneficiorum collatione adeo plerique

ſollicitantur, ut vix ad aliud conſiderationis ſuæ aciem convertant, nonne convenienter per patronos ordinarios, ad quos de jure ſpectat, poterit interimi, provideri, certa illis per Concilium lege perfinita quibus perſonis conferre debeant quæque beneficia. A quibus ordinariis ſi nunquam fuiſſet jus illud ſublatum, non puto Eccleſiam Romanam iis tantis nunc oppreſſam eſſe anguſtiis, quæ nimia ambitione, rerumque ac negotiorum amplexu, a quiete contemplationis ſpiritualique exercitio Mariæ avulſa, nimisque de temporalium miniſterio cum Martha ſollicita, merito turbatur erga plurima. Maxime igitur abſurdum videtur, & tam re ipſa, quam veſtra cogitatione indigniſſimum, ut talibus curis levioribus, quibus commodiſſime aliunde ſuccurri poteſt, concordiæ Eccleſiaſticæ negotium vel turbetur, vel impediatur, cum etiam propter particularium Eccleſiarum beneficiorumque vacationem, ſi alias in eorum collatione interim provideri non poſſet, nullo modo tantum deberet bonum univerſalis Eccleſiæ, tanquam mundo neceſſarium, impediri, utiliusque eſſet illa diutius vacare, quam Eccleſiam ipſam totam per hoc ſchiſma deperire. Si itaque boni & fervidi Eccleſiaſticæ reconciliationis ſecundum ſcientiam æmulatores eſtis, nihil vos ab illa quærenda, & quovis modo aſſequenda retardare debet atque avertere: ſed rejectis quibuscunque aliis rebus intercurrentibus, ad illam velut ad ſignum ſagittæ ſemper oculos mentis veſtræ intentos habere debetis. Omnes aliæ ſunt vobis curæ, quæ illi rei quomodolibet poſſunt obſtare, repellendæ, atque repudi-

pudi-

pudiandæ, una illa totis mentis ulnis, totisque animi viribus amplectenda, in quam cuncta vestra studia, cunctos labores, ac vigilias conferre debetis, nihil utile æstimare quo impediri valeat, nihil inutile quo obtineri. Tantus debet in vobis esse illius finis ardor, tanta affectio, tantum desiderium, ut omnis via recta videatur, qua ad tantum possit bonum pertingi, omnis inepta & reproba, qua a tanto bono averti aut elongari contigerit. Scio vobis non defuturas in hujus pacis tractatu plurimas contrarietates, quas per membra sua latius, proh dolor! ubique diffusa humanæ salutis hostis excitabit, sicut abunde jam excitavit; sed circa talia elucet virtus atque exercetur, suamque vim & potentiam victoriamque demonstrat, quæ multo minus laudis assequeretur, si per plana & facilia absque ullo prorsus adversario ad præstitutum sibi esset finem veniendum. Proponite quæso vobis, fratres carissimi, in vestro ad hanc metam progressu exemplum diligentis ac boni viatoris, qui exposito sibi certo termino, ad quem pergere debet, si per expeditam non potest viam ad illum venire, per aspera quæque itinera illuc contendere studet, montes, rupes, rapidos amnes, invias solitudines exuperat, & per qualibet obstantia ad destinatum locum sibi erumpit. Non unicam habet pater Isaac cælestis benedictionem, quæ suæ possit Ecclesiæ subvenire. Multas proculdubio habet cælestis ille medicus sanandi artes atque vias, quas diligenter quærentibus invenire concedit, pieque pulsantibus aperit. Si res vobis in aliqua tentata via ex sententia non succedunt, nec res ipsas vestris

consiliis ac voluntatibus accommodare potestis, vestros potius ad illas animos aptate. Si non potest fieri quod vis, id velis quod possis, *ait quidam Sapiens. Non humana debent consilia in rebus praesertim arduis ac difficilibus esse immutabilia, sed pro rerum temporumque varietate varia atque mutabilia. Et sicut in morbis corporum pro varietate casuum accidentiumque remedia solent variari; ita profecto in morbis politiarum pro rerum ac circumstantiarum diversitate necesse est fieri. Inde est, quod Philosophi dicunt, regulas bene gerendae reipublicae,* non Lacedæmonias, sed Lesbias; *id est, non ferreas, sed plumbeas esse oportere, ut huc atque illuc, prout rerum qualitas exigit, flecti atque torqueri valeant: ad quod etiam illa respicit virtus, quam Graeci vocant ἐπιείκειαν; in qua totius justitiae vis & summa consistit. Ponite ante oculos vestros, Patres egregii, vobiscumque sedulo versate, quantum apud Deum meritum, qualem apud mundum honorem, qualem laudem, qualem gloriam, qualem apud posteros aeternae famae memoriam eritis adepti, si ramos virentis olivae, pacis indices, schismatis pestilentissimi siccato diluvio, ad arcam testamenti & sanctificationis, quae sanctae Ecclesiae typus est, cum columba reportaveritis. Neque enim sicut, hoc est Spiritu sancto, qui ferebatur super aquas, hoc unquam ulla ratione facere poteritis. Nec considerare ex adversa parte omittite quale erit, quam vobis turpe, quam Ecclesiae exitiale, quam toti Christianitati funestum, si inter tam multos pacis modos, qui me forte fugiunt, & vestris apertius occurrunt*

runt prudentiis, non solum sine solida pace discesseritis, sed pace ipsa rursus exclusa, per novam electionem, sicut jam antea vidimus, novum schisma conflaveritis; quod a vestris & mentibus, & consiliis, & voluntatibus, piissima Christi clementia, nostris tandem malis propitiata dignetur avertere. Unum est, quod plerique vulgo jactant per vos fuisse constitutum: sed non facile adducor ut credam, vos videlicet unanimi consensu decrevisse, ut nemo illorum qui de Pontificatu contenderunt, in summum posset eligi Pontificem. Nunquid, Patres, exploratum habetis super quem sors Spiritus sancti ferenda sit, aut nunquid æquum est, ipsi Spiritui sancto, qui sacris electionibus pie invocatus adesse consuevit, mentesque eligentium prævenire ac dirigere, vos legem ponere, terminum statuere, limitem præfinire, ut non de persona quam voluerit, & quæ sibi placuerit, electoribus adspiret? De quo scriptum est: Spiritus ubi vult spirat. *Quid est humano arbitrio velle in electionibus Spiritum arctare, nisi ipsum excludere? Porro si certa & irrefragabilis est Apostolica sententia:* Ubi Spiritus Domini, ibi libertas, *qua spe illic affuturum credimus Spiritum Domini, ubi non est libertas? Audite rursum quid ad vos loquitur idem Apostolus:* Vos in libertate vocati estis, fratres, videte tantum, ne libertatem in occasionem detis carnis, *hoc est, carnalium affectionum. Quibus verbis nihil aptius potest vestræ ad Concilium vocationi, sanctæque congregationi convenire. Denique nonne potest casus accidere, qui forte jam in manibus est, ut nisi unum ex illis eligendo certam*

concordiam habere nequeatis? quo in casu facile est unicuique videre, quid utilius esset, illumne eligere, an sine pace discedere. Testor autem coram Deo & Christo ejus, & tremendo judicio ejus, non hæc in favorem cujuscunque personæ, sed in languentis Ecclesiæ miserationem me dicere, quæ raptim satis & properanter effudi. Quare obsecro, ut minori rerum digestioni, atque sermonis ornatui vestræ dignentur paternitates ignoscere, & sinceram mentis intentionem magis quam verba ponderare, quas in pacis ac concordiæ tranquillum domicilium quietamque stationem tandem post longa certamina, pius dignetur pacis auctor atque amator perducere.

Hæc ille, quæ qualis & quantus fuerit Clemangius, ostendunt. Periodi singulæ, commata propemodum singula hominis acre ingenium, incredibile in Ecclesiasticam pacem studium, & summam vigilantiam palam loquuntur.

Academia literas ad Basileensem Synodum semel atque iterum perscripsit. Semel hoc modo:

Sacrosanctæ universalis Ecclesiæ Synodo Basileæ congregatæ.

Reverendi Patres in Christo, ceterique clarissimi oratores, ac domini universalem Ecclesiam repræsentantes, ad vestrarum dominationum notitiam harum serie perducimus, quosdam de Romana curia nuper huc venientes plerisque nostri cœtus, ac Studii denunciasse per vivæ vocis oraculum, plerosque filios iniquitatis ad ipsum totis aspirare conatibus, ut

san-

ſanctum & ſalutare Concilium veſtræ ſanctæ congregationis jamdudum Baſileæ agitari cœptum prorogetur, aut transferatur, & verius, penitus irritetur atque diſſipetur: vehementer autem ſumus admirati, imo ſatis non ſufficimus admirari, quomodo hoſtis ille generis humani jugiter circumiens, & quærens quem devoret, a veritatis tramite abducat, tantam in corde Chriſtiano, & præſertim ſubtili atque erudito prævaluit infundere nequitiam. Sed illa proculdubio eſt, & ſemper eſſe conſuevit ſuæ aſtutiæ præcipua calliditas, ut illis magis inſidiari ſtudeat, illosque potius ſubvertere nitatur, quos in ſtatus eminentia, vel doctrina excutienda columnas eſſe in domo Dei animadvertit, quatenus excisis illis, domus Domini univerſa corruat. Sed quanto malignus ille ad Eccleſiæ ſubverſionem vigilantius inſiſtit, tanto pii illius filii ſollicitius eniti debent, ut univerſas ejus artes ac tentamenta evacuent. Non itaque, venerandi Patres, torpeſcant corda veſtra, non frangantur animi, non veritatis ardor ille, quem in cordibus veſtris Spiritus Sanctus accendit, ut opus Dei imperfectum, aut ſempiternum relinquatis, ne de vobis illud Evangelicum cum contumelia dici poſſet, hi homines cœperunt ædificare, & non potuerunt conſummare. *Tu quoque exurge, Domine,* & judica cauſam tuam, ut non prævaleat homo, *non prævaleat hoſtis antiquus, ſed prævaleat Chriſtus in concilio ſuo, & in negotiis ſuæ fidei, ſuæ Eccleſiæ, ſuæque fidelis ſponſæ, quam non derelinquet in finem. Si autem Romanus Pontifex illud propria auctoritate vellet diſſolvere at-*

que

que dissipare ante plenariam digestionem articulorum inceptorum, non eidem putamus in ea re, salva sedis auctoritate, esse obtemperandum, sed potius in facie, si opus esset, resistendum, sicut Paulus qui signum tenet Doctorum, Petro in facie resistit figuram gerenti Pontificum. Etsi enim summus Pontifex in concilio præemineat, atque præsideat, non suæ tamen facultatis est ad arbitrium concludere, sed ad ampliorem numerum concordium sententiarum. *Denique in eodem Concilio de fructuosis ac saluberrimis verbis agitari cœptum est, de reductione videlicet Græcorum atque Bohemorum, quæ cœpta non leviter videntur aut intermittenda, aut prorsus omittenda, nisi in vestris cordibus fraternæ charitatis incensum velitis extingui. Sanctam congregationem vestram ad opus incœptum dirigere dignetur Altissimus. Scriptum Parisius in nostra congregatione generali apud Sanctum Maturinum solenniter celebrata, anno Domini 1431. die 9. mensis Februarii.*

Vestræ sanctæ congregationis humiles, devoti & obsequiosi oratores, Rector & Universitas Studii Parisiensis.

Iterum hoc modo:

Sacrosanctæ universalis Ecclesiæ Synodo Basileæ congregatæ.

Quoties ad Ecclesiæ pacem, & fidei tutelam strenue res geritur, reverendi Patres, & honorandi domini, Deo placere, & justæ rei operam impendere credendum est; sed eo amplius salubriter agi creditur,

tur, cum circa hæreſεων extirpationem, correctionem exceſſuum, & demum ad ſedandum fidelium discordiam tota Eccleſiæ verſatur intentio. Nempe illi ſummo rerum conditori nihil acceptius in terris eſſe creditur, quam filiorum Eccleſiæ in animorum unitate & ſinceritate affectuum generalis conventio, qui habitare facit unius moris in domo. *Proinde totius Eccleſiæ Synodum decorari iis temporibus credimus oportere, ut debacchantium Bohemorum tam horrendam, tamque infeſtam Eccleſia cladem e medio auferri procuretur; qui adverſus Eccleſiam, & Eccleſiæ miniſtros ore ſacrilego, & verbis impiis obſtrepunt, & turpi contagione fidei commaculant puritatem, & paſſim in eam graſſantes, religiones diſſipant, monaſteria ſpoliant, & ſacras ædes in vaſtitatem redigunt. Hi profecto bicipiti quodam gladio Chriſti ſponſam ſtyli deformitate & ruga dehoneſtarunt erroris, ut quæ olim velut aurora conſurgens in antiquis Patribus radiavit, ſpiritualiter floruit, & temporaliter abundavit, poſterorum malitia irrumpente fruſtretur. Hæc conſideratio, reverendi Patres, & honorandi DD. votorum noſtrorum ſtudia ad orbis fidelium pacem anxie ſuſpirantia commovit temporalium Principes, & ſpiritualium Paſtores atque Rectores noſtris ſollicitare literis, ut ad ſacroſanctum generale Concilium viros conſpicuos, Eccleſiæ præcipuos zelatores, & ad materias ſincere affectos deligere feſtinent. Ob eam rem auctorem fidei & conſummatorem JESUM totis cordium deſideriis obſecramus, ut ipſe miſericorditer cœptis noſtris aſpirans, veſtras in tam arduis dirigat pru-*

den-

dentias, ut tandem Ecclesia a cunctis erroribus & flagitiis libera, de suis cladibus divino beneficio possit triumphare. Eia agite igitur, reverendi Patres, & honorandi DD & ad Ecclesiæ honesta & accommoda vestros animos convertite. Sic enim æquabilius atque præstantius res Ecclesiæ sese habebunt. Ad opus tam magnificum vos moveat rei ipsius clara, percelebris ac perpetua laus, per quam omnium vestrum nomina in ore omnium hominum versabuntur: moveat & maxime tam egregii gloria facti, gregis Christi dissipatio, animarum zelus, regnorum discordia, & denique matris miseriæ tam graves & inauditæ, ut saxeum pectus emollire possent; nec mora opus est, sed jugi vigilantia, ne, quod absit, sero quæsisse remedium vos pœniteat. De literarum vestrarum communicatione gratias humili & devoto corde referimus, offerentes vobis nostræ Universitatis corpus & singula membra, orationes & preces crebras, & solennes processiones ad Deum Patrem, qui celeberrimum vestræ congregationis cœtum, ad Ecclesiæ pacem, fidei integritatem, & totius orbis fidelium salutem perducere dignetur, vosque pro assumptis laboribus de terrena Jerusalem transferat ad triumphantem. Scriptum Parisius in nostra congregatione generali apud Sanctum Maturinum solenniter congregata, die 10. mensis Aprilis, anno 1432.

Vestræ congregationis humiles, devoti & obsequiosi oratores, Rector & Universitas Studii Parisiensis.

ARTI-

ARTICULUS XVI.

Guillelmus Quadrigarius Parisiensis Episcopus, Academiæ Rectori primas a se & collegis tribuendas esse partes verbo atque exemplo statuit.

JOannes Beguinus cum anno 1448 Franciæ nationem procuraret, in acta publica retulit Guillelmi Quadrigarii Parisiensis Episcopi verbum atque exemplum, quod ita se habet: *In hac præsenti procuratione accidit unum, quod multum facit ad solvendum quandam objectionem sæpe fieri solitam. Nulli siquidem formidant, quin dominus Rector Universitatis debeat præferri Episcopis in actibus scholasticis, quia a tam longinquis temporibus ita solitum est fieri, quod non est memoria de contrario, & etiam quia fere omnes Prælati hujus regni, qui sunt jurati de hac Universitate, modo unusquisque jurat, quando incorporatur Universitati, ferre honorem domino Rectori, etiam ad quemcunque statum devenerit. Sed multi dubitant in actibus hierarchicis: & fuit mota ista dubitatio in deputatis. Istam autem dubitationem penitus resolvit, & annihilavit reverendus in Christo pater & dominus D. Guillelmus Chartier Episcopus Parisiensis, qui cum intrare deberet in habitu Pontificali civitatem suam, licet a multis pulsaretur, ut non invitaret Rectorem ad suum solenne prandium, quia grave esset dominis Episcopis, quod dominus Rector eos deberet præcedere, præfatum tamen Rectorem cum Procuratoribus* qua-

quatuor nationum, licet ore proprio invitasset in quadam visitatione per præfatum Rectorem facta, attamen denuo fecit invitari, & ordinavit ut intuitu antiquæ Universitatum parentis, & scholasticæ professionis, dominus Rector Universitatis omnibus Prælatis præponeretur: quod de facto executioni dedit eo modo quo prius ordinaverat: nempe ad 3. Nonas sextiles. Qui eo honore potitus est Rector, Joannes Normani vocabatur.

Et primo quidem nova non est quæstio, utrum Universitatis Rector debeat iis in actibus, quos auctor nominat, Episcopos antecedere. Jam annus agitur ducentesimus vicesimus tertius, quod Lutetiæ agitata est. Deinde minus agitata est in iis, quæ ad scholasticos, quam quæ ad hierarchicos, id est, non scholasticos, actus pertinerent. Nam Rector in actibus scholasticis Episcopos antecedebat sine controversia: *Nulli*, inquit Beguinus, *formidant quin dominus Rector Universitatis debeat præferri Episcopis in actibus scholasticis, quia a tam longinquis temporibus ita solitum est fieri, quod non est memoria de contrario.* Sic Rector diuturna possessione sese tuebatur.

Tum difficultas tunc major fuit de præcessione in actibus, quos hierarchicos, seu non scholasticos appellant. Sed illa tandem sublata est, pronunciante secundum Academiam & illius Rectorem Parisiensi Episcopo. Pronunciandi rationes sunt duæ: prior, quod Parisiensis Universitas sit antiqua Universitatum parens: posterior, quod scholasticæ professioni honor debeatur ac reverentia.

Pro-

Profecto si quis literatus esse debet ex officio, cum literatos & literas colit & observat, seipsum potius, quam literas & literarum professores colit & observat.

Porro autem ad ferendum pro Academia judicium Parisiensem Episcopum nonnihil adducere potuit accepti ab illa superiori anno beneficii recordatio. Antonius Paulus, qui tunc procurabat nationem Franciæ, beneficium ita describit: *Die Lunæ 12. Decembris, supplicavit in prædicta congregatione Magister noster honorandus Magister Robertus Cibolle ex parte Capituli Parisiensis, quod Universitas Parisiensis mater mea vellet dare auxilium & favorem domino electo Parisiensi Magistro Guillelmo Quadrigarii, qui via Spiritus sancti fuerat electus in Episcopum dictæ villæ Parisiensis; & quod dicta Universitas vellet mittere literas sigillatas magno sigillo Universitatis, domino nostro Regi, summo Pontifici, dominis Cardinalibus, domino confessori domini nostri Regis, domino Archiepiscopo, & aliis dominis, quibus esset opportunum & necessarium mittere in favorem supradicti, & Magistri scientifici domini Guillelmi Quadrigarii electi Parisiensis bene meriti. Quam quidem supplicationem Universitas mater mea concessit. Et ibi fuerunt lectæ in facie Universitatis literæ missivæ supradictis dominis, quas literas Universitas supradicta mater mea admisit, dummodo visitarentur in deputatis; & congratulata fuit valde de tam solenni electione tam prudentissimi viri supradicti domini & Magistri Guillelmi Quadrigarii.* Et hæc

forsan fuerunt in causa, cur Parisiensis Episcopus perofficiose & peramanter egerit cum Academia. Sed tamen quidquid reipsa egit, qui cunctati fuerant, assensu atque opere suo comprobarunt. *Quod*, inquit auctor, *de facto executioni dedit eo modo quo prius ordinaverat.* Nec Antistes ullus maluisse dicitur aut legitur impransus discedere, quam intueri Rectorem qui primus epulas iniret.

ARTICULUS XVII.

Mirifica & incredibilis in servandis legibus Academiæ constantia.

CUm anno 1476. Ferdinandus V. Rex Castellæ versaretur Parisiis, ei venit in mentem ab Academicis petere, ut certus quidam e comitatu suo Magister Parisiensis renunciaretur Theologus, etiamsi hac in urbe studiis minime vacasset. Quod uti consequeretur facilius, effecit ut Ludovicus Rex Galliæ id quoque secum peteret. Petierunt ambo Reges, nec consecuti sunt, affirmantibus Academicis se nulli posse dare immunitatem legum, quas non tulerant. Procurante ad hocce tempus Franciæ nationem Guillelmo Ugero, res ita narratur: *Die 22. mensis Novembris fuit congregata alma Universitas Parisiensis apud Sanctum Maturinum, super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum literas credentiæ a supremo domino nostro Rege Universitati transmissas super receptione Regis Castellæ & Portugalliæ, &c. Quantum ad primum articulum, dominus de Gaucourt, Locumtenens*

nens regius, eleganter & egregie explicavit mentem supremi domini nostri Regis, & qualiter inter Principes terræ volebat eundem Regem in sua villa Parisiensi honorari. Qua declaratione audita, veneranda Francorum natio deliberavit, quod cum omni honore & reverentia possibili reciperetur, & quod omnes Regentes & alii cum cappis & habitibus honestis & decentibus adventui ejusdem Regis adessent. Et in adventu prædicti Regis proposuit M. noster M. Joannes Eschart.

Die 26. Novembris fuit convocata alma Universitas Parisiensis in Jacobitis, super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum literas regias missas Universitati ex parte supremi domini nostri Regis, quibus literis rogabat, & nihilominus strictissime mandabat Universitati, ut quidam Magister de familiaribus Regis Castellæ, ad gradum Licentiæ & Doctoratum in Theologia admitteretur, in favorem prædicti Regis Castellæ præsentis, qui etiam instanter rogabat pro receptione ejusdem, &c. Quantum ad primum articulum deliberat veneranda natio Franciæ, quod parata erat parere mandatis & jussibus Regis, & quod salvis statutis Papalibus, de quibus Universitas non poterat dispensare, si esset possibile, reciperetur in favorem supremi domini nostri Regis, cujus mandatis adversari nullatenus poterat; & quantum ad illam receptionem pertinebat, quia factum concernebat & spectabat Facultatem Theologiæ, eidem Facultati remisit.

Die 28. Novembris fuit convocata alma Universitas Parisiensis in Sancto Maturino super duobus articu-

ticulis. Primus fuit ad avisandum de responso dando Cancellario Franciæ super prædicta supplicatione, qua supplicaverat præfatus Magister familiaris Regis Castellæ, pro admissione ad gradum Doctoratus in Theologia, &c. Quantum ad primum articulum deliberat veneranda natio Franciæ, quod præfato domino Cancellario Franciæ daretur simpliciter responsum negativum, remonstrando sibi quod eundem Magistrum recipere non poterat ad gradum Doctoratus in Theologia, attento quod non acquisiverat tempus Parisius, nec unquam studuerat in Universitate Parisiensi, esset incurrere perjurium & sententiam excommunicationis secundum statuta Facultatis Theologiæ, de quibus Facultas non posset dispensare. Dominus Cancellarius Franciæ, audito responso negativo, adhuc hortatus est Universitatem, ut super hoc adhuc avisaret & maturius deliberaret: & dicit, quod si isti supplicationi & mandato regio non pareret, graviter offenderet Regem, & incurreret indignationem Regis, & forte postea perditionem suorum Papalium privilegiorum.

Die ultima Novembris congregata est iterum alma Universitas Parisiensis super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum responsum domini Cancellarii Franciæ datum deputatis Universitatis, qui responsum negativum super prædicta supplicatione eidem Cancellario dederunt. Exposuit dominus Rector mentem domini Cancellarii Franciæ, & qualiter ægreferebat responsum & deliberationem Universitatis super materia illius supplicationis, admirans

rans quomodo Universitas non annuebat supplicationi domini nostri Regis, attento quod alimentis ejusdem Regis fovebatur, & privilegiis ejus regalibus florebat; & multa alia similia retulit. Audita expositione & responso deliberat veneranda natio Franciæ, quod Universitas adiret prima die post prandium hora prima regiam majestatem Regis Castellæ in cappis & habitibus honestis, & quod Magister noster Joannes Eschart, qui prima die erat propositurus, coram prædicto Rege excusaret Universitatem, & exponeret causas propter quas Universitas, & signanter Facultas Theologiæ non poterat admittere prædictum Magistrum ad gradum magisterii in Theologia: & si non posset pacari animus Regis Castellæ, quod mitterentur ad dominum nostrum Regem aliqui notabiles viri cum literis, qui consimiliter exponerent Regi pericula, ut perjurium & sententiam excommunicationis, quam incurreret Universitas, si eundem Magistrum admitteret, & qualiter Universitas non poterat petitionem regiam licite adimplere. Facta propositione coram Rege Castellæ, habuit Universitatem excusatam, pollicitusque est apud regiam majestatem Universitatem super hac materia excusare, & si novisset primam requestam fuisse contra statuta & juramenta Apostolica, nunquam fecisset illam requestam pro eodem Magistro familiari suo.

Die 2. Decembris fuit congregata Universitas Parisiensis in Sancto Maturino super duobus articulis. Primus fuit ad audiendum relationem Magistri nostri Joannis Eschart, & etiam Magistri no-

stri Magistri Antonii Ursi, qui fuerat missus ad dominum Cancellarium Franciæ, pro excusatione Universitatis super prædicta & sæpenumero iterata supplicatione, &c. Quantum ad primum articulum veneranda natio Franciæ plurimas grates retulit dominis proponentibus, de elegantibus propositionibus & relationibus suis, & deliberat ulterius, quod mitterentur aliqui de Magistris nostris in Theologia ad Regem Castellæ, ad impetrandum literas excusatorias pro Universitate, quibus literis præfatus Rex Castellæ haberet Universitatem excusare erga regiam majestatem, quia non poterat petitionem adimplere.

Die 7. Decembris fuit convocata alma Universitas Parisiensis in Jacobitis post Missam Universitatis, super tribus articulis. Primus fuit ad audiendum aliqua denunciata domino Rectori ex parte domini de Gaucourt, Locumtenentis regii, qui rescripserat domino Rectori, quod deputati notabiles & de Facultate Theologiæ adirent dominum Cancellarium Franciæ, audituri aliqua, quæ dicturus erat idem Cancellarius ex parte supremi domini nostri Regis. Quantum ad istum articulum veneranda natio Franciæ dedit deputatos graves, ut M. Joannem de Martigniaco, M. Joannem Guerin, M. Michaelem de Alnetis, cum quibusdam aliis, ut irent ad prædictum dominum Cancellarium cum aliis deputatis aliarum nationum, audituri quæ dicturus erat dominus Cancellarius. Et paulo post supplicavit dominus Rector, quod si occasione prædictæ supplicationis illius supplicantis pro rece-

receptione ad gradum Doctoratus in Theologia, aliquid sinistre contingeret in periculum personæ suæ, vel detrimentum, quod Universitas eundem tueretur, & rem ipsam tanquam proprium factum acciperet. Hæc ibi, in quibus occurrunt multa, quæ curiose ac diligenter observentur.

I. Ludovicus XI. & Ferdinandus V. Reges duo, ille Galliæ, hic Castellæ semel atque iterum & tertio instant Academiæ, ut certus quidam e comitatu Ferdinandi Magister ad Licentiæ gradum, & ad Parisiense in Theologia magisterium admitteretur.

II. Academia insignes Magistros legavit ad Ferdinandum, & ad Gaucurtium, qui Lutetiæ Regis locum tenebat, causaturos id quod petebatur, fieri non posse. Obstabant leges Academiæ, quarum immunitatem dare nullam poterat, quod ab illa conditæ non essent. Illius est tantum aliquem legibus solvere, cujus est leges condere.

III. Ludovicus & Ferdinandus Reges sapientissimi considerata re gratam acceptamque habuerunt orationem legatorum Academiæ, qui sese excusatione hujusmodi defenderant: in quo non minus laudanda est Academiæ fortitudo & constantia, quam summa Regum æquitas. Id tunc utrobique factum est, cui sane debetur æternitas, sed propter varios hominum mores, quod difficile iturum erat in exemplum apud posteros. Intelligebant viri prudentes, in omni gubernatione seu Ecclesiastica, seu civili, seu Academica, hanc præ omnibus legem habendam esse, ut quantum fieri potest, leges serventur, & nullam in quavis republica induci

 posse

posse consuetudinem legum negligentia perniciosiorem. Id post annos circiter sexaginta duos observavit Concilium delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum de emendanda Ecclesia, Paulo III. ipso jubente conscriptum & exhibitum anno 1538. Verba sunt: *Illud vero ante omnia, beatissime Pater, putamus statuendum esse, ut dicit Aristoteles in Politicis sicut in unaquaque republica, ita & in hac Ecclesiastica gubernatione Ecclesiæ Christi, hanc præ omnibus legem habendam, ut quantum fieri potest, leges serventur, nec putemus nobis licere dispensare in legibus, nisi urgenti de causa & necessaria. Nulla namque perniciosior consuetudo in quavis republica induci potest, quam hæc legum inobservantia, quas sanctas majores nostri esse voluerunt, earumque potestatem venerandam & divinam appellarunt.*

IV. In hoc facti genere quamlibet singulari universa Academiæ circa legum suarum immunitatem disciplina continetur. Res unicuique vel leviter meditanti advolat ad pectus. Quis enim crederet, postulantibus inferioris dignitatis, nonnullos Academicis exolutos esse legibus, postquam instantibus Ludovico & Ferdinando Regibus concessa non est, ut vidimus, Academicæ legis exolutio?

V. Quæ ad annum 1476. gesta esse in Academia comperimus, si ad nostrum tempus devocarentur, ea fictis tabulis memoriæ prodita viderentur. Hinc accidit, ut quo modo scripta sunt in publicis Academiæ commentariis, eo retulerimus, ne

illo-

illorum fides in dubium veniret. Pinguis quidem & crassus est sermo, sed rei magnitudo sermonis elegantiam compensabit: quin etiam historia etiam rudi & soloece stylo exarata delectat.

ARTICULUS XVIII.

Parisiensis Senatus olim edixit, ne qui sacrorum codicum explanationem, vel Catholicam fidem attinent commentarii, sine Facultatis Theologiæ Parisiensis judicio typis mandarentur.

PArisiensem Senatum statuisse quod proponitur, cum ipsi Parisienses Theologi memoriæ prodiderint, nihil est admodum, cur alias expressum vernacule senatusconsultum referatur. De hoc autem senatusconsulto sic loquitur Natalis Beda, in epistola ad lectorem, sub finem apologiæ suæ: *Senatus Parisiensis ad evitanda, quæ ex Lutheranis & Lutheranorum scriptis quotidie suboriebantur in fide errata, prohibuit edictis publicis sub pœnis gravissimis, ne Parisiis imprimerentur libri concernentes fidem Christianam, aut sacræ Scripturæ expositionem, nisi prius per collegium Theologorum, aut ab eo commissos fuissent discussi & judicati utiles Ecclesiæ.* Quin etiam ipsa Facultas Theologiæ hoc sibi gratulatur in epistola, quam ad Parisiensem Senatum scripsit anno 1523. die 26. Junii.

Constituistis, inquit, *præterea publico decreto, ne qua posthac volumina sacræ Scripturæ expositio-*

nem aut fidem concernentia emitterentur in publicum, aut venundarentur, nisi prius fuerint ab ipso Theologorum cœtu recognita, aut examinata. Persuasum habuit Senatus Augustissimus, salvam tum demum fore Catholicæ Ecclesiæ fidem, eamque tutam ab omnibus iis libris, quos Facultas Theologiæ ante editionem recognosceret.

Noverat, opinor, præteritarum rerum usu & notitia, illustrem Parisiensium Theologorum cœtum in id unum incubuisse semper, ut ab erroribus, quos homines in Ecclesiam male affecti spargunt in vulgus, Catholica fides defenderetur.

Noverat quoque non ita pridem ab Innocentio VIII. scriptum: *Hos Parisienses Theologos probatissimos esse Christianos, omne studium curamque suam pro fidei defensione, & hæreseωv extirpatione perpetuo adhibuisse, & veræ fidei propugnatores haberi.*

ARTICULUS XIX.

Episcopi complures editis ab se libris optime provisum esse credunt, si a Parisiensium Theologorum collegio probentur.

PErmulti fuerunt Episcopi, tum Galli, tum exteri, qui suos a Facultate Theologiæ Parisiensis examinari libros comprobarique publico testimonio postulaverint. In quibusdam recensendis ad exemplum, temporis sequemur ordinem, qui in ejusdem Facultatis commentariis servatur.

Et

Et primum quidem inter ea quæ ad annum 1534. gesta narrantur in congregatione Facultatis, quæ pridie Idus Septembris habita est: *Item quia dominus Sadoletus Episcopus Carpentoratensis miserat ad Facultatem quendam librum intitulatum: Commentarium in epistolam Pauli ad Romanos, cum literis suis, petens illum visitari a Facultate. Et dati fuerunt deputati, videlicet Valentinus Lievin, & Ory. Audita autem eorum relatione in facie Facultatis de prædicto libro per organum prædicti Ory, dictum fuit, quod scriberetur nomine Facultatis ad eum, & significarentur quæ inventa fuerant in prædicto libro, & dictum fuit, quod hæc conclusio legeretur in proxima congregatione de verbo ad verbum.* Ex his autem constat Facultatem Sadoleto dedisse id genus censuræ, quam ab illa expetierat.

Deinde ad annum 1545. in Facultatis congregatione, quæ Calendis Junii habita est, *Magister noster le Preux retulit se visitasse librum de cælibatu editum a reverendo domino Episcopo Abrincensi, ad cujus relationem permisit Facultas, ut dictus liber imprimatur, si modo relinquatur originale, vel copia signata Facultati.* Vide quo cautionis genere hujus Episcopi, qui & alias Parisiensis Theologus erat, liber a Facultate comprobetur.

Tum ad eundem annum 1545. in Facultatis congregatione quæ 28. die Novembris habita est, *Facta est supplicatio reverendi in Christo patris domini Episcopi Veronensis, a summo Pontifice legati ad Regem Portugalliæ, petentis ut visitetur per Facultatem*

tatem liber a se editus: qua audita, & protestatione cognita, insuper longa profectione, & immensis laboribus assumptis, ut prædictum librum suum censuræ Facultatis committeret, humanissime excepit dictum patrem Episcopum, probitatem, fidemque probavit, dictumque suum librum in tredecim volumina divisum Magistris nostris distribuit visitandum. Sed modo vide quibus verbis libri hujus examen describatur.

Quarto ad annum 1548. in Facultatis congregatione, quæ Martii die prima habita est, *Facultas Theologiæ reprobavit novum Breviarium Aurelianense impressum anno 1542.* Atque hoc est maximum receptæ auctoritatis argumentum.

Denique ad annum 1575. in Facultatis congregatione, quæ 15. Martii die habita est, *Audita relatione Magistrorum nostrorum Juliani de Saint Germain, & Dionysii Hangart, qui ex ordinatione prædictæ Facultatis visitaverunt librum inscriptum: Norma pie vivendi a reverendo in Christo patre Nicolao de Thou, Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopo Carnotensi, præscripta Parochis Carnotensibus in diœcesana Synodo anno 1575. non impedit Facultas, quo minus dictus liber imprimatur.*

Post tempus illud exemplum aliud nullum mihi occurrit, quod proponam. Ut nihil est in rebus humanis firmum ac stabile, hæc laudabilis disciplina probandi libros sic in desuetudinem abiit, ut eam aliquando viguisse vix crederes. Ceterum exempla non quærimus antiquiora iis, quæ superius sæculum exhibuit, in quo qui cœperunt per religionem

nem ſentire ſeorſum a Catholicis, fuerunt in Cauſa, cur commentarii de religione ſcripti a Facultate Theologiæ ſic approbarentur. Et hæc partam apud omnes auctoritatem Facultatis ſine controverſia ulla demonſtrant.

ARTICULUS XX.

Selecta quædam Facultatis Theologiæ Pariſienſis decreta, quæ ad Eccleſiaſticam hierarchiam ſpectant.

CUm multa ſunt, quæ Facult..ti Theologiæ tam illuſtre nomen pepererunt, tum nihil æque atque publica errorum & perverſorum dogmatum condemnatio. Infinitus eſſem, ſi quos Facultas articulos edidit, & ſi quæ de variis erroribus decreta ſanxit, referrem. Ea tantum referre inſtitui, quæ ad Eccleſiaſticam hierarchiam pertineant. Hoc in genere primas tenet id quod ſequitur:

In nomine Domini. Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat evidenter, & ſit notum, quod anno Domini 1429. more Gallicano, Indictione octava, menſis Martii die triceſima & penultima, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto & domini noſtri domini Martini divina providentia Papæ V. anno 13. in congregatione venerabilium & circumſpectorum virorum dominorum & Magiſtrorum ſacræ Theologiæ Facultatis Studii Pariſienſis in Sancto Maturino ſolenniter congregatorum, & more ſolito dictæ Facultatis Theologiæ congregationem ibidem celebrantium de mandato venerabilis & circum-

cumſpecti viri Magiſtri Petri de Dierreio, dictæ Facultatis Decani, tam regentium, quam non regentium, & religioſorum, & ſæcularium, ad infra ſcripta ibidem vocatorum ſpecialiter, propter hoc perſonaliter conſtitutus præfatus dominus Decanus dicens, & proponens, quod frater Joannes Sarrazin Ordinis fratrum Prædicatorum Licentiatus in Theologia, poſt Veſperias ſuas fuerat delatus apud ipſum & conſequenter apud dictam Facultatem, tanquam dixiſſet ea quæ ſequuntur, ſicut etiam ſcripta exhibita de propria manu ſonare videbantur, formam quæ ſequitur continentia.

Primo: Omnes poteſtates jurisdictionis Eccleſiæ, aliæ a Papali poteſtate ſunt ab ipſo Papa, quantum ad inſtitutionem & collationem.

Secundo: Hujusmodi poteſtates non ſunt de jure divino, nec immediate inſtitutæ a Deo.

Tertio: Non invenitur Chriſtum tales poteſtates, ſcilicet alias a Papali expreſſiſſe, ſed tantum ſupremam, cui commiſit Eccleſiæ fundationem.

Quarto: Quandocunque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis, in ſolo ſummo reſidet Pontifice.

Quinto: Ex textu Evangelii non habetur expreſſe, alicui Apoſtolorum, niſi Petro, auctoritatem jurisdictionis fuiſſe collatam.

Sexto: Dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem jurisdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive Curati, eſſe immediate a Deo ſicut poteſtatem Papæ, veritati quodammodo repugnat.

Septi-

Septimo: Sicut nullus flos, & nulla pullulatio, nec etiam omnes flores & pullulationes simul possunt aliquid in arborem, quia hæc omnia sunt propter arborem instituta, & ab arbore derivata: sic omnes aliæ potestates nihil de jure possunt contra summum Sacerdotium. Infra dicitur, quod spiritualis potestas est summus Pontifex, ut recitatur Hugonem de Sancto Victore dixisse secundo de sacramentis: ex quo potest videri, quod hic per summum Pontificium summus Pontifex intelligatur.

Octavo: Summus Pontifex canonicam simoniam a jure positivo prohibitam non potest committere.

Quæ propositiones seu dicta per deputatos ejusdem Facultatis diligenter examinata, judicabamus esse reparanda, præsertim cum dominus Decanus ex matura & diligenti ac concordi deliberatione Magistrorum dictæ Facultatis, tam regentium, quam non regentium, & tam sæcularium, quam religiosorum præhabita concludit, quod prædictus Frater Joannes Sarrazin Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui tunc & alias auditus fuit ad longum, & cujus intentio scita fuit, & qui etiam se submiserat dictæ Facultati Theologiæ, diceret in dicta congregatione, & deinde in Aula (Aulica) *Fratris Girardi de Salinis Ordinis Fratrum Minorum, post primam quæstionem expectatoriam, sub hac forma: Ex Vesperiis quidem meis quidam fuerunt scandalizati, sicut mihi significatum est per matrem meam Facultatem Theologiæ, tanquam intellexerint, quod voluerim inter alia detrahere potestati & Ecclesiæ*

&

& Prælatorum aliorum a summo Pontifice, tam majorum, quam minorum, & quorundam aliorum Ecclesiasticorum, & specialiter occasione quarundam propositionum per me in eisdem Vesperiis meis dictarum. Volens propterea, quantum in me est, tollere omne scandalum, & esse filius obedientiæ & pacis, & assertor veritatis, dico nunc ex ordinatione ejusdem matris Facultatis Theologiæ, cujus ordinationi, dispositioni, & omnimodæ determinationi me submisi & submitto, ac etiam ultronea voluntate, veritates, quæ sequuntur.

Prima: Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ a Papali potestate sunt ab ipso Christo quantum ad institutionem & collationem primariam: a Papa autem & ab Ecclesia, quantum ad limitationem & dispensationem ministerialem.

Secunda: Hujusmodi potestates sunt de jure divino, & immediate institutæ a Christo.

Tertia: Invenitur in sacra Scriptura Christum Ecclesiam fundasse, & potestates alias a Papali expresse ordinasse.

Quarta veritas: Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis, residet non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto, & Ecclesia Catholica.

Quinta: Ex textu Evangelii, & doctrina Apostolorum habetur expresse, Apostolis & discipulis a Christo missis auctoritatem jurisdictionis fuisse collatam.

Sexta: Dicere inferiorum Prælatorum potestatem

tem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive sint Curati, esse immediate a Deo, Evangelicæ & Apostolicæ consonat veritati.

Septima: Aliqua potestas, scilicet potestas Ecclesiæ, de jure potest aliquid, & in certis casibus contra summum Pontificem.

Octava veritas: Quicunque purus viator habens usum rationis, cujuscunque dignitatis, auctoritatis, aut præeminentiæ, etiamsi Papalis existat, simoniam potest committere.

Denique si aliqua protulerim, vel scripserim, quæ videantur prædictis contraria, vel quæ aliter scripta sint, nolo in eis stare; sed volo & supplico haberi pro non dictis vel scriptis, & alia quæcunque, quæ viderentur præbere occasionem scandali vel erroris.

Qui quidem Frater Joannes Sarrazin modo & forma prædictis omnia & singula fecit, dixit & protulit.

Alterum decretum damus, quo partim in eandem rem, partim in aliam pronunciatum est anno 1442.

Anno Domini 1442 die nona mensis Januarii intra Scholas venerabilis conventus Fratrum Eremitarum beati Augustini Parisius, ex conclusione & speciali ordinatione venerandæ Facultatis Theologiæ in Universitate Parisiensi, in mei Laurentii Pontrelli Presbyteri, principalis Bidelli dictæ Facultatis, ac publici Apostolica & Imperiali auctoritate notarii, testiumque infra scriptorum ad hæc vocatorum præsentia, venerabilis & religiosus vir Magister

gister Nicolaus Quadrigarii in Theologia Magister dicti Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, in sua prima lectione Magistrali in crastino Doctoratus sui reparavit quasdam propositiones per eum a paucis diebus in suis Vesperiis dictas & pronunciatas, modo & forma contentis in quadam schedula papyrea, cujus tenor sequitur:

In Vesperiis meis quidam fuerunt minus bene ædificati ex duobus per nonnullos tunc in Schola existentes intellectis, sicut mihi significatum est per matrem meam Facultatem Theologiæ, quasi intellexerint, me dixisse in primo quidem, quod a divina providentia omnia quæ fiunt, ex necessitate eveniunt, quamvis crediderim me dixisse, quod a divina providentia omnia quæ fiunt, quadam necessitate eveniunt. Assero enim & profiteor, quod omnia creata a divina providentia liberrime prodeunt, nec ullam aliam pono necessitatem, quam conditionalem, vel suppositionis immutabilitatis divinæ providentiæ, aut necessitatem consequentem.

Secundum dictum fuit in duodecimo corollario & collativo, quod sola Papæ potestas in tota Ecclesia immediate est a Christo, intelligendo corollarium de potestate jurisdictionis, non de potestate ordinis. Ego quantum in me est, volens tollere omne scandalum, & esse filius obedientiæ & pacis, assertorque veritatis, dico sicut tunc dixissem, si fuissem absolute & non collative locutus: & hoc ex ordinatione Facultatis Theologiæ matris meæ, cujus ordinationi, dispositioni & omnimodæ determinationi me submisi & submitto, ac etiam ultronea voluntate, veritatem, quæ sequi-

ſequitur; quam quidem veritatem prædicta Facultas ſubmittit determinationi Eccleſiæ, ſacri Concilii generalis, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ: Omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiaſticæ, aliæ a Papali poteſtate, ſunt ab ipſo Chriſto, quantum ad inſtitutionem & collationem primariam: a Papæ auctoritate, & ab Eccleſia, quantum ad limitationem & diſpenſationem miniſterialem. Acta fuerunt hæc in prædictis Scholis, præſentibus ad hoc venerabilibus & circumſpectis viris Magiſtris Martino Chabot, Ioanne Solerii, &c.

Tertium decretum producimus, quo quibusdam latis a Pontifice cenſuris modus præſcribitur. Et illud ita ſe habet:

Anno Domini 1502. prima die menſis Aprilis poſt Paſcha, ſacra Theologiæ Facultas fuit Pariſius per juramentum ſolenniter apud Sanctum Maturinum ſpecialiter de more congregata, parata ſemper omni poſcenti reddere rationem de ea, quæ in nobis eſt, fide & ſpe, ac non modo naſcentibus ubique erroribus pro ſua virili occurrere, ſed etiam ſerenandis conſcientiarum ſcrupulis, quatenus ab inſignibus viris aut communitatibus requiſita fuerit, operam dare, cum nuper ab inſigni Eccleſia Pariſienſi, alma Pariſienſis Univerſitas inſtantiſſime rogata fuiſſet doctrinaliter reſpondere ad certas quæſtiones factas ſuper cenſuris latis in eos, qui decimam a ſummo Pontifice impoſitam ſolvere recuſaſſent, & hæc materia in ſolennibus deputatis ex omni ordine Univerſitatis diligenter fuiſſet agitata, conformiter ad ea, quæ per eandem Univerſitatem aliquando in ſimili materia

teria conclusa sunt: Eadem sacra Facultas sub correctione sacrosanctæ matris Ecclesiæ, & cum omni reverentia sanctæ Sedis Apostolicæ, & sacrorum Doctorum tam divini, quam humani juris prudentissimorum, anno & die prædictis respondit in hunc modum:

Primo ad primam quæstionem, qua quærebatur, utrum censuræ contra eos, qui decimam per sanctissimum dominum nostrum modernum Pontificem sine congregatione & consensu Cleri nuper impositam solvere recusarunt, latæ post appellationem interjectam timendæ sint, aut tanquam nullæ reputandæ: Respondit eadem Facultas per sequentem propositionem: Censuræ contra eos, qui ne libertatem Ecclesiasticam, & decreta sanctorum Conciliorum læderent, aut suavissimum Christi jugum servitute opprimerent, decimam per modernum Pontificem pro invasione Turcorum, ut fertur, impositam solvere recusarunt, latæ post appellationem interjectam nullius sunt roboris, nec timendæ.

Ad secundam quæstionem, qua quærebatur, utrum propter hujusmodi censuras teneantur appellantes a celebratione aliisque divinis abstinere: Respondit præfata Facultas, quod præfatæ censuræ non obligant appellantes, ut a celebratione & aliis divinis abstineant.

Quod quidem judicium doctrinale eadem Facultas in crastino congregata Universitate in eodem loco per juramentum convocata, nemine reclamante, in forma prædicta ratificavit, approbavit, & confirmavit. In cujus rei testimonium & firmitatem

tem prædicta sacra Facultas has præsentes jussit sigilli sui appensione, & mei notarii subscriptione communiri. Hæc ut & alia ex commentariis Facultatis Theologiæ.

Quartum decretum seu responsum Facultatis proponimus, quod in materia voti castitatis a Sacerdotibus emissi versatur. Illud autem suppeditat Joannes de Celaia Theologus Parisiensis, in 4. Sent. dist. 37. quæst. 4. *An voti fractio sit casus reservatus? Dimissis auctoritatibus probo ratione. Expresse in Ordinario Valentino habetur, quod vota fracta debent reservari majoribus Sacerdotibus. Sed per majores Sacerdotes intelliguntur Episcopi. Ergo. Insuper in eodem libro habetur, quod sacrilegium est casus reservatus Archiepiscopo Valentino. Sed talis voti fractio est sacrilegium. Ergo talis voti fractio est casus reservatus. Major est nota aspicienti Ordinarium Valentinum. Infra. Quare manifeste sequitur, quod propter ambas ordinationes ipsius libri Ordinarii talis fractio voti est casus reservatus. Sed ob nimiam obstinationem Magistrorum Theologorum hujus urbis,* (Valentiæ) *si fas est vocare tales ignorantes illud, quod omnes Doctores Theologi asseruere: quorum multi negabant palam bucca inflata & sine verecundia dominos Sacerdotes habere votum continentiæ, imo asserebant me velle facere omnes Sacerdotes Monachos: alii vero negabant, votum continentiæ sese extendere ad nullam cognoscere. Admodum reverendus meus Aufrasius Carbonel Episcopus Christopolitanus, misit epistolam ad matrem meam sacram Facultatem*

Theologiæ Parisiensis, qua rogaretur ipsa talium in propria materia obstinatorum ora obturare, cui præfata alma Facultas in hunc modum respondit:

Decanus & Facultas Theologiæ Scholæ Parisiensis, reverendo in Christo patri domino Aufrasio Episcopo Christopolitano, salutem. Vigilare vos super grege commisso satis ostendit, reverende in Christo pater, pia vestra sollicitudo, qua ab eo omnem ansam scandalorum & tumultuum auferre nitimini. His diebus petiit ex nobis vestra charitas, utrum fornicatio Sacerdotis sit casus reservatus Archiepiscopo Valentino, cujus vices geritis, cum in ejus Ordinario inter cetera sic habeatur: Reservamus nobis vota & sacrilegia. Super quo nobis visum est, quod supposito statuto in præfato Ordinario contento, cum sit votum continentiæ annexum sacro Ordini in Ecclesia Latina, ideoque frangitur, ubi Sacerdos cognoscit solutam, existimanda est talis fornicatio Sacerdotis casus reservatus Archiepiscopo Valentino, si ejusmodi non fuerit reclamatum, neque præscriptum fuerit oppositum. Reverendam paternitatem conservet Dominus longævam & incolumem. Datum in congregatione generali apud Sanctum Maturinum post Missam ejusdem solenniter celebratam, anno Domini 1526. die prima mensis Aprilis ante Pascha. De mandato dominorum Decani & Magistrorum, ex ordinatione sacræ Facultatis Theologiæ in Universitate Parisiensi. Sic Schola Parisiensis Hispanos, & eorum Academiam Valentinam docet universam. Sic Hispani cum ad principem omni-

omnium Scholam confugiunt, se sibi non sufficere demonstrant.

Facultas Theologiæ circa Canonem *Omnis utriusque sexus*, multa variis temporibus decrevit, quæ hic referenda essent, nisi alio in loco retulissem. Illa retuli in libro, cui titulus est: *Explicata Ecclesiæ circa Canonem* Omnis utriusque sexus *traditio.*

CAPUT LX.

Facultas Theologiæ Parisiensis de doctrina pronuncians.

APud eruditos homines ingenti nuper sollicitudine quæsitum est, quonam demum pacto ferendum esset a Facultate Theologiæ de doctrina cujuspiam judicium, ut illud certum quoddam auctoritatis pondus obtineret. Utilis sane quæstio, & digna in quam cum aliorum Magistrorum, tum maxime Parisiensium curiositas exerceatur. Interea dum peritiores hoc argumenti genus ad plenum discutient, existimo rem aliunde melius, quam ex usu & consuetudine sciri non posse. Quinam igitur usus, & quæ consuetudo Theologicæ Facultatis fuerit, investigandum, & simpliciter per articulos exponendum est.

ARTICULUS I.

COnsuetudinis istiusmodi notitiam ordior ab illa Facultatis determinatione, quæ anno Christi 1250. facta est. Sic autem se habet: *Omnibus*

præsentes literas inspecturis M. Henricus, Cancellarius Parisiensis, ceterique sacræ Scripturæ Parisienses Doctores quorum sigilla præsentibus literis sunt appensa, salutem in Domino. Universitati vestræ volumus esse notum, quod consulti fuimus a quibusdam, utrum Sacerdote Parochiali contradicente vel invito, Parochianus ejus domino Papæ, seu Pœnitentiariis suis, vel suo Episcopo, aut Pœnitentiariis ipsius, cum voluerit, peccata sua universaliter valeat confiteri, atque ab eisdem pœnitentiam pro commissis recipere salubrem. Cui consultationi respondentes diximus & dicimus in hoc unanimiter consentientes prædicta licite posse & debere. Si qui autem dicunt, aut dixerunt contrarium, quantum in nobis est, reprobamus erroneum reputantes. Actum anno Domini 1250. Ecce tibi Facultatis ad consultationem responsio unanimiter facta. *Dicimus in hoc unanimiter consentientes.* Hæc autem determinatio reperitur in certa quadam MS. casus conscientiæ Summa, quam Robertus Sorbonensis collegio suo reliquit.

Porro Cardinalis Annibaldus, qui sub illud tempus vixit, de hac determinatione locutus id observat, quod prætermittere non possum. Verba sunt: *Semel requisiti Magistri Parisienses tam in Theologia, quam in Decretis, in hoc consenserunt, & scripto editum fuit, cui omnes prædicti Magistri apposuerunt sigilla sua, uno excepto, qui tamen tenori literæ non contradixit, sed sigillum suum apponere noluit.* Hæc refert Joannes Brehallus Parisiensis Theologus, qui in Gallia Carolo VII. Rege flo-

floruit. Tunc de libera auctoritate audiendi confessiones librum scripsit, qui Lutetiæ Parisiorum anno 1507. in lucem emissus est.

In Annibaldi verbis notanda sunt duo. In primis, quod unus Magister inter eos exceptus dicitur, qui consultationi sigillum suum apponere noluit: deinde quod eidem consultationi minime repugnavit, & hoc ipsum animadvertit, ne sigilli vel subscriptionis defectus nocere videretur. Tunc non plane credebant in hoc genere determinationum vocem unius vocem nullius esse, si quis forte unus Magister scientia, judicio & sapientia pluribus aliis antceelleret.

ARTICULUS II.

ANnus circumagebatur millesimus ducentesimus septuagesimus septimus, cum propter certam quandam Martini IV. Constitutionem gravis in Gallia emersit contentio, quæ Clerum & Prædicatores ac Minores acerrime commissos inter se tenuit. Rem præsertim describunt Auctores duo, Eberhardus Ratisponensis Archidiaconus in Annalibus suis, & Henricus Gandavensis, in quodlibeti 7. quæstione 22. ubi tradit, quæ ad institutum faciunt: *Quid scilicet ego essem facturus, si sub prædicta forma verborum, de audiendo confessiones, absolvendo, & pœnitentias injungendo mihi esset facta commissio, sive simplici verbo a meo Episcopo, sive per simile privilegium a summo Pontifice, & quid consulerem alii, cui tale privilegium concessum est, si meum super hoc consilium affectaret, quemadmodum*

X 5 *nuper*

nuper ſuper eadem quæſtione a cœtu plurium Epiſcoporum, utpote 13. quorum duo erant Archiepiſcopi, petitum fuit a collegiis Magiſtrorum Regentium Pariſius in Facultatibus Theologiæ & Decretorum, quid ipſi ſentirent. Et poſt alia: *Dico igitur absque præjudicio: Non videtur mihi eſſe tenendum aliud, quam quod Domini Archiepiſcopi, & Epiſcopi duces noſtri & gregis Chriſtiani judicaverunt eſſe tenendum. In quo & totum collegium Decretorum ipſis conſenſit. Interrogatum enim, quid ipſum nuper ſuper hoc ſentiret, an ſcilicet Epiſcopi non errarent in ſentiendo & dicendo, ſe velle tenere, & eſſe tenendum, niſi dominus Papa declararet aliud eſſe tenendum, quod unus illorum propoſuit pro omnibus, ut dictum eſt, deliberato conſilio, reſpondit unus Magiſtrorum dicti collegii Decretorum pro omnibus, ipſos ſentire, quod in hoc nullatenus erraſſent. Erat autem dictum illud Epiſcoporum, prout recolo, quoad propoſitum articulum in ſumma tale. Quod videlicet in prædicto dubio tenerent, niſi dominus Papa in eo aliud eſſe tenendum declararet, quod omnia peccata per totum annum commiſſa quilibet ſubditus tenetur confiteri ſuo proprio Sacerdoti Parochiali, licet aliqui dicerent eos in hoc erraſſe. Super quo conſulebant collegia Magiſtrorum in Theologia & in Decretis, & reſponderunt Decretiſtæ conſulti concorditer dicentes, eos in hoc nullatenus erraſſe.*

In his quoque obſervanda ſunt duo. Unum idque præcipuum, quod in adverbio *concorditer* deſignatur. Henricus enim ſuam inde præmunit ſen-

ſententiam, quod Decretiſtarum collegium totum, nemine diſcrepante ſtatuerit id, quod ſtatuiſſe refert. Alterum, quod Theologorum conſenſum talem non proponat. Conſulti enim non reſponderunt *concorditer*, ſicut Juris Canonici Anteceſſores. Id diſcimus ex Joanne Annoſenſi Theologo, qui dum hæc actitabantur, Scholarem ſe fuiſſe Pariſiis ſcribit. Verba ſunt e certo quodam tractatu, quem anno Chriſti 1327. de hac materia compoſuit: *Acquiſiverunt* (Prædicatores & Minores) *ſuper hoc conſenſum 17. Magiſtrorum in Theologia cum ſigillis ſuis. Magiſter vero Henricus de Gandavo, qui tunc regebat Pariſius, noluit conſentire: ſed hoc ſemper reprobavit. Tunc quidem Prælati majores, ſcilicet Archiepiſcopus Remenſis, & Ambianenſis Epiſcopus, cum pluribus aliis congregaverunt ſe ſuper hoc Pariſius apud Sanctum Bernardum, & vocaverunt Univerſitatem, & ego tunc Scholaris fui cum pluribus aliis Scholaribus.* Ecce tibi quomodo Magiſter unus impune reſtitit decem & ſeptem Theologis, qui contrarium definierant. Qua ex re conſtat, magni nominis Theologum, qualis fuit Henricus, impedire, ne Magiſtrorum plurium definitio tanti ſit, quanti eſſet, ſi pluribus illis conſenſiſſet.

ARTICULUS III.

ANno Chriſti 1285. Philippus III. Rex Franciæ Perpiniani e vivis exceſſit, cum ab expeditione Arragonica rediret. Inſequenti anno de loco ubi cor Regis humaretur, magna Lutetiæ controverſia

fuit.

fuit. Hinc Prædicatores apud se, inde Sandionysiani Monachi apud se quoque humandum esse cor Regis contendunt. Negotium istud in casum religionis & conscientiæ venit. Scrupulosa quæstio a consultis Theologis unanimiter decisa non fuit. Quod historici diligenter observarunt, tum ob veritatem rei, tum etiam ob factum Philippi IV. Regis, qui decisioni contra decisionem prævivit. Historiam ita narrant Auctores duo, Guillelmus Nangius in vita Philippi III. & Joannes Victorinus in Memoriali historiarum, ad annum 1286. Utrumque audiamus. *Exequiis ergo*, inquit Nangius, *Regis Philippi expletis, & ossibus per excoctionem a carne sejunctis, carnem quidem & viscera apud Narbonem in majori Ecclesia sepelientes, cum rediissent Parisius Barones & Prælati, ossa apud Sanctum Dionysium cum honore præcipuo juxta patrem suum Ludovicum Regem sanctissimum tumularunt. Sed antequam fuissent ibidem sepulturæ tradita, magna dissensio inter Monachos dicti loci, & Fratres Ordinis Prædicatorum Parisius fuit orta. Nam Rex Philippus defuncti Regis Philippi filius, & regni successor, ad petitionem cujusdam Fratris de Ordine prædicto concesserat improvisus cor patris sui Fratribus, ut ipsum Parisius in Monasterio suo sepelirent. Petentibus ergo ipsum cor Monachis, & dicentibus, quod ex quo elegerat Rex Philippus apud ipsos in suo Monasterio sepeliri, non deberet alibi cor reponi. Rex flecti non potuit. Imo auctoritate regia prævalente, sepultum est Parisius apud Fratres. De quo postea fuit determinatum Parisius*

per

per plures Magistros Theologos, quod neque Rex, neque Monachi dicti, neque Fratres prædicti possent illud cor regium absque dispensatione duntaxat summi Pontificis retinere. Hæc ille.

Deinde Victorinus sic ait: *Igitur mortuo Philippo Rege Franciæ, viscera ejus apud Narbonam sepulta sunt, corpus autem ejus per Sanctum Dionysium in Francia, prout veniens petierat, delatum est cum suis tumulandum patribus. Sed antequam sepulturæ traderetur ibidem, magna dissensio inter Monachos Sancti Dionysii in Francia, & Fratres Prædicatores Parisius commorantes, propter cor Regis est exorta. Nam Rex juvenis Philippus IV. ad petitionem Confessoris sui Fratris Nicolai de Goirent de Ordine Fratrum Prædicatorum, concesserat inconsulto cor patris sui ipsis Fratribus Prædicatoribus ad ipsumParisius in Ecclesia sua tumulandum. Sed tunc ipsi Philippo Regi novo per Cardinalem Joannem Choletum, & Barones Franciæ fuit ostensum non licere, de hacque dissensione determinatum fuit postea Parisius in Scholis a pluribus Magistris in Theologia, quod ipsum cor neque Rex, neque ipsi Monachi darent, nec prædicti Fratres sine dispensatione Papæ possent aliquatenus retinere. Regia tamen auctoritate prævalente, dictum cor sepultum est Parisius apud Fratres Prædicatores, corpus apud Sanctum Dionysium humatum.* Guillelmus Nangius, & Joannes Victorinus non ab omnibus Theologis, sed a pluribus determinatum fuisse dicunt, ut ostendant determinationem concorditer factam non esse. Quæ causa fuit, opinor, cur illa determina-

minatio nihil apud Regem potuerit, ſive ante humatum cor, ut Nangius ſignificat, ſive poſt, ut Victorinus, contigerit. Quidquid id eſt, conceſſo jam Fratribus corde Regis determinatio illa facta eſt.

ARTICULUS IV.

ANno Chriſti 1325. exeunte, Stephanus Pariſienſis Epiſcopus, & Facultas Theologiæ variis de cauſis ſtatuerunt, eam, quæ olim in certas quasdam beati Thomæ aſſertiones lata fuerat, cenſuram revocare. Quod ut perficerent, in vicum nomine Gentiliacum convenerunt. Locus eſt propter Lutetiam ſitus, in quo ſolebat Epiſcopus manere, quique jampridem inclaruit ob Synodum, quæ ibi de veneratione ſacrarum imaginum habita eſt. In hoc igitur vico encyclicam ad omnes dederunt epiſtolam, qua cenſuræ illius abrogatio ſic continetur:

Univerſis præſentes literas inſpecturis Stephanus Pariſienſis Epiſcopus, ſalutem in omnium ſalvatore. Et poſt alia: *De conſilio venerabilium virorum Decani & Capituli Pariſienſis, & venerabilis patris domini Guillelmi Dei gratia Viennenſis Archiepiſcopi, & aliorum 23. Magiſtrorum in Theologia, una cum reverendo patre ſupradicto, in literis ſub eorum ſigillis per præfatos commiſſarios nobis miſſo, nec non & 29. Baccalareorum in Theologia ſuper hæc per literas eorum propriis ſubſcriptionibus & ſigillis munitas conſulentium, & rogantium humiliter & devote, & aliorum virorum diſcretorum*

rum

rum solenni ac maturo consilio super hoc habito, supradictam articulorum condemnationem, & excommunicationis sententiam, quantum tangunt, vel tangere asseruntur doctrinam beati Thomæ prædicti, ex certa scientia tenore præsentium totaliter annullamus, articulos ipsos non propter hoc approbando, seu etiam reprobando, sed eosdem discussioni scholasticæ libere relinquendo. Ut Parisiensis Episcopus, & Facultas Theologiæ nonnulla beati Thomæ placita olim condemnaverant, ita & postmodum Parisiensis alter Episcopus, & Doctores alii condemnationem illam rescindunt. Sed utrobique summa Magistrorum consensio fuit. In condemnatione quidem, ut conjici facile potest ex verbis Ægidii Romani, qui rei gestæ per ætatem æqualis, vel suppar extitit. Sic autem ait in quodlibeti 2. quæstione 7. *Articulus Parisiensis: Error est dicere, quod quia intelligentiæ non habent materiam, Deus non possit plures ejusdem speciei facere. Optandum vero foret, quod maturiori consilio tales articuli fuissent ordinati, & adhuc sperandum, quod forte de iis imposterum sit habendum consilium sanius. At in præsenti, quantum possumus, & ut possumus, articulum sustinemus.* Articuli autem illi, nisi summa Doctorum omnium consensione fuissent editi, Ægidius tantopere non laboraret, nec in ἀπορίᾳ tali versaretur. Fuisset quippe illi promptum unica dissensionis exceptione laudatum articulum repellere.

In condemnationis vero abrogatione summa quo-

quoque Doctorum concordia intervenit. Id perspicue colligimus ex conjectione causæ, seu tractatu, quem Facultas Theologiæ contra Joannem Montesonum composuit. Hic enim anno 1387. certas quasdam ex doctrina sancti Thomæ depromptas assertiones sustinuit, quas Facultas Theologiæ confixit. Ab illius judicio provocavit ad Romanum Pontificem, qui tum erat Avenioni. Inter rationum momenta, quibus suam provocationem fulciit, encyclicam Stephani Parisiensis Episcopi & Facultatis Theologicæ adhibuit. Quod in causa fuit, cur in illo tractatu, cujus modo memini, encyclica novum examen subierit: sed perpetuo datum est, hanc epistolam concorditer factam esse. quod nisi veritate summa niteretur, nusquam datum esset: sic enim quæ ex ea ducebatur probatio, concidisset. Verum ut hoc intelligatur planius, refero verba ipsa, quæ in tractatu habentur:

Tertia propositio est, quod litera domini Stephani Episcopi Parisiensis superius allegata, & coram dicta Facultate per quosdam Fratres Ordinis exhibita, non debuit dictum processum in aliquo impedire; nec probat intentionem partis adversæ, sed magis facit ad confirmationem dicti processus & eorum quæ supra dicta sunt: & hoc declaratur ex multis clausulis dictarum literarum. Et post alia: *Quarto in dicta litera post dictam narrationem sequitur alia narratio; scilicet qualiter per quosdam consiliarios dicti Episcopi inquisitio facta fuit super dictis articulis apud Doctores Theologicæ Facultatis*

in

in eorum congregatione generali regentium & non regentium, sæcularium & regularium ad hoc specialiter convocata, ut compertum fuit, dictum Confessorem beatum nihil unquam sensisse, docuisse, seu scripsisse, quod sacræ fidei & bonis moribus adversetur. Ex quo patet primo, quod non obstante canonizatione sancti Thomæ, & præcedente examinatione & approbatione doctrinæ suæ adhuc postea ad Facultatem Theologiæ pertinuit & pertinet inquisitio & examinatio super aliquibus articulis ejusdem doctrinæ. Nam licet ibidem præmittatur quod sacrosancta Romana Ecclesia præfatum Doctorem nuper sanctorum Confessorum catalogo adscribendum decrevit, diligenti discussione & examinatione præhabita super vita ipsius & doctrina, ipsumque quoad vitam puram & doctrinam salubrem orbi terræ commendabilem prædicavit; tamen postea subditur, quod non obstante hac Romanæ Ecclesiæ discussione & examinatione adhuc Facultas Theologiæ inquisitionem fecit de prædictis articulis: & hoc facit pro tertia conclusione, & prima parte quartæ conclusionis primi Capituli. Ex quo secundo sequitur, quod per illam generalem approbationem Ecclesiæ Romanæ doctrina sancti Thomæ non est in omnibus particulariter approbata: aliter enim non licuisset dictæ Facultati de dictis articulis inquirere; & hoc etiam patet, quia in conclusione dictæ literæ dicitur; quod dicti articuli non approbantur, nec tanquam approbati reputantur, quod non diceretur si essent sic per Ecclesiam approbati: & hoc multum facit pro 2. & 3. conclusionibus hujus tertii Capituli. Tertio

patet ex dicta clausula, quod relatio consiliariorum dicti Stephani Episcopi super deliberatione Theologicæ Facultatis fuit multum irrationabilis, quod ibi dicitur, quod per eos fuit compertum & relatum, dictum Confessorem nihil unquam sensisse, docuisse, seu scripsisse, quod sanæ fidei & bonis moribus adversetur. Modo notum est, quod pro tunc non potuit constare dictæ Facultati Theologicæ de omnibus, quæ sanctus Thomas animo sensit, aut verbo docuit, sed solum de his, quæ scripsit & scripto reliquit; nec adhuc de omnibus quæ scripsit, potuit constare in una congregatione seu deliberatione Facultatis prædictæ, de qua tamen fit mentio in prædicta litera; & ideo illa locutio est multum irrationabilis & excessive favorabilis: & hoc forte contingere potuit ex ignorantia, vel inadvertentia notarii dictam literam componentis. Nam illa litera non fuit scripta in solemni auditorio, sed apud Gentiliacum extra Parisios, ut in fine ipsius literæ patet. Dum igitur ex hujusmodi capitibus, quæ supra notantur, infirmandæ deliberationis ratio quæritur, & nonnullorum in deliberando magistrorum dissensio prætermittitur, signum & dissensionem nullam, sed summam animorum consensionem intervenisse: qua ex re potissimum deliberationis auctoritas comparatur.

ARTICULUS V.

ANno Christi 1333. 4. Nonas Januarias Parisienses Theologi sese in castrum Vicenarum ad Lutetiam congregarunt, quo Philippus VI. Rex Franciæ eos congregari voluit. Congregationis cau-

causa fuit Joannes Papa XXII. qui de beatitudine & statu animorum, qui vel in vita vel post mortem pœnas eluerunt omnes, longe aliter quam sentiebat Ecclesia, prædicare visus erat. Rex inde offensionem acceperat, & novitate doctrinæ commotus injunxit magistris Parisiensibus, ut ea super re quid sentiendum esset, omnino decernerent. Decreverunt, & concorditer ita decreverunt: *Serenissimo Principi ac domino domino Philippo Dei gratia Regi Francorum illustri, sui devoti Cappellani ejusdem miseratione Petrus Patriarcha Hierosolymitanus, Petrus Archiepiscopus Rotomagensis, Guillelmus Bernardi Cancellarius Parisiensis, Joannes de Blangiaco Archidiaconus Vulcassinus in Ecclesia Rotomagensi, Nicolaus de Lira Ordinis Fratrum Minorum, Joannes de Mattheno Ordinis sancti Benedicti, Matthæus de Archis, Petrus de Palma Prior provincialis Fratrum Ordinis Prædicatorum in Francia, Joannes de Caricampo Ordinis Cisterciensis, Petrus de Casa Prior generalis Fratrum beatæ Mariæ de Carmelo, Simon de Meneriis, Guillelmus Reginaldi de Castro Ordinis Prædicatorum, Guillelmus de Brena Ordinis Minorum, Germanus Celati, Jarinus de Giaco, Guillelmus Calcot Ordinis Prædicatorum, Oliverius Saladini, Gerardus de Pergamo Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Petrus de Verberia Ordinis Vallis Scholarium, Nicolaus de Alexandria Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Petrus Herse Ordinis Carmelitarum, Nicolaus Boneti Ordinis Fratrum Minorum, & Durandus de Aureliaco Ordinis Prædicatorum, sacræ Theo-*

logiæ magistri, cum sui humillima recommendatione per temporalis regni culmen sic transire, ut perveniat ad perpetui regni culmen. Placuit vestræ regiæ majestati nos Dominica quarta Adventus Domini in vestro manerio de Vicenis ad sui præsentiam convocare, nosque requirere, quod vellemus corporale juramentum præstare, quod super petendis a nobis de statu animarum sanctarum a corporibus exutarum veritatem, quam sentiebamus, fideliter & absque palliationis cujusque velamine diceremus. Et post alia: *Considerantesque quod juxta Principis Apostolorum doctrinam de ea, quæ in nobis est, fide & spe parati esse debemus omni poscenti vos reddere rationem, sigillatim, quæ sentiebamus, super petitis respondimus; sed omnes in hanc sententiam convenimus, quod a tempore mortis Domini nostri JESU CHRISTI, per quem pretium redemptionis humani generis extitit persolutum, omnes animæ sanctorum Patrum, quas ibidem Salvator noster ad inferos descendens eduxit de Limbo, ceterorumque Fidelium animæ, quæ de corporibus exierunt, nihil habentes purgabile, vel quæ jam in purgatorio sunt purgatæ, ad visionem nudam & claram, beatificam, intuitivam & immediatam divinæ essentiæ & benedictissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quam Apostolus primæ ad Corinthios 13. nominat visionem faciei ad faciem, sicut assumptæ ipsa deitate beata perfecte fruuntur, & jam, quod crediderunt, videntes, quod speraverunt tenentes, non in spe, sed in re sunt beatæ.* Et post alia: *Nolentes vestris jussionibus contraire, præsentes literas sub appensione sigil-*

sigillorum nostrorum in præmissorum testimonium regali excellentiæ duximus concedendas. Et nos Guillelmus le Petit, Henricus de Sonions, minister principalis Ordinis FF. Minorum in Francia, Ægidius de Pertico, Joannes de sancto Dionysio Ordinis sancti Benedicti, Guillelmus Haercés, Pœnitentiarius Parisiensis, & Robertus de Bardis, in eadem Facultate Theologiæ Doctores, qui in dicta convocatione facta in nemore Vicenarum præsentes non fuimus ex causis legitimis impediti, postmodum in aliis congregationibus fuimus requisiti, præmissis quæstionibus consimiliter cum præfatis Patribus & Magistris per omnia respondemus, & idem quod ipsi diximus, in præfata materia credimus & sentimus. In cujus rei testimonium sigilla nostra una cum sigillis eorum præsentibus literis duximus apponenda.

Hanc porro deliberationem habitam esse concorditer affirmant qui habuerunt: *Omnes*, inquiunt, *in hanc sententiam convenimus;* & qui postea supervenerunt Magistri, idem cum aliis senserunt. Id præterea testatur Nicolaus Liranus, qui deliberationi interfuit, ut refert Facultas ipsa Theologiæ in tractatu, quem contra Joannem Montesonum edidit: *Item prædicta Facultas hoc licite potuit contra summum Pontificem: igitur a fortiori contra suum subditum & inferiorem. Assumptum patuit Joannis XXII tempore, quia, sicut refert Nicolaus de Lira in tractatu suo de visione beatifica, fere quadraginta dictæ Facultatis Magistri concorditer determinarunt contrarium illius, quod Papa publice*

asserebat. Et simile fecit dictus Magister. Et similiter contra eum pulcre scripsit Magister Guillelmus Okam, ut patet in ejus dialogo. quæ omnia quoad hoc fuerunt reputata licite facta, sicut apparuit tempore Benedicti XII. illius successoris.

ARTICULUS VI.

ANno Christi 1354. Guido Eremita Ordinis S. Augustini, dum Lutetiæ sententias legeret, errores multos docuit, quos Facultas Theologiæ communi omnium consensu damnavit. Id plane constat ex revocatione, quæ sic se habet ad calcem Magistri Sententiarum: *Forma & modus revocationis facta Parisiis per Fratrem Guidonem Ordinis Eremitarum sancti Augustini actu legentem Parisiis Sententias in scholis dicti Ordinis anno Domini 1354. 16. die mensis Maji: Et hoc anno legendo & respondendo, ambulavi in magnis & mirabilibus super me verbum veritatis non recte tractando, sed verbis contendendo profanis & vaniloquiis, quæ ad impietatem provocant & audientium subversionem, ex quibus factus sum occasio scandali in sanctissima Facultate & Ordine meo, quod mihi displicet bono corde. Idcirco juxta piam & sanctam ordinationem domini Cancellarii Parisiensis, ac ceterorum Magistrorum reverendorum Theologicæ Facultatis, quorum correctioni & ordinationi me submisi & submitto, dicta mea & scripta volo revocare, & intentionem bonam ostendere non obstantibus dictis & scriptis in forma, quæ sequitur.* Quæ revocatio cum ex auctoritate Parisiensis Can-

cel-

cellarii & reliquorum Theologiæ Magiſtrorum peragatur, eam communi omnium conſenſu decretam eſſe oportuit.

ARTICULUS VII.

ANno Chriſti 1369. Dionyſius Solechatus Ordinis Minorum, parem cum Guidone fortunam ſecutus eſt. Hic enim tunc revocavit quosdam errores, qui a Pariſienſibus Magiſtris unanimiter condemnati fuerunt. Hæc eſt revocationis forma: *Reverendi Magiſtri mei & domini, dixi aliqua in principio meo Sententiarum, quæ in nonnullorum auribus male ſonuerunt, & ex cauſa. Ego veritate coactus, & ex ordinatione reverendi patris domini Cancellarii Pariſienſis ac Facultate Theologiæ Magiſtrorum, tamquam Eccleſiæ & dictæ Facultatis Theologiæ humilis filius, ipſa dicta in præfato principio meo male poſita corrigo ſub hac forma.* Quod autem Dionyſii hujus errores unanimiter condemnati fuerant, apparet ex Urbani Papæ V. conſtitutione, quam Pontifex ad Joannem Bellovacenſem Epiſcopum & Cardinalem ea ſuper re miſit. Sic autem incipit. *Urbanus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Joanni, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, olim Epiſcopo Belvacenſi, ſalutem.* Et poſt alia: *Super quibus* (erroribus) *ipſo Dionyſio dilectis filiis Cancellario & Magiſtris in Theologia ſtudii prædicti delato, ipſi Magiſtri ſuum in hac parte debitum exequentes ſuper hoc congregati quampluries, quia eis conſtitit, tum ex inſpectione dicti principii per*

ipsum Dionysium propria manu scripti, tum etiam per informationes & probationes multimodas super hoc ab eis rite præhabitas, quod Dionysius prædictus quæstiones tenuerat ante dictas, præfati Cancellarius & Magistri, quæstionibus ipsis cum exacta diligentia, maturoque judicio recensitis, earum aliquas hæreticæ nequitiæ fermento infectas, nonnullas vero ecclesiasticæ determinationi contrarias, & multas earum scandali causativas concorditer decreverunt. Dionysius a censura Facultatis Theologicæ ad Romanum provocavit Episcopum, qui censuram confirmavit, & sententiæ suæ executionem Joanni Cardinali demandavit. Ceterum Urbanus conceptis verbis explicat, quod in forma revocationis diserte non continetur, ut ex eo intelligamus, a Magistris aliquid concorditer decerni, etiamsi concorditer decretum esse non semper exprimatur. Sed id cum ex natura rei, tum ex usu colligi debet.

ARTICULUS VIII.

ANno Christi 1387. a Facultate Theologiæ condemnatæ sunt Joannis Montesoni propositiones 14. quibus ille suam de peccato originali beatæ Mariæ doctrinam explicabat & confirmabat. Censuram Facultatis Universitas tota & Parisiensis Episcopus approbarunt. Montesonus ad summum Pontificem provocavit. Selecti sunt Magistri, quibus in Romana curia, quæ tunc erat Avenione, tuendæ censuræ provincia demandata est. In hoc munere & negotio, primas tenuit Petrus Alia-

liacus, qui qua Magistrorum consensione facta fuerit censura, sic exponit in oratione, quam apud Clementem VII. habuit in Consistorio. *Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium, scriptum est Proverbiorum 8. capitulo. Beatissime Pater, cum omnimoda sanctitatis vestræ & hujus sancti Collegii reverentia, ubi adsunt patres conscripti.* Et post alia: *Prima ergo veritas est, quod anno Domini 1387. ante mensem Julii dictus Frater Joannes in scholis Fratrum Prædicatorum Parisius publice dogmatizavit 14. propositiones falsas, erroneas & plurimum scandalosas, quarum quinque posuit in suis vesperiis, prout patuit ex certis schedulis per eum confessis: alias vero novem posuit in quæstione de Resumpta, sicut patuit ex quaterno propria manu scripto.* Et post pauca:

Secundum est, quod celebrata postmodum congregatione solemni omnium Magistrorum in Theologia Parisius, inter quos Frater iste præsens adfuit, cum Theologicæ Facultatis Decanus cœpisset quasdam ejus propositiones sibi fideliter per Scholasticos, qui ex eisdem scandalizati fuerunt, scripto tenus exhibitas recitare, vix paucas expresserat, cum dictus Frater, qui nondum fuerat nominatus, sui impatiens, nec bene sibi imperans, se ad responsionem obtulit. Et post pauca:

Tertium est, quod ad visitandum prædictum quaternum ejus propria manu scriptum, & ex ordinatione dictæ Facultatis per eum exhibitum deputati fuerunt sex Magistri, tres Religiosi, & tres Sæ-

culares, qui licet post longum examen essent in opinione concordes, tamen suam relationem super hoc facere noluerunt, nisi darentur iterum alii sex ex parte ejusdem Facultatis, qui iterum cum aliis dictum quaternum, & quædam alia ejus scripta per ipsum postea confessata diligentissime visitarunt, & diligenti visitatione omnia scrutati sunt.

Quartum est, quod non obstante prædictorum 12. Magistrorum concordia, ut totum securius & irreprehensibilius ageretur, datæ fuerunt omnibus Magistris & pluribus Baccalariis prædictæ Facultatis certæ schedulæ antedictas assertiones continentes, ut quisque suam super his opinionem scriberet. Ex quibus schedulis per novos iterum deputatos recollectis, & concordatis 27. Magistrorum tunc præsentium, ac demum sex supervenientium opinionibus, semper eas in mitiorem partem trahendo, schedula illa, quæ dicitur Facultatis Theologiæ, confecta est.

Quintum est, quod prædicta schedula per tot deputatorum consultationes ac dictæ Facultatis congregationes varias sic diligenter examinata & servata in ea sancti Thomæ & doctrinæ suæ reverentia, prout ex ejꝰ prologo clare patet, ipsa exhibita fuit prædicto Fratri, ut juxta formam ipsius dictas suas assertiones, quæ scandalum generaverant, retractaret, qui ita se facturum infra certam diem promisit: sed ipse promissum suum in hoc, sicut & in multis aliis violavit.

Sextum est, quod prædicta Facultas se ab eo spretam percipiens & illusam, præmissa dictæ Universitati

tati nunciavit, eam in juris ſubſidium requirens, ut in hac cauſa ſibi adjungeretur ſupplicando: quod matura prius deliberatione conceſſum eſt.

Septimum, quod poſtquam univerſitas & Facultas antedictæ, quod potuerant & debuerant, quantum in ipſis erat, perfecerant, poſtea nunciaverunt hæc omnia reverendo in Chriſto Patri domino Epiſcopo Pariſienſi judici ordinario in hac parte, & præſentata eidem ſchedula Facultatis prædictæ, ſibi, prout in ſimilibus caſibus fieri ſolitum eſt, requirendo ſupplicaverunt, quatenus ſuper his vellet judicialiter procedere.

Octavum eſt, quod ad horum inſtantiam & requeſtam dictus Pariſienſis Epiſcopus præcepit & præcipiendo mandavit, ne prædictus Frater, qui adhuc Pariſius præſens erat, abinde recederet, ſed ad certam diem tunc aſſignatam perſonaliter compareret, reſponſurus in aula Epiſcopali, & coram dicto Epiſcopo ſuper his, quæ objicerentur eidem, qui ſic judicialiter evocatus per ſe aut per alium nullatenus ſufficienter comparuit: ideoque pro prima vice contumaciæ pœnam incurrit.

Nonum eſt, quod iterum bina vice interpoſito debito temporis ſpatio dictus Frater citatus fuit, nec comparuit: & ſic tertio contumax reputatus eſt, & excommunicatus.

Decimum eſt, quod licet his attentis idem Epiſcopus potuiſſet contra eum proferre ſententiam; tamen adhuc quarta vice de ſuperabundanti præfato reo aliam dietam aſſignavit, & interim longo temporis intervallo matura deliberatione habita cum peri-

peritis & præcipue cum Theologiæ & Juris Canonici Doctoribus, tandem in dicto termino, licet multo graviorem potuisset, tamen mitiorem protulit sententiam, ordinando scilicet & præcipiendo, quod dictæ propositiones 14. sub excommunicationis pœna non dogmatizarentur, aut publicarentur Parisius, & quod contra dictum reum, si apprehendi posset, ulterius, prout juris est, procederet. Et post alia.

Ceterum, quod ipse de quorundam odio conqueritur, si æquo animo consideretur, hoc allegasse pudebit. Quomodo igitur trium aut paucorum, ut ipse ait, odium tot varias diversorum hominum mentes excæcare potuisset, & a recti judicio dimovere? qualiter tot & tantæ literaturæ discretionis ac probitatis viros in unam concordiam adunare? Sunt contra hujus Fratris assertiones multa millia vestræ humilis ac devotæ Universitatis Parisiensis supposita, inter quæ plurimi sunt Doctores & Baccalarii exercitati & edocti in Theologica disciplina. Sunt insuper hujus sententiæ dictus Episcopus Parisiensis cum Capitulo Ecclesiæ suæ, totiusque suæ Diœcesis clerus ac populus. Sunt cum eis Conventus trium Ordinum Mendicantium Parisius, & aliarum plurium Diœceseon. Sunt postremo in hac concordia plurium Civitatum, Universitatum & Collegiorum consensus, & generaliter idipsum pene omnes sentire videntur, ad quos hujus causa notitia propalatur. Et post alia.

Nulla quippe causa tam sancte, tam concorditer, tam modeste tractari potuit, nulla maturius terminari.

nari. Hæc omnia ad plenum perfectumque recensui, ut tandem aperte constaret, propositionum 14. Joannis Montesoni censuram concordissime factam esse.

ARTICULUS IX.

CEnsura hæc non modo facta est concordissime; sed etiam, ut magnam aliquam existimationem accipiat, ita debere fieri, Facultas ipsa Theologiæ docet in tractatu & veluti confectione causæ, quam adversus Montesonum composuit. Sic autem loquitur sexta conclusione, art. 1. *Et ideo patet, quod ad Doctores Facultatis Theologiæ, immo ad unum Doctorem solum, ut prætactum est, potest pertinere errores in fide doctrinaliter condemnare, quia doctrinalis condemnatio prædicta per totam Facultatem concorditer facta multum debet reputari.* Ex iis autem facile intelligitur, Facultatem Theologiæ in ea versari sententia, ut credat, censuram, quæ non esset facta concorditer, non multum, sed parum reputari debere.

ARTICULUS X.

ANno Christi 1408. 4. Nonas Januarii decreta est censura in certas quasdam Joannis Gorelli propositiones, quæ cum ad Hierarchiam, tum ad disciplinam Ecclesiæ spectarent. Sed censuram concordi Magistrorum deliberatione decretam esse, censuræ ipsius instrumentum ita docet. *Tandem præfatus dominus Cancellarius* (Joannes Gerso)

ſo) *ex matura, diligenti ac concordi deliberatione Magiſtrorum dictæ Facultatis tam Regentium, quam non Regentium, & tam Sæcularium, quam Religioſorum præhabita concluſit, quod prædictus Frater Joannes de Gorello Ordinis Fratrum Minorum, qui tunc & alias auditus fuit ad longum, & cujus intentio ſcita fuerat, qui etiam ſubmiſerat ſe dictæ Facultati Theologiæ, diceret in die Aulæ ſuæ ante receptionem bireti ſub hac forma, &c.*

ARTICULUS XI.

ANno Chriſti 1413. Idibus Decembris lata eſt hæc cenſura in Joannis Parvi doctrinam, quæ ſic ab eo proponebatur. *Quilibet tyrannus poteſt & debet licite & meritorie occidi a quocumque ſuo vaſallo aut ſubdito, & per quemcumque modum, maxime per inſidias & per adulationes, non obſtante quocumque juramento aut confederatione facta apud eum, non exſpectando ſententiam aut mandatum judicis cujuscumque.* Sequitur vero cenſura Facultatis. *Hæc aſſertio ſic generaliter poſita, & ſecundum acceptionem hujus vocabuli, tyrannus, eſt error in noſtra fide & doctrina bonorum morum, & eſt contra præceptum Dei, Non occides, gloſſa, propria auctoritate; & contra hoc quod dicit Dominus noſter, Omnes qui gladium acceperint, gloſſa, propria auctoritate, gladio peribunt. Item hæc aſſertio vergit in ſubverſionem totius Reipublicæ, & uniuscujusque Regis, aut Principis. Item dat viam & licentiam ad plura alia mala, & ad fraudes &*

& violationes fidei & juramenti, & ad proditiones, & generaliter ad omnem inobedientiam subjecti ad dominum suum, & ad omnem infidelitatem & diffidentiam unius ad alterum, & consequenter ad æternam damnationem. Item ille, qui affirmat obstinate talem errorem, & alios, qui inde sequuntur, est hæreticus, & tanquam hæreticus debet puniri, etiam post suam mortem. Notetur in decretis 23. quæst. 5. &c. Actum anno 1413. die Mercurii 13. Decembris. Quam autem concorditer facta fuerit censura, Parisiensis Cancellarius, Joannes Gerso, non semel docuit, & primo quidem Lutetiæ, dum ab Episcopo censura Facultatis confirmanda fuit: sic autem loquitur in veteri MS. codice, quo causa ista tota continetur.

Venerabilis & circumspectus Magister Joannes de Gersono, Magister in Theologia, Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, stat in alias deliberatis in prima sessione, & dicit quod procedendum est ad condemnationem dictarum assertionum, & exhibuit unam schedulam, cujus tenor talis est: Per deliberationem maturam & concordem multum solemniter & palam, & libere habitam per 17. Magistros in Theologia, & alios plurimis in diversis scientiis graduatos, die festo sancti Andreæ de mane, anno præsenti, per concilium fidei multum solemniter congregatum in camera Officialatus, præsentibus & præsidentibus domino Officiali Parisiensi, & Vicario Inquisitoris, ubi nemine reclamante fuit deliberatum & dictum, præsentibus duobus Notariis, quod assertiones contentæ in instrumento tunc exhibito fuerunt bene & catho-

catholice & rationabiliter reprobatæ. Deinde in Constantiensi Concilio, ubi censura Facultatis defendenda fuit: sic autem loquitur in responsione Joannis Falkaberghii Dominicani, a quo Joannis Gersonis argumentum tale producitur: *Item sic 80. ait: Magistri in sacra Theologia expertissimi, Parisius per 12. septimanas diligenter has novem assertiones examinatas concorditer condemnarunt.* Hæc ex eodem MS. codice, qui in Bibliotheca Puteana Lutetiæ asservatur. Falkaberghius ut hanc Gersonis defensionem infirmet, ait, *quod non omnes Magistri Parisienses in condemnatione dictarum novem assertionum consenserint.* Sed ego malo Gersoni contra impios & execrabiles Regum ac Principum parricidas disputanti, quam Falkaberghio parricidarum illorum fautori credere. Quicquid illud est, utrique persuasum fuit, Magistrorum omnium consensionem ad firmitatem determinationis Theologicæ necessariam esse.

ARTICULUS XII.

ANno Christi 1429. ad 3. Calend. Apriles censura edita est, quæ certas quasdam Joannis Sarraceni contra potestatem Ecclesiæ propositiones percellit. In ea sic exhibetur concors Magistrorum omnium deliberatio. *In nomine Domini, Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, & sit notum, quod anno ejusdem Domini millesimo quadringentesimo trigesimo nono, more Gallicano, Indictione VIII. mensis Martii die tricesima & penultima, Pontificatus san-*

ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & domini noſtri, domini Martini, divina providentia Papæ V. anno 13. in congregatione venerabilium & circumſpectorum virorum dominorum & Magiſtrorum ſacræ Theologiæ Facultatis ſtudii Pariſienſis in ſancto Maturino multum ſolemniter congregatorum, & more ſolito dictæ Facultatis Theologiæ congregationem ibidem celebrantium, de mandato venerabilis & circumſpecti viri Magiſtri Petri de Dierreio, dictæ Facultatis Decani, tam Regentium quam non Regentium, & Religioſorum ac Sæcularium ad infra ſcripta ibidem vocatorum, ſpecialiter propter hoc perſonaliter conſtitutus præfatus dominus Decanus, dicens & proponens, quod Frater Joannes Sarrazin Ordinis Fratrum Prædicatorum, Licentiatus in Theologia, poſt Veſperias ſuas fuerat delatus apud ipſum, & conſequenter apud dictam Facultatem, tanquam dixiſſet ea quæ ſequuntur. Et poſt alia:

Quæ propoſitiones, ſeu dicta pluries per deputatos ejusdem Facultatis diligenter examinata, judicabamus eſſe reparanda, præſertim cum dominus Rector, & multi de Univerſitate talem reparationem requiſiiſſent in præſentia dictæ Facultatis. Tandem præfatus dominus Decanus, ex matura & diligenti ac concordi deliberatione Magiſtrorum dictæ Facultatis tam Regentium, quam non Regentium, & tam Sæcularium quam Religioſorum præhabita, concludit, quod prædictus Frater Joannes Sarrazin Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui tunc & alias auditus fuit ad longum, & cujus intentio ſcita fuit,

& qui etiam se submiserat dictæ Facultati Theologiæ, diceret in dicta Congregatione, & deinde in aula Fratris Gerardi de Salinis Ordinis Fratrum Minorum, post primam quæstionem exspectatoriam, sub hac forma, &c. En tibi concors Magistrorum deliberatio, qua censura præmunitur.

ARTICULUS XIII.

ANno Christi 1456. unanimis ille consensus apparuit, cum Universitas Parisiensis ab enormi quadam Romani Pontificis bulla provocavit. Res sic se habet in libris Academiæ: *Noverint universi, quod anno Domini 1456. die Sabbati 22. mensis Maji, alma Universitate studii Parisiensis apud sanctum Maturinum solemniter congregata, & specialiter convocata ad audiendam lecturam copiæ cujusdam bullæ, per quosdam Fratres de Ordine Carmelitarum Officiali Parisiensi præsentatæ, inter cetera conclusum extitit unanimiter, ipsis auditis, quod displicebat impetratio hujusmodi bullæ; & videtur, quod sit scandalosa, turbativa pacis & concordiæ, subversiva Ordinis hierarchici Ecclesiæ, ac subreptitia. Placet formare appellationem, præsertim in quantum derogat hujusmodi bulla juri communi, Decretali, Omnis utriusque sexus, & Clementinæ, Dudum de sepulturis. Dicta appellatio Generali Carmelitarum, & ceteris Mendicantibus, domino Episcopo Parisiensi, & aliis dominis Prælatis Ecclesiarum rescribatur, Universitatibus regni, & etiam extra regnum summo Pontifici, ceteris*

ris Prælatis Ecclesiæ, ac etiam dominis temporalibus. Convocentur Mendicantes ad Universitatem die Lunæ proxima congregandam visuri suas privationes, si dictæ impetrationi renunciare noluerint, & impetrare revocatoriam ipsius in quantum præjudicat vel derogat Decretali, Omnis utriusque sexus, & Clementinæ, Dudum de sepulturis. En stylus deliberationis plane decretorius. *Conclusum extitit unanimiter.*

ARTICULUS XIV.

ANno Christi 1482. cum Facultas articulos Joannis Angeli proscripsit, proscripsisse se nemine opponente sic affirmat: *Præfata alma Theologorum Facultas apud sanctum Maturinum Parisiensem in loco solito per egregium & doctissimum virum Magistrum Joannem Hue, sacræ Theologiæ Professorem, Ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiarium, ac præfatæ Facultatis Decanum, solemniter & per juramentum ad qualificandum præfatas 14. propositiones convocata & congregata, omnibusque Magistris in magno numero tam Sæcularibus, quam Religiosis in præfata Congregatione existentibus, unus post alium, auditis: præfata alma Theologorum Facultas post omnium & singulorum præfatorum Magistrorum maturam deliberationem per organum prænominati Magistri Joannis Hue Decani, nemine opponente, prædictas 14. propositiones modo & forma, & prout continetur in quodam papyri folio, de verbo ad verbum in prædicta Congregatione pluries lecto qualificavit.*

ARTICULUS XV.

ANno Christi 1490. Facultas Theologiæ de oblato sibi contractu quodam censuit & censendo dixit, illum ab omnibus Magistris, uno excepto, usuræ damnari. Qua tractandi ratione perspicimus in ejusmodi judicio doctrinæ consensum omnium, vel pene omnium Magistrorum valde necessarium esse: sed placet Facultatem Theologiæ censentem audire. *Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secunda mensis Augusti fuit congregata Theologorum Facultas ex parte cujusdam egregii & doctissimi viri in utroque jure peritissimi, per quem delata fuit & præsentata subscripta quæstio, an contractus qui subscribitur, sit justus aut injustus, licitus aut illicitus. Hujusmodi autem contractus talis est: Quædam Ecclesia emit redditum annuum viginti librarum, pretio trecentarum librarum super hæreditagiis Titii & Mævii, & super hoc passatus est contractus in forma authentica, sub nomine emptionis & venditionis; in dicto tamen contractu apposita est clausula, quod quotienscunque Ecclesia dicta pro necessitate sua, aut alias voluerit habere dictam summam trecentarum librarum, dicti Titius & Mævius tenebantur reddere prædictæ Ecclesiæ dictam summam post duos menses a tempore denunciationis eis facta: & hæc omnia areragia dicti redditus viginti librarum, virtute cujus contractus Ecclesia prædicta percepit absque controversia aliqua dictum redditum annuum spatio 26. aut 27. annorum. Nunc vertitur quæ-*

quæstio, an contractus prædictus censeri debeat usurarius, aut factus in fraudem usurarum, vel alias injustus taliter, quod prænominata Ecclesia teneatur computare areragia dicti redditus in sortem principalem, & restituere id quod ultra sortem principalem accepit. Dicti autem Titius & Mævius habebant facultatem redimendi dictum redditum usque ad novem annos per literam separatam, licet de hoc in contractu principali nulla fieret mentio. Quæ quidem Facultas deputavit tunc duodecim egregios in Theologia Doctores ad examinandam præfatam contractus quæstionem. Qui quidem Doctores die Jovis novissime præterita duodecima præsentis mensis Augusti anni prædicti apud regale Collegium Navarræ fuerunt convocati & congregati, & viso per eos dicto contractu cum circumstantiis & conditionibus in eo appositis ac auditis motivis rationibus & allegationibus ad utramque partem post gravem & maturam deliberationem singulorum prædictorum in Theologia Magistrorum, visum est omnibus, uno excepto, quod prædictus contractus non est justus, neque licitus, neque rationabilis, sed potius censendus & judicandus usurarius, & nullatenus venditionis & emptionis contractus. Insuper visum est supradictis Magistris deputatis, quod Ecclesia quæ emit prædictum redditum ratione & in vim contractus prædicti, non potuit fecisse, nec potuit facere fructus suos illos, scilicet quos per spatium 26. aut 27. annorum percepit; sed tenetur eos computare in sortem principalem, & illud, quod ultra principale & capitale recepit, restituere sub

conditionibus & circumstantiis in restitutionibus observandis. Secundum ista vide ac circumspice, utrum Facultatis nomine facta fuisset ulla determinatio, si tres aut quatuor ex selectis Theologis duodecim, vel si viginti, vel triginta ex Theologis omnibus, qui consessui aderant, ab reliquis dissensissent.

ARTICULUS XVI.

ANno Christi 1497. Carolus VIII. Rex Galliæ Facultati decidendas aliquot quæstiones proposuit, quibus Facultas 3. Idus Februarii respondit, & se concorditer respondisse sic affirmat: *Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, die undecima mensis Februarii, sacratissima Theologorum Facultas almæ matris Universitatis Parisiensis congregata fuit apud sanctum Maturinum pro terminandis quibusdam quæstionibus a domino nostro Rege ad se transmissis, super quibus jamdudum fuerant dati duodecim deputati ex Magistris nostris: diu quoque & per plures dies continue per dictos deputatos & alios fuerat disputatum super his. Quibus deputatis auditis, & consequenter omnium Doctorum & Regentium & Magistrorum accepta uniformi deliberatione & conclusione, fuit per dictam Facultatem concorditer responsum ad dictas quæstiones affirmative. Ad primam responsum est, quod summus Pontifex & Pater sanctissimus tenetur de decennio in decennium congregare Concilium, universalem Ecclesiam repræsentans, & maxime nunc, cum tanta sit deordinatio in Ecclesia,*

ſia, tam in capite, quam in membris, quæ cunctis notoria eſt.

Ad ſecundam dictum eſt determinative, quod ſi tempore urgentis neceſſitatis, ſicut nunc vel poſt 10. annos ab ultimo celebrato Concilio dictus ſummus Pontifex rogatus fuerit, requiſitus & ſummatus, & monitus de ſic congregando dictum Concilium ut ſupra, & facere recuſaverit & neglexerit vel diſtulerit, tum Principes tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares, & partes Eccleſiæ notabiles poſſunt ſe congregare, ſine hoc quod per dictum Pontificem congregetur dictum Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans.

Ad tertiam dixit & definiit prædicta Facultas, quod tempore urgentis neceſſitatis, ut nunc, vel poſt decennium ab ultimo celebrato Concilio, ut ſupra dictum eſt, poſtquam aliqua bona & magna pars & notabilis Chriſtianitatis, quemadmodum Regnum Franciæ, vel Rex Chriſtianiſſimus ipſius vices gerens rogaverit, ſummaverit, & exhortatus fuerit dictum ſummum Pontificem, ceteraſque partes Eccleſiæ de congregando dictum Concilium, & ad ipſum conveniendo, & de providendo neceſſitati Eccleſiæ; ipſe vero Pontifex, vel aliquæ prædictarum partium fuerint recuſantes, negligentes, vel differentes de veniendo ad dictum Concilium, nihilominus illi, qui aderunt & comparebunt, poterunt ſine aliis non comparentibus dictum Concilium celebrare, & neceſſitati Eccleſiæ providere. Sic Facultas Theologiæ uniformem deliberationem & concordem reſponſionem determinationi ſuæ præmuniit.

ARTICULUS XVII.

Circa idem tempus Facultas Theologiæ famosissimum de immaculata beatæ Mariæ Conceptione decretum edidit. Quin autem unanimi Magistrorum omnium consensu, si Dominicanos exceperis, conditum fuerit, nemo est qui dubitet. Qua de re sic scribit Joannes Major in secundum sent. editionis ann. 1510. dist. 30. quæst. 4. ubi de Conceptione beatæ Virginis agitur: *Ista est*, inquit, *determinatio sacræ Facultatis Parisiensis, ita quod quilibet Baccalaureorum & Doctorandorum in Theologia est obligatus jurare tenere illam doctrinam, quod beata Virgo non erat concepta in peccato originali. Hoc Coloniæ etiam conclusum est. Sed dicent: Articuli Colonienses & Parisienses non pertranseunt Rhenum & Sequanam, imo non vagantur per illas Universitates, quia non erant conditi ab Episcopis, sed a Facultatibus, quæ non habent obligare non subjectos. Contra saltem sequitur: Erit magna præsumptio pro hac parte, cum sapientissimi Senatus pro ista parte ad longos annos sincere & immobiliter steterunt.* Deinde in commentario ad cap. 1. Lucæ: *Basiliensis Concilii consessus definitiva sententia id conclusit. Idcirco est inconcusse tenendum. Cavillantur adversarii Basiliensem Synodum basiliscum peperisse. Hæc tergiversatio est invalida. Licet enim multis dissidium inter Eugenium & Felicem displicuit, nullo tamen vacillante tota Ecclesia hoc decretum Virginis immaculate conceptæ suscepit, contradicente nemine. Nostra item*

Theo-

Theologorum apud Parisios Facultas vestigiis Concilii innixa nullum Baccalaureum in Theologorum consortium admittit, nisi jurejurando hanc sanctionem probaverit. Prædicatores qui decretum Parisiense aspernabantur, hujus auctoritatem non elevabant ex eo, quod editum non fuisset concorditer, sed quod ab Episcopo Parisiensi conditum aut firmatum non fuisset.

ARTICULUS XVIII.

ANno Christi 1502. Parisiensis Ecclesia Facultati Theologiæ solvendas quæstiones nonnullas proposuit, quibus Facultas Calendis Aprilibus respondit, & respondisse se reclamante nemine profitetur. *Anno*, inquit, *Domini 1502. prima die mensis Aprilis post Pascha, sacra Theologiæ Facultas fuit Parisius per juramentum solenniter apud sanctum Maturinum specialiter de more congregata, parata semper omni poscenti reddere rationem de ea, quæ in nobis est, fide & spe, ac non modo nascentibus ubique erroribus pro sua virili parte occurrere, sed etiam serenandis conscientiarum scrupulis, quatenus ab insignibus viris, aut communitatibus requisita fuerit, operam dare. Cum nuper ab insigni Ecclesia Parisiensi alma Parisiensis Universitas instantissime rogata fuisset doctrinaliter respondere ad certas quæstiones factas super censuris latis in eos, qui decimam a summo Pontifice impositam solvere recusassent, & hæc materia in solennibus deputatis ex omni ordine Universitatis fuisset diligentissime agitata conformiter ad ea, quæ per*

eandem Universitatem aliquando in simili materia conclusa sunt: eadem sacra Facultas sub correctione sacrosanctæ matris Ecclesiæ, & cum omni reverentia sanctæ Sedis apostolicæ, & sacrorum Doctorum tam divini quam humani juris prudentissimorum, anno & die prædictis respondit in hunc modum.

Et primo ad primam quæstionem, qua quærebatur, utrum censuræ contra eos, qui decimam per sanctissimum dominum nostrum modernum Pontificem sine congregatione & consensu Cleri nuper impositam solvere recusarunt, latæ post appellationem interjectam timendæ sint, aut tanquam nullæ reputandæ, respondit eadem Facultas per sequentem propositionem: Censuræ contra eos, qui ne libertatem ecclesiasticam & decreta sanctorum Conciliorum læderent, aut suavissimum Christi jugum servitute opprimerent, decimam per modernum Pontificem pro invasione Turcorum, ut fertur, impositam solvere recusarunt, latæ post appellationem interjectam nullius sunt roboris nec timendæ.

Ad secundam quæstionem, qua quærebatur, utrum propter hujusmodi censuras tenerentur appellantes a celebratione aliisque divinis abstinere, respondit prædicta Facultas, quod præfatæ censuræ non obligant appellantes, ut a celebratione & aliis divinis abstineant.

Quod quidem judicium doctrinale eadem Facultas in crastino congregata Universitate, in eodem loco per juramentum convocata, nemine reclamante,

te, in forma prædicta ratificavit, approbavit, & confirmavit. In cujus rei testimonium & firmitatem prædicta sacra facultas has præsentes jussit sigilli sui appensione, & mei Notarii subscriptione communiri. Quod doctrinale judicium Facultas alibi concorditer, hic reclamante nemine pronunciatum asseverat. Res eadem aliis verbis exprimitur.

ARTICULUS XIX.

ANno Christi 1521. Hieronymus Clicthoveus, certas quasdam theses in Actu Majoris Ordinariæ sustinuit, quibus Facultas erroris notam inussit, & communi Magistrorum omnium consensu inussisse se testatur prid. Nonas Novembris. Verba sunt:

Decanus & Facultas Theologiæ in alma Universitate Parisiensi, omnibus præsens scriptum inspecturis, salutem. Cum in mense Octobri, hoc anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo primo, Magister Hieronymus Clicthoveus in ipsa nostra Facultate formatus Baccalarius pro secunda conclusione principali positionis suæ magnæ Ordinariæ, de qua in Scholis famatissimi Collegii Navarræ secundum morem Facultatis prædicto mense disputavit sub Magistro Joanne Bartholomæi Ordinis Cisterciensis nostro confratre, hanc propositionem posuisset, scilicet, non lege divina aut naturali beneficia bursasve vendere, aut pensiones redimere, in loco sacro, aut die festo negotiari, sicuti nec Ecclesiasticos agriculturam aut manualia opera exercere est illicitum; &

ex

ex assertis in eadem conclusione plurimi dicerentur scandalizati. Quibus per Magistrum Natalem Bedam, etiam nostrum confratrem & Syndicum, fideli relatione cognitis, die 15. ejusdem mensis Octobris, sacræ Facultati in Capitulo divi Maturini post Missam suo more sedenti, querimoniam faciens rem proposuit, requirens scandalum condigne reparari, cum sæpius etiam de recenti ipsa Facultas conformiter ad antiqua statuta ipsis Baccalariis ad hoc expresse vocatis prohibuisset materias infructuosas ac periculosas, vel non ædificativas in suis positionibus sustinere, sed duntaxat utiles, solidas, & unde possent legentes & audientes ædificari. Quod intelligens ordinavit Facultas, inprimis audiendos esse & Magistrum, qui præsedit actui, & ipsum Baccalarium, ut sensus particularum ipsius conclusionis per eos prætensos exponerent, probationesque suas daret Baccalarius. Ipsis autem ab eadem Facultate non semel auditis & ponderatis, quas etiam scripto tradidit idem Baccalarius, probationibus, decrevit, quatuor primas ejusdem conclusionis particulas, ultima, quæ sine offendiculo teneri potest, relicta, transscribendas esse, & singulis Magistris nostris communicandas, ut de illis post examen sufficiens sententias dicerent, ad hoc diem, horam & locum deputando, injunctumque est singulis, ut solicite comparerent super ipsarum propositionum probatione vel reprobatione, & modo quo scandalum reparari deberet, opinaturi. Quæ omnia multis sessionibus, diebus interpolatis diligenti cura facta fuere, & auditis votis & scripto recollectis, & invicem collatis post frequen-

tes

tes tam inter nostros deputatos, quam coram tota Facultate congressus, tandem omnium consensu in hanc qualificationis deventum est formam:

Prima propositio: Non est illicitum lege divina aut naturali vendere beneficia. Hæc propositio est erronea & simoniacam labem divino jure prohibitam in Ecclesiam illicite inducens.

Secunda propositio: Non est illicitum lege divina aut naturali pensiones redimere. Hæc propositio est falsa, scandalosa, & viam perniciose aperiens, qua venduntur beneficia, loquendo de pecuniaria Ecclesiasticarum pensionum redemptione.

Tertia propositio: Non est illicitum lege divina aut naturali bursas vendere. Hæc propositio est scandalosa & turpe lucrum impie fovens.

Quarta propositio: Non est illicitum lege divina aut naturali in die festo aut loco sacro negotiari. Hæc propositio sic indistincta est falsa, scandalosa & impia.

Ista vero judicii doctrinalis nostri censura cum prius fuisset a nobis laudata, rursus tamen hac die Lunæ quarta mensis Novembris in nostra congregatione post Missam de die prima post solennia ad illam quartam exspectatam in eodem divi Maturini capitulo solenniter & per juramentum convocata, unanimi omnium voto probata, ratificata, & confirmata extitit. & cetera in quibus agitur de ratione, qua Præses & Baccalarius publicæ offensioni satisfecerint Nonis Decembris. Hoc autem doctrinale judicium nunc omnium consen-

su, nunc unanimi omnium voto pronunciatum dicitur.

ARTICULUS XX.

ANno Christi eodem 1521. Facultas perniciosa Lutheri dogmata proscripsit, & se proscripsisse unanimi omnium voto innuit. *Decanus & Facultas Theologiæ generalis Scholæ Parisiensis, omnibus Christi Fidelibus, cum sincero Catholicæ veritatis amore salutem. Paulus vas electionis.* Et post alia: *Quare nostræ professionis esse agnoscentes hujusmodi pullulantibus pestiferis erroribus, magisque ac magis in dies excrescentibus toto conatu obviare, quid tandem nobis de hujusmodi doctrina visum sit, plane aperire volumus, & nostram super ea sententiam Christianis omnibus publicare.* Et post pauca: *Solicitius itaque per nos examinata ac maturius universa doctrina Lutherano adscripta nomini, & ad plenum discussa, execrandis illis erroribus scatere certo deprehendimus & judicavimus, fidem potissimum contingentibus & mores, quodque simplicis populi seductiva sit, omnibus Doctoribus injuria, toti Ecclesiæ & Ordini hierarchico impie derogativa, aperte schismatica, sacræ Scripturæ adversa, & ejus depravativa, atque in Spiritum sanctum blasphema; & ideo veluti reipublicæ Christianæ perniciosam censemus omnino exterminandam.* Deinde post relata & proscripta Lutheri dogmata subjicitur *Conclusio: Nos præfati Decanus & Facultas præmissa hæc omnia tempore multo examinavimus, & quid de his sentirent Ecclesiæ Docto-*

Doctores, quid sacra Concilia, quid insuper in Scripturis sanctis caveretur, diligenter annotavimus. Post quod examen nostrum apud Sorbonam sæpius frequentatum, in plerisque nostris per juramentum vocatis & factis concionibus, unanimi omnium voto fuerunt conclusa & definita, ac demum ex abundanti in generali nostra congregatione rursus per juramentum super his specialiter denunciata hæc eadem post Missam more nostro celebratam. Iterum concordi omnium assensu, laudavimus, comprobavimus, ac rata habuimus, laudamus, comprobamus, & rata habemus, &, ut talia inconcussa tenenda nostra sententia definimus & decernimus. Acta fuerunt hæc anno ab Incarnatione Domini 1521. die 15. Aprilis. Hæc est determinatio, quæ nunc unanimi omnium voto, nunc concordi omnium assensu facta dicitur.

ARTICULUS XXI.

ANno Christi 1526. Facultas Theologiæ familiaria Erasmi colloquia damnavit, & se unanimi omnium consensu damnasse sic scribit: *Anno Domini 1526. die 16. mensis Maji fuit congregata Facultas Theologica per juramentum in Collegio Sorbonæ ad deliberandum finaliter, quid esset agendum de libro, qui inscribitur, Familiarium Colloquiorum formulæ per Desiderium Erasmum, &c. Nunc autem idem liber plurimum auctus inscribitur, Familiarium Colloquiorum opus multis nominibus utilissimum. Super quo quidem negotio jam sæpius factus sermo fuerat tam inter deputatos, quam in ple-*

pleno Magistrorum consessu. & die hesterna post multa super ea re in ipsa Facultate sedenti apud sanctum Maturinum post Missam, ut moris est, proposita, ut maturius materiâ ipsa discuteretur, remissa est ad hunc diem 16. quo in omnium Magistrorum præsentia repetita sunt & rememorata, quæ per deputatos prius diversis vicibus fuerant adducta. Et post pauca: *Quibus diligenter attentis & perpensis, post maturam deliberationem dictum fuit, & unanimi omnium consensu conclusum, quod prædicti libri lectio omnibus maxime adolescentibus erat prohibenda.* Quid porro est unanimi omnium consensu concludere, nisi concorditer & nemine reclamante concludere?

ARTICULUS XXII.

Anno Christi proximo, Facultas aliam in alios Erasmi libros censuram edidit, nec minus concorditer edidit. Verba sunt: *Decanus & Facultas Theologiæ Scholæ Parisiensis, omnibus Fidelibus in Christo, salutem. Cum a nobis anno Domini 1526. circa finem Julii a multis & gravibus viris quæreretur, quid sentiendum foret de quibusdam propositionibus excerptis e Paraphrasibus Desiderii Erasmi in Novum Testamentum; & similiter de quibusdam aliis extractis ex quodam ejus libello dictarum propositionum defensivo, qui dicitur Elenchus, nec non & paucis aliis in aliis illius libris repertis: nos rationem reddere volentes de ea, quæ in nobis est, fide, re diutius atque maturius perspecta, & inter nos discussa, tandem non solum super dictis pro-*

propoſitionibus reſpondendum cenſuimus, ſed & rationes, & ſcripturarum teſtimonia pro inſtituti brevitate, pauca ſubjicere ad cautelam, ubi opus viſum eſt, curavimus. Deinde poſt alia ſequuntur propoſitiones, & earum cenſuræ cum probationibus, quæ cum ex Scriptura, tum ex Patribus deſumuntur. Et in fine: *Acta ſunt hæc in noſtra congregatione apud Collegium Sorbonæ poſt diuturnam ac maturam diſcuſſionem die 17. Decembris anno Domini 1527.* Hanc porro cenſuram unanimi omnium conſenſu factam eſſe colligimus, inprimis ex tenore verborum, quæ id ſatis innuunt, deinde ex uſu quem expoſuimus, tum ex ipſius Eraſmi declarationibus, quas ad cenſuram adtexuit. Hic enim cum apprime noſſet infirmandæ cenſuræ caput præcipuum eſſe diſcordiam, quæ in Magiſtris invenitur, occultam id eſt, falſam, cum apertam, id eſt, veram non potuerit, diſcordiam objecit. *Sunt,* inquit, *qui privato favore adſunt, ceteri vel connivent, vel ſubducunt ſeſe, prius habentes cedere, quam cum irrequieti ſpiritus hominibus & contentioni natis digladiari, mox audituri, ſi quid æqui dixerint Lutheranus.* Ad tale perfugium, qui ſic augurando deſcendit, perfugium ſane in Magiſtrorum diſcordia nullum habere ſe demonſtrat, ut prior, ſic & poſterior librorum Eraſmi cenſura concorditer facta eſt.

ARTICULUS XXIII.

ANno Chriſti 1542. Franciſcus I. cum tantam in religione perturbationem aſpiceret, voluit

ut Facultas Theologiæ decerneret, quid de præsentibus controversiis credendum foret. Facultas certos quosdam articulos condidit, quibus pauca hæc præfatur: *Decanus & Facultas Theologiæ Parisiensis, omnibus Fidelibus in Christo, salutem. Cum hodie per concionatorum in asserendis dogmatibus altercationem viderimus plerosque Fidelium juxta id, quod Ephesiis scribit Paulus, tanquam parvulos fluctuantes ad omnem ventum cujusvis doctrinæ circumferri & agitari; nostra autem intersit quantum in nobis erit, dissidentes opinionum fluctus componere, de sanctissimo Christianissimi Regis proposito abunde persuasi, quidnam circa articulos hodie a plerisque controversos, & Christianis Doctoribus, & concionatoribus prædicandum, & ceteris Christi Fidelibus, cum universa Ecclesia sit credendum, paucis visum est hoc ordine adnotare.* Deinde in fine articulorum subjicitur: *Anno Domini 1542. die 10. mensis Martii, Facultas Theologiæ congregata per juramentum in Collegio Sorbonæ super articulis præcedentibus, probavit hos articulos sub forma, qua scripti sunt.* Non dicitur quidem expresse, hos articulos fuisse concorditer editos, sed reipsa concorditer editos fuisse multa ostendunt. Et primo quidem id colligitur facile ex verbis quæ retulimus, ubi ne vox est ulla, quæ vel minimam excitatæ inter Magistros discordiæ umbram relinquat: deinde Magistri omnes qui aderant, sponte subscripserunt. Demochares, & ipse Parisiensis Theologus subscriptionem refert in libris, quos de sacrificio Missæ composuit: tum Joannes Calvinus,

nus, qui contra nostros articulos confecit antidotum, dissensionem Magistrorum nullam objicit; non omisisset autem objicere, si qua intervenisset, cum infirmandorum articulorum præcipuum argumentum sit illa dissensio, cum aliunde multa objiciat, quæ accersiti pretiosive nihil habent, & quæ profecto non sunt assis unius. Postremo Renatus Benedictus Parisiensis Theologus, summam in Magistris animorum consensionem testatur in admonitione, quam anno 1560. editis a se articulis præfixit. *Quare, inquit, non potest non valide probari, & jure commendari Facultas Theologiæ Parisiensis in ea ratione & methodo, quam in admonendis & præmuniendis piis & Catholicis hominibus, atque in confutandis erroribus & hæresibus secuta est. Ipsa etenim, more sapientum atque etiam Ecclesiæ Patrum in Conciliis generalibus congregatorum, brevissimis & sententiosis articulis docet Fideles, quid sit credendum tanquam pium & Catholicum, quid contra fugiendum tanquam erroneum atque Evangelio, & Christianorum salutiferæ doctrinæ adversum: qua quidem in re tanta doctrina & tam commendabili usa est methodo atque diligentia, ut paucæ sint hujus temporis, quas 25. illisque brevissimis articulis non accurate & evidenter notarit. Quibus sane usque adeo piorum Christianorum desiderio satisfactum fuit, ut Christianissimi Reges, Franciscus hujus nominis primus, Henricus ejus nominis secundus, & Franciscus secundus, eos tam sapienter & secundum Evangelium & doctrinam apostolicam collectos & confectos regia auctori-*

tate divulgari jusserint. Et post alia: *Non putabant enim, meo judicio, illi sapientissimi & Reges & Magistratus, aliquem esse aut inveniri posse in facili Gallia talium monstrorum prius non feraci, qui sententiis & determinationibus tot tam piorum & omni disciplinarum genere prædictorum summorum Theologorum, quot illis edendis articulis post longam maturamque deliberationem convenerunt, subscribere & firmissime adhærere dubitaret. Hæc enim pia & docta doctrinæ Christianæ axiomata, eorum non sunt, qui literas sacras profiteantur, priusquam didicerint, vel humaniorum literarum nuda cognitione præditi, spiritu elationis & humano ducti non verentur in scripturis exponendis & præceptis Christianismi tradendis, spiritu Dei suo sensu coarctare, temeritate, ignorantia, & impietate plena scripta, sed summorum & probatissimorum Theologorum, qui omnem ætatem in rebus sacris ediscendis & meditandis consumpserunt, qui & secum & cum doctissimis Coloniensibus & Lovaniensibus Theologis maxime conveniunt.*

ARTICULUS XXIV.

ANno Christi 1552. Facultas Theologiæ certas quasdam propositiones ex Caroli Molinæi libro contra parvas datas collectas, sic unanimiter damnavit: *Anno Domini 1552. die vero 9. Maji, fuit per juramentum sacratissima Theologiæ Facultas Parisiensis apud Collegium Sorbonæ congregata, statim post Missam de sancto Spiritu apud sanctum Maturinum celebratam, ad determinandum de*

qua-

qualitate multarum propositionum cujusdam libri, cujus titulus est, Commentarius ad editum Henrici II. contra parvas datas, & abusus Curiæ Romanæ, & antiqua edicta & senatusconsulta Franciæ, contra Annatarum, & id genus abusus, multas novas decisiones juris & praxis continens, auctore Carolo Molinæo Jurisconsulto Parisiensi, & in supremo Parisiorum Senatu Advocato consultissimo. Qui quidem liber a suprema Curia Parlamenti per dominum Procuratorem generalem ad eandem Facultatem, ut examinaretur, missus fuerat. Selectis ergo ex hoc ipso libro multis propositionibus, sigillatim & ordine coram eadem Facultate lectis, repetitis, & intellectis, ut moris est, prius examinatis, eadem sacratissima Facultas, omnium Doctorum consensu, qui tum erant fere numero 73. de dicto libro censuit, modo & forma sequentibus. Qui omnium Doctorum consensum dicit, qui dissentiat excipit neminem.

ARTICULUS XXV.

ANno Christi 1554. Facultas Theologiæ quod de duobus diplomatibus Pontificiis censuit, se unanimi consensu censuisse sic scribit: *Anno Domini 1554. die vero prima Decembris, sacratissima Theologiæ Facultas Parisiensis post Missam de sancto Spiritu in æde sacra Collegii Sorbonæ ex more celebratam, jam quarto in eodem Collegio per juramentum congregata ad determinandum de duobus diplomatibus, quæ duo sanctissimi domini summi Pontifices, Paulus III. & Julius III. his, qui Socie-*

tatis JESU nomine insigniri cupiunt, concessisse dicuntur; quæ duo diplomata Senatus, seu Curia Parlamenti Parisiensis dictæ Facultati visitanda & examinanda, misso ad eam rem hostiario, commiserat. Et post alia: *Sed quoniam omnes præsertim Theologos paratos esse oportet ad satisfactionem omni poscenti de his, quæ ad fidem, mores, & ædificationem Ecclesiæ pertinent, dicta Facultas poscenti, mandanti & exigenti Curiæ prædictæ satisfaciendum duxit. Itaque utriusque diplomatis omnibus frequenter lectis articulis, repetitis & intellectis, & pro rei magnitudine per multos menses, dies & horas pro more prius diligentissime discussis & examinatis, tum demum unanimi consensu, sed summa cum reverentia & humilitate rem integram correctioni Sedis apostolicæ relinquens, ita censuit.* Et post alia: *Itaque his omnibus atque aliis diligenter examinatis & perpensis, hæc Societas videtur in negotio fidei periculosa, pacis Ecclesiæ, monasticæ Religionis eversiva, & magis in destructionem, quam in ædificationem.* In hac determinatione unanimis consensus ille reperitur, quo quicquid est in doctrinæ judicio firmitatis ac roboris impertitur.

ARTICULUS XXVI.

ANno Christi 1610 Facultas unanimem Doctorum consensum sic explicat in censura, quæ lata est contra impios & execrabiles Regum & Principum parricidas: *Anno Domini 1610. cum sacra Theologiæ Facultas ob festa Pentecostes & comitia priva-*

ta inter viros selectos ordinis Theologici in præsenti negotio agitata, suos status & ordinarios conventus prima aut secunda die Junii habere non potuisset, illos in diem quartum Junii transtulit, atque omnes Magistros Theologiæ in vim obedientiæ, quam emisso sacramento Facultati spoponderunt, in Collegium Sorbonicum convocavit, ubi post Missam de sancto Spiritu more solito celebratam deliberarunt super executione Senatusconsulti, cujus hæc summa est:

Curia Parlamenti decuriis majore rerum capitalium atque edicti una congregatis, procedendo ad judicium & litem capitalem ac extraordinariam, Cognitoris generalis Regis postulatione instructam adversus nefandissimum, crudelissimum, & execratissimum parricidium in sacratam personam Henrici IV. Regis patratum, audito Cognitore generali regio decrevit atque decernit, ut diligentia & procuratione Decani & Syndici Facultatis Theologiæ eadem Facultas quamprimum convocetur ad deliberandum super confirmatione decreti prædictæ Facultatis, quod die 13. Decembris anno 1413. a centum quadraginta & uno Theologis constitutum, dehinc vero Concilii Constantiensis auctoritate roboratum fuit: quo decreto definitur, nemini licitum esse, quacunque occasione, causa aut prætextu quæsito sacrosanctis Regum & aliorum Principum supremorum personis vim inferre. Deinde ut decretum, quod in ejusdem Facultatis comitiis statuetur, omnium Doctorum, qui comitiis & deliberationi interfuerint, nec non etiam omnium Baccalaureorum, qui cur-

ſum Theologicum decurrunt, ſyngraphis muniatur. Et poſt alia: *Sacra igitur Facultas ſtricte, accurateque exploratis omnium & ſingulorum Doctorum ſuffragiis, primo ſtatuit antiquam illam cenſuram Facultatis, Synodi Conſtantienſis ſanctione firmatam, non modo iterari, verum etiam omnium hominum animis inculcari debere. Secundo cenſet, ſeditioſum, impium & hæreticum eſſe, quocunque quæſito colore a quocunque ſubdito, vaſallo, aut extraneo, ſacris Regum & Principum perſonis vim inferre. Tertio ſtatuit, ut omnes Doctores & Baccalaurei Theologiæ, quo die in ſtatuta & articulos Facultatis jurare conſueverunt, in hoc ſimiliter decretum jurent, ac ſyngraphæ ſuæ appoſitione obteſtentur ſe illius veritatem docendo & concionando diligenter explicaturos.* Argumentum hoc totum, quod tractatur, dubitare non ſinit, quin Magiſtri omnes ad unum conſenſerint. quod præterea ex verbis quæ retulimus, ſatis ſuperque colligitur.

ARTICULUS XXVII.

ANno Chriſti 1611. Facultas concorditer damnavit Philippi Mornæi Myſterium Iniquitatis. *Quocirca Decanus & Doctores prædictæ Facultatis Pariſienſis, anno 1611. die 1. Auguſti poſt ſacrum de ſancto Spiritu more ſolito celebratum, in majorem aulam Collegii Sorbonæ convenientes, provinciam iſtius libri examinandi viris ſelectis demandarunt: qui quidem 19. ejuſdem menſis & anni ad Facultatem retulerunt, ſe præfatum opus conſide-*

siderate legisse atque expendisse; innumeris autem & execrandis blasphemiis atque impietatibus in Religionem, Fidem catholicam, & sanctam Sedem apostolicam scatere. Et post alia: *Quibus auditis, atque iterato & mature in deliberationem adductis die 22. Augusti in solemnibus comitiis hac de causa sub juramento habitis, omnes & singuli Magistri Theologiæ primo censuerunt, dictum librum hoc nefandissimo titulo nuncupatum*, le Mystere d'Iniquité, c'est à dire, l'Histoire de la Papauté, *tanquam legi divinæ, naturali & canonicæ, Patrum antiquorum doctrinæ, praxi Ecclesiæ catholicæ, sacrisque ritibus ab omni memoria hominum in Ecclesia usitatis ac receptis omnino contrarium, hæreticum, furiosissimum, seditiosissimum, impudentissimis calumniis atque mendaciis refertissimum, damnandum, execrandum ac populo christiano penitus interdicendum. Secundo &c.* Quid est hoc, omnes & singuli censuerunt, nisi concorditer censuerunt?

ARTICULUS XXVIII.

ANno Christi 1631. Facultas censuræ commisit libros duos Anglicos, quorum prior inscribitur, *Modesta & brevis discussio aliquarum assertionum, quæ docentur a M. Doctore Kellisono in suo de ecclesiastica Hierarchia tractatu, auctore Nicolao Smithæo;* posterior vero inscribitur, *Apologia pro processione sanctæ Sedis apostolicæ, quantum ad gubernationem Catholicorum in Anglia, durante tempore persecutionis, cum defensione status religio-*

ſi, auctore Daniele a JESU, ſacræ Theologiæ Lectore. His accedunt propoſitiones quædam ex Hibernia delatæ. Facultas eadem ſelegit nonnullos ex Magiſtris, qui perniciosas librorum aſſertiones colligerent, easque & Hibernicas notis afficerent. Selecti Magiſtri utrumque fecerunt, & ad Facultatem retulerunt, quæ, ut ait cenſura, *notatas propoſitiones ſeveriſſima condemnatione perſtringendas judicavit, earumque cenſuram unanimi votorum conſenſione laudavit, probavit, probatam iterum legi juſſit, confirmavit, & cum ſuperioribus cenſuris quamprimum excudi voluit.* Ecce tibi doctrinalis determinatio, quæ unanimi votorum conſenſione abſoluta eſt.

Joannes Floidus e Societate JESU Theologus, ut determinationem hanc refelleret, librum edidit, cui titulus eſt: Hermanni Lœmelii Antuerpienſis Spongia. Hoc in libro cap. I. *octo rationes declarantur, ob quas cenſuræ Pariſienſes, cetera Eccleſia tacente, nihili fieri debent.* In tertia hypotheſi, ſic ſe res habet: *Cenſura ſelectim, non turbatim ferenda, nec error in fide cenſeri debet, ad quem notandum non pleno conſenſu ſuffragia conſpirent. Non eſt enim Theologicæ gravitatis, non eſt prudentiæ, ut quæ ſit hæretica propoſitio, Doctorum vulgus numero ſuffragiorum decidat, nullo diſcrimine docti & indocti, æqui & iniqui, integri & ſuſpecti, veterani & tyrones, canitie venerandi, & adoleſcentuli Magiſtri. Quid enim, ſi pars quæ te hæreticum cupit, duobus vel etiam uno ſuffragio alteram vincat, an neceſſitate ineluctabili hæreticus ſis? For-*

Fortassis suffragium illud, quod superest alteri parti, hominis est perversi, partibus addicti, ignari, cujus sententia non pluris fieri, quam stipitis debeat. Sortem movet ordine nemo. Hæc Sorbonica lex: Hæc non dicerem, nisi ipsi scriberent. Audi M. Arnaldum magnæ in Sorbona auctoritatis, & auctorem orationis ad Christianissimum Regem nomine Universitatis Parisiensis, quorum alter vehementer instat, ut Jesuitæ ejiciantur, alter ne inducantur in Galliam. Hoc est, audi, quid de sua methodo ferendi censuras, Sorbona ipsa fateatur. Anno, inquit, *Domini 1589. cum excommunicatio in defunctum Regem (Henricum III.) piæ memoriæ fuit allata, & in Sorbona quæsitum esset, utrum potestatem istam haberet Pontifex, continuo Doctores antiqui, Faber Syndicus, Camusus, Chabotus, Faber Curio sancti Pauli, Chanagnacus, omnesque alii vetustiores & bonæ notæ fortiter restiterunt; sed bene prospectum erat huic choragio. Omnes enim juvenes, qui apud Jesuitas Theologiæ studuerant, Boucherus, Pichenatus, Varades, Semella, Cullius, Aubonvius, & alii innumerabiles vicerunt pluribus suffragiis contra verbum Dei & omnia axiomata Galliæ. Vides, Lector, ut suum de rebus fidei censendi morem Facultas ipsa Parisiensis retegat. Censuram a confuso Magistrorum vulgo ferri, in quo nihil doctus indocto, senior juniori, veteranus novitio præstet. Censura quæ pluribus suffragiis vincit, licet a junioribus lata & indoctissimis, triumphat.* Hæc ille Franciscus Hallerius Parisiensis Theologus adversus Hermanni Lœmelii spongiam librum

librum edidit, & sic inscripsit, *Defensio ecclesiasticæ Hierarchiæ, seu Vindiciæ censuræ Facultatis Theologiæ Parisiensis.* In admonitione ad Lectorem Hermannum Lœmelium arguit mendacii, & sic loquitur: *Horruit ergo ad rei istius novitatem Theologiæ Parisiensis Facultas, veteris doctrinæ & pietatis tenacissima, cujus super ea lite Angli Sacerdotes expetierant sententiam, & oblatos sibi libellos istos duos in Latinum sermonem, non eleganti quidem stilo, (cujus minor quam veritatis in ea versione habita est ratio, ut verba verbis responderent, & nativus auctoris sensus redderetur) magna fide & diligentia conversos, in quibus hæc dogmata, aliaque non minus damnanda continebantur, consentientibus suffragiis, re tota per viginti quatuor congregationes privatim publiceque discussa, nemine renitente damnavit, Religiosis ipsis, quibus magna ex parte Facultas ea constat, suo calculo censuram confirmantibus, atque ex paradoxis ejusmodi, & inauditis dogmatibus, magnum sibi odium, Ecclesiæ vero perniciem conflari dolentibus.* Hæc ille.

Lœmelius ergo & Hallerius, si contendantur inter sese, ex mutua contentione manifestum fiet, Lœmelium velle auctoritatem omnem censuræ detrahere, quod ad eam conficiendam non pleno Magistrorum consensu suffragia conspirarint. Hallerium contra niti, ut censuræ auctoritatem conciliet omnem, quod ad eam conficiendam Magistri omnes consenserint, quod nemo reclamarit.

Quin

Quin etiam hoc Facultati ſemper ita perſuaſum fuit, ut ſi quando in ſua deliberatione concordes non eſſent Magiſtri, vel nulla ſcriptis proderetur deliberatio, vel ſi proditæ Magiſtri concordes adſcriberentur. quod ſemel exemplo novo, acerbo & nusquam imitabili factum eſt. Id Jacobus Auguſtus Thuanus in hiſtoriarum libro 94. refert ad annum 1589. *Nec quieſcebant*, inquit, *interim Pariſienſes, qui præſide ſuæ factionis creato per 16. viros, tot urbis regiones ſunt, homines e plebe, aut lapſos facultatibus, aut judiciorum ſeveritatem veritos, quos ad fovendam factionem jam creaverant, concivium animos explorabant. Sic autem comperiebant multos ſcrupulo teneri, quo minus renovatæ fœderationi, quæ ad regii nominis ejurationem ſpectabat, nomen darent: quippe qui Regi obedientiam ſe debere, nec ab ea diſcedere, ſalva conſcientia, poſſe crederent, quantumvis jampridem per ſacras confeſſiones præoccupatis plebis animis. Hunc ſcrupulum ut removerent factioſi, Theologorum noſtrorum ut plurimum obnoxiorum opera uti ſtatuunt, & re cum maxime rerum novarum cupidis communicata, libellum, Præfecti Mercatorum & Decurionum nomine, Sorbonicorum Theologorum Collegio porrigendum curant. Quærebant illi, an populus Galliæ jurejurando fidei Henrico III. præſtito ſolutus eſſet, & ſine morſu conſcientiæ poſſet in hoc regno arma capere, fœdus icere, pecuniam cogere pro defenſione Religionis Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ, contra perverſa conſilia, machinationes & conatus ipſius Regis & ejus fautorum, ob violatam*

ab

ab eo Blesis fidem publicam, ut catholicæ Religionis detrimentum, & edicti unionis ac libertatis comitiorum præjudicium. His duobus capitibus libello ab iis, quos memoravi, porrecto comprehensis, in cœtu sexaginta Theologorum in Schola Sorbonica congregatorum, post sacrum Spiritus sancti more solenni celebratum, mature expensis, a Decano Collegii pronunciatum est, & populum jurejurando solutum esse, & contra Regem pro defensione Religionis arma capi posse. Visum insuper Collegio, ut decretum ad Pontificem mitteretur, isque rogaretur, Collegii nomine, ut auctoritate sua illud approbaret, & auxilium afflictæ in Francia Ecclesiæ submitteret. Instrumentum publicum ea de re confectum, & typis mandatum est, quo id concordi omnium consensu, & nemine repugnante, decretum esse dicitur: cum tamen constet, seniores ipsumque adeo Decanum Joannem Fabrum, hominem antiqui moris, nec vulgariter inter eos eruditum, aliter sensisse, & valde juvenes a tam pernicioso consilio, in præsens temerario, & apud posteros infamiæ pleno dehortatum esse.

Affectatio hæc, qua decretum concordi omnium consensu, & nemine repugnante sancitum ponitur, quod tamen concordi omnium consensu sancitum non erat, luculenter ostendit, Facultatem Theologiæ in ea esse sententia, ut credat decreta sua, quæ concordi Magistrorum omnium consensu non eduntur, pro decretis non haberi. Hinc effectum est, ut postquam detestabilis in Henricum III. factio deferbuit, Parisienses Theologi, qui

qui immani decreto ſubſcribere noluerant, & ob id a cœtu Magiſtrorum quondam expulſi fuerant, in eundem cœtum poſtea ſine ſubſcriptione ulla recepti fuerint. Ego ipſe Joannem Peſchantium, qui ſuo tempore Facultatis Theologicæ Decanus fuit, id dicentem ſæpius audivi. Hic vir antiqui moris exemplum de ſe promebat. Theologus cum eſſet juvenis, verſabatur Romæ, quando decretum iſtiusmodi ad Sixtum V. perlatum eſt. Decretum improbavit Pontifex, non quod re ipſa iniquum crederet, ſed quod illud a ſe ſolo faciendum eſſe ſibi ſumeret. Reverſus in Galliam Peſchantius decreto ſubſcribere noluit, & ob id a Facultate ejectus, Rhedones ſe contulit, ubi adjuvante Cuſſæo Senatus Principe, cujus in regio Navarræ Collegio præceptor fuerat, Eccleſiaſtes factus eſt: quod munus magna cum laude diu multumque obiit. Hinc tandem annum implens octogeſimum & eo amplius, Lutetiam rediit, ut Theologicæ Facultatis Decanum ageret, nec antequam ageret, decreto illi, quo de Thuanus loquitur, ſubſcripſit. Vir minime malus, & alias fortis & conſtans, ſolebat dicere, ſe ei Facultati, a qua pulſus fuerat, ſine controverſia ulla præſidere. Ceterum, Theologicæ Facultatis diſciplinam quærimus, non decretum iſtud quod Facultatis ejusdem decretum minime dicendum eſt, quia non eſt factum concorditer; & hoc unicum illi ſupereſt præſidium, quo ab infamia decreti liberetur. Ad me quod attinet cuicuimodi ſit decretum, adverſis in

ſini-

ſiniſtrum palmis abominor; & ſane abominanda eſt ea temporis infelicitas. Decretum hoc igitur & cenſura quævis ſecundum veterem & perpetuum Facultatis morem non concorditer facta, Facultatis decretum aut cenſura non debet appellari. Quo fit ut qui decreto tali ſeu cenſuræ reſiſtit, vel nollet ſubſcribere, Facultati non reſiſtat, immo Facultati concorditer agenti obediat. Nam decreto ſeu cenſuræ quæ per Facultatem totam facta non eſt concorditer, qui reſiſtit, Facultati reſiſtere judicandus non eſt; immo qui contra faceret, ſine dubio reſiſteret. Porro autem in decretis & cenſuris hujusmodi principatum tenent, non eruditio & pietas vera, ſed adverſarii vincendi cupiditas, & partium ſtudia, quæ prætextu Religionis exercentur. Ex iis qui talibus decretis & cenſuris ſubſcribunt, complures aliquando non ſubſcriberent, niſi quod privatis commodis potius quam Religione ducantur.

Hæc pauca de multis, quibus aperte conſtat, unanimi Magiſtrorum conſenſu doctrinalem determinationem a Facultatibus Theologicis fieri oportere, ut apud homines certum quoddam auctoritatis pondus aſſequatur, & eam præ ſe ferat certitudinem, ut qui reſiſtit, temeritatis notam incurrat.

ARTI-

ARTICULUS XXIX.

Doctrinalem determinationem, ubi facta est concorditer, locum suppeditare Theologicum; non suppeditare, cum facta non est concorditer, auctoritate & ratione comprobatur.

IN hoc Scholastici conveniunt omnes, discrepat nemo, dum sedes argumentorum, quibus utitur Theologus in scholis aut in libris, tractatur.

Melchior Canus, qui Tridentino Concilio interfuit, in lib. 8. de locis, cap. 4. ubi explicat *quantum habeat virium ad faciendam fidem argumentum ex Scholæ auctoritate depromptum. Ea igitur explicanda. Sit prima conclusio: Theologorum scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobavit. videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere Theologum non debet: sed si paucos viros modo graves secum habet, poterit sane adversum plurimos stare: non enim numero hæc judicantur, sed pondere. Hanc vero conclusionem probare argumentis non debeo: nam si quid est evidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari non soleo. Perspicuitas enim, ut ait Cicero, argumentatione elevatur. Certe ubi variæ sunt doctissimorum hominum, discrepantesque sententiæ, Academicorum tempe-*

ramentum imitari, & a rebus incertis certam assensionem cohibere debemus. Quid enim tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate atque constantia, ut idem Cicero elegantissime tradit, quam quod non satis explorate perceptum sit & cognitum, id sine ulla dubitatione defendere? Quo loco sane arguendi sunt Scholastici nonnulli, qui ex opinionum, quas in schola acceperunt, præjudiciis, viros alias Catholicos notis gravioribus inurunt, idque tanta facilitate, ut merito rideantur. Nobis autem Schola nostra magnam quidem licentiam dat, ut quodcumque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere; sed non licet tamen eos, qui nobis sunt adversi, temere ac leviter condemnare. Alia sunt Scholæ placita, de quibus mox dicturi sumus; alia sunt præcepta sectæ, de quibus modo loquimur. Quæ ab illis dissident, ea notam habent; quæ ab his, non habent: nec enim si quid aut Scoticis, aut Thomisticis pronunciatis contrarium est, error illico est.

Secunda conclusio: Ex auctorum omnium scholasticorum communi sententia, in re quidem gravi usque adeo probabilia sumuntur argumenta, ut illis refragari temerarium sit: nam in quacumque arte peritis credendum esse ratio monstrat. Nec enim sanus haberetur, qui nautis in navigandi ratione non crederet. Qui igitur in arte hac de Theologiæ dogmatibus disserendi experientibus & exercitis nullam fidem habet, aut parum sanus, aut certe temerarius est. Deinde in Clementina unica de summa Trinitate, Patres Concilii Viennensis opinionem illam,

illam, quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem fore a Catholicis eligendam. Et post alia.

Tertia conclusio: Concordem omnium Theologorum Scholæ de Fide aut moribus sententiam contradicere, si hæresis non est, at hæresi proximum est. Et post alia: *Conclusio hæc, ut a me posita primum ostenditur, quod nullum dogma reperietur, quod eadem mente, oreque Scholastici omnes certo ac firmiter asseruerint, quin idem in universum Ecclesia teneat, eorum auctoritate mota. Nam si aliquod invenire hæretici possunt, proferant, & tacebimus. Quod si nullum proferri potest, sine dubio, velint nolint, id, quod Scholæ totius auctoritate firmatur, verum est, si ad Fidem, ut dixi, moresque pertineat. Adde quod nullum tam proprium Scholæ decretum est, quod vel ex sacris literis, vel ex Apostolorum traditione, vel ex Conciliorum aut Pontificum definitionibus non habeat certum originem. Ita qui Scholæ decreta refutarunt, hi semper inventi sunt & fontem, unde ista manant, repudiasse. Atque, ut uno verbo dicam, nemo, qui in Catholicis habeatur, omnes sine discrimine Theologos explosit. Quod abunde satis magnum argumentum est, sine Fidei discrimine hujusmodi Scholæ placita negari non posse.* Hæc ille celeberrimus Ordinis Dominicani Professor.

Christophorus Gillius in lib. 1. tract. 7. de locis Theologicis, cap. 13. *Porro,* inquit, *communis*

opinio aliter apud Theologos, aliter apud Jurisperitos accipitur. Theologi communem vocant, quando omnes vel fere omnes, paucis exceptis, eandem sententiam amplectuntur: Jurisperiti vero eam, quæ multorum Doctorum auctoritate fulcitur, sive oppositam multi etiam sequantur, sive non. Et post alia:

Dico primum: Quando inter ipsos Doctores, sive sacros, sive scholasticos, sive jurisperitos, est controversia, ita ut ex utraque parte sint auctores probabiles, non sumitur certum argumentum Theologicum, sed tantum probabile. conveniunt communiter Doctores. Fundamentum est, quoniam ubi ejusdem Facultatis periti dissident, signum est non esse evidentem consequentiam ex principiis illius: ideoque quando Doctores Catholici dissident circa materiam Theologicam, non sunt evidentia ac certa testimonia, seu principia Fidei, quibus alterutra opinio nitatur; atque adeo tota res est reducenda ad rationem & auctoritatem humanam, quæ sola non est certum argumentum Theologicum; sed sola vis probabilitatis erit in ea sententia ex auctoritate humana fallibili, quæ eo major aut minor erit, quo Doctores, qui alteram sequuntur partem, plures ac graviores fuerint. Non enim solo numero res expendenda est: fieri enim poterit, ut pauciores, si singuli magnæ auctoritatis sint, reddant sententiam probabiliorem opposita, quam plures sequantur. Et post alia:

Dico tertio: Testimonium Patrum vel Doctorum scholasticorum communiter asserentium aliquid ad Fi-

Fidem vel ad Theologiam pertinens, ſimpliciter tamen, & non indicando eſſe dogma Fidei, eſſe debet argumentum firmum Theologo, ſed citra infallibilitatem Fidei: quod non eſt intelligendum, ſi forte eſſet inter Patres Theologosque diſſenſio. Nam ea ipſa diſſenſio ſatis oſtendit non ineſſe alterutri parti totam probabilitatem veritatis: intelligi itaque debet, quando vel ſoli Theologi, aut ſoli Patres, vel utrique rem aliquam ſimpliciter aſſerunt. Et poſt alia: *Notavit Bannes fieri poſſe, ut ſit opinio aliqua communis inter Theologos, quæ poſtea ſucceſſu temporis deſinat eſſe talis, ſi recentiores oppoſitam firmis rationibus & Patrum auctoritatibus confirmare & ſequi incipiant.* Et poſt alia:

Sed quid dicendum, quando omnes ſimul conſentiunt, indicando vel aſſerendo rem eſſe de Fide. Hæc quæſtio ſeorſim diſcutienda eſt: primum quidem de Theologis, deinde de Patribus. Proponit opinionem Cani, & rationes, quibus nititur; deinde opinionem refellit. *Non video*, inquit, *ex quo capite communis opinio Theologorum in rebus Fidei ac morum habeat infallibilem auctoritatem, ita ut qui oppoſitum ſenſerit, damnandus ſit hæreſeos aut erroris.* Et poſt alia: *Dixerim itaque inprimis: Theologos de communi conſenſu aſſerentes aliquid tanquam ad Fidem pertinens, non reddere ex ſe propoſitionem infallibiliter veram, quaſi ipſi ſint menſura infallibilis veritatis. Dixerim ſecundo, moraliter loquendo, ex vi teſtificationis ſuæ præbere graviſſimum argumentum Fidei; non tamen omnino infallibile, aut logice loquendo certum: ſenſus*

est, cum Theologi omnes sententiam aliquam tanquam Fidei dogma proponunt, ex vi hujus testificationis sumi argumentum, non logice, sed moraliter certum. Hæc est de mente Doctorum dicentium, solum esse temerarium dissidere ab assertione communi Scholasticorum, ita Andr. Vega lib. 9. in Conc. Trid. cap. 14. & alii recentiores.

Verum quid externos Doctores tam solicite requiro, cum domestici sufficiant? Parisienses enim art. 9. declarant, *doctrinalem determinationem multum debere reputari, quando concorditer facta est*. Unde necessario sequitur non multum, sed parum debere reputari, si concorditer facta non est, scilicet quando nonnulli bonis fulti rationibus contradicunt.

Porro hanc doctrinam cum ab aliis Patribus, tum ab Augustino maxime, Doctores acceperunt. Sic enim Augustinus disputat lib. 1. contra Julianum cap 6. *Itane ista verba sancti Joannis Episcopi audes, tanquam e contrario, tot taliumque sententiis collegarum ejus opponere, cumque ab illorum concordissima societate sejungere, & eis adversarium constituere? Absit, absit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere. Absit, inquam, ut Constantinopolitanus Joannes de baptismate parvulorum, eorumque a paterni chirographi liberatione per Christum, tot ac tantis Coepiscopis suis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque*

opti-

optimi regulæ Catholicæ defensores, salva Fidei compage, non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem, unde nunc agimus, ad ipsa Fidei pertinet fundamenta, quasi diceret: In rebus quæ ad Fidem pertinent, concors esse debet Patrum omnium sententia, nec unus, qui magni sit nominis, ut Chrysostomus, ab aliis sejungendus est.

Consentientem Augustino beatum adjungimus Leonem, qui in epistola 97. ad Leonem Augustum ita scribit: *Promisisse me memini, venerabilis Imperator, in causa Fidei, de qua clementiam tuam novi pie esse sollicitam, pleniorem humilitatis meæ dirigendum esse sermonem.* Infra in cap. 1. *Quæ impietatis mendacia quoniam olim Fides Catholica detestatur, & aliarum assertionum sacrilegia concordibus per totum mundum beatorum Patrum dudum sunt damnata sententiis: non dubium est nos Fidem prædicare ac defendere, quum sancta Synodus Nicæna confirmavit, dicens: Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, &c.* In cap. 2. relatis Scripturæ sacræ testimoniis, quibus Nestorii & Eutychis hæreses peræque subvertuntur, subjicit: *Non ergo quisquam sibi erubescendum existimet Christianus de nostri in Christo corporis veritate, quia omnes Apostoli, Apostolorumque discipuli, & præclari Ecclesiarum, quinque Doctores, qui ad martyrii coronam vel ad confessionis meruere gloriam pervenire, in hujus Fidei lumine splenduere, consonis ubique sententiis intonantes, quod in Domino JESU CHRISTO deitatis & carnis una sit confitenda persona.*

 sona.

ſona. Et paulo poſt: *Ut autem pietas tua cum venerabilium Patrum prædicationibus nos corcordare cognoſcat, aliquantas eorum ſententias huic credidi ſubjiciendas eſſe ſermoni. Quibus ſi digneris attendere recenſitis, non aliud nos prædicare reperies, quam quod tanti Patres noſtri toto orbe docuerunt, nec quemque ab illis, niſi ſolos impios hæreticos, diſcrepare.* Hic Romanus Pontifex ſemel iterum, & tertio conſenſum ſanctorum Patrum repetit, inculcat, & infigit. Hanc præſtantiſſimam Patrum ſynoridem Facultas noſtra Theologiæ, cum uti ducem ſequitur, quis eam errare contenderet?

Id genus concordiæ obſervare licet de Calchedonenſi Concilio, cui ſanctus ille Pontifex per Legatos præfuerat. Res igitur hæc ſic ſe habet in controverſia, quæ inter Ægypti Epiſcopos decem, & reliquos Concilii Patres ſexcentos viginti agitata eſt, actione 4. Adſcribo verba: *Hieracus reverendiſſimus Epiſcopus Ægypti, & ceteri reverendiſſimi Epiſcopi Ægyptii per eundem Hieracum dixerunt: Si quis præter iſta, quæ a nobis in petitionibus porrecta ſunt, ſapit, ſive Eutyches, ſive alter aliquis, anathema ſit. De epiſtola autem ſanctiſſimi & Deo amantiſſimi Archiepiſcopi Romani Leonis, ſciunt omnes ſanctiſſimi Patres noſtri, quia in omnibus expectamus ſententiam beati noſtri Archiepiſcopi, & petimus veſtram clementiam expectare Præſidis noſtri ſententiam, quia eum in omnibus ſequemur. Nam & ſanctiſſimi Patres, qui in Nicæa congregati ſunt 318. hanc regulam dederunt, ut ſequatur omnis Ægyptiaca regio Archiepiſcopum magni nominis*

nis civitatis Alexandrinæ, & nihil absque ipso agatur ab aliquo ei subjacente Episcopo. Eusebius reverendissimus Episcopus Dorylæi, dixit: Mentiuntur. Et post alia: *Cum urgentur epistolæ Leonis subscribere, reverendissimi Episcopi Ægyptii clamaverunt: Extra voluntatem Archiepiscopi nostri non possumus subscribere. Acacius reverendissimus Episcopus Ariarathiæ, dixit: Incongruum est universalem Synodum prætermittere, & in unam personam attendere, quæ susceptura est Episcopatum Alexandriæ magnæ civitatis.* Et post pauca: *Petimus, ut non eis concedatur, sed aut consentiant epistolæ, aut regularem damnationem suscipiant, & cognoscant quia excommunicati sunt.* Et post alia: *Quia vero Episcopi nostræ regionis multi sunt, nos pauci, non possumus pauci numero illorum personam suscipere. Petimus autem vestram sublimitatem, & hanc sanctam & magnam Synodum, ut misereamini nostri, & expectetis nostrum Archiepiscopum, ut secundum antiquam consuetudinem, illius sequamur sententiam. Quod si extra sententiam Præsidis nostri aliquid faciamus, sicut præsumptores, & non servantes secundum antiquam consuetudinem, omnes Ægyptiacæ regiones insurgent in nos.* Et post alia: *Cecropius reverendissimus Episcopus Sebastopolis, dixit: Universalis hæc Synodus Ægyptiaca* (regione) *major est, ac fide dignior, & non est justum decem hæreticos audiri, & prætermitti mille ducentos Episcopos.* Et post alia: *Eusebius reverendissimus Episcopus Dorylæi, dixit: Procuratores sunt isti omnium Ægyptiorum, & debent uni-*

versalem Synodum ſequi. *Lucentius reverendiſſimus Epiſcopus, Vicarius Sedis apoſtolicæ, dixit: Si errant, doceantur per veſtram magnificentiam, quia non poſſunt decem homines præjudicium facere Synodo ſexcentorum Epiſcoporum, nec Catholicæ Fidei.* *Reverendiſſimi Epiſcopi Ægyptii clamaverunt: Occidimur, miſeremini noſtri.* Et poſt alia: *Fiat hic Archiepiſcopus, & ſubſcribimus, & conſentimus. Miſeremini canorum noſtrorum. Detur hic Archiepiſcopus. Novit Dei amantiſſimus Archiepiſcopus Anatolius, quia talis conſuetudo in Ægyptiaca regione obtinuit, ut omnes Epiſcopi obediant Archiepiſcopo Alexandriæ. Non quia non obtemperamus Synodo, ſed occidemur in patria: miſeremini noſtri.* Et poſt alia: *Novit conſuetudinem Anatolius Archiepiſcopus. Hic ſumus uſque dum fiat Archiepiſcopus.* Et poſt alia: *Date Archiepiſcopum, & ſi contradixerimus, punite nos. Conſentimus his, quæ decrevit poteſtas veſtra. Non contradicimus, ſed eligite Epiſcopum. Hic expectamus uſque dum ordinetur. Omnes reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Subſcribant damnationi Dioſcori. Judices & Senatus dixerunt: Quoniam reverendiſſimi Epiſcopi Ægyptiorum, non ut repugnantes Catholicæ Fidei, ſubſcribere in præſenti diſtulerunt epiſtolæ ſanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis, ſed dicentes conſuetudinem eſſe in Ægyptiaca regione, extra ſententiam & juſſionem Archiepiſcopi nihil tale ſe poſſe; poſcunt autem ſuſtineri ſe, donec conſecretur Epiſcopus, qui ordinandus eſt magnæ civitatis Alexandriæ: rationabile nobis & cle-*

clemens apparuit esse, ut in eodem habitu expectent in regia civitate, & dilationem habeant usque ad ordinationem Archiepiscopi magnæ civitatis Alexandriæ. Paschasinus reverendissimus Episcopus, Vicarius Apostolicæ Sedis, dixit: Si præceperit gloria vestra, & jubetis illis aliquid præstari humanitatis, fidejussoribus datis, non exeant de ista civitate, quandiu Alexandria Episcopum accipiat. Judices & Senatus dixerunt: Sanctissimi Paschasini firmum sit judicium. Unde permanentes in proprio habitu reverendissimi Episcopi Ægyptiorum, aut dent fidejussores, si hoc est illis possibile, aut per sacramentum eis credatur, quia expectant ordinationem futuri Episcopi magnæ civitatis Alexandriæ.

Ex his autem, quæ paulo longiora descripsimus, colliguntur tria. Primum, quod Ægyptiorum Episcopi decem sancito ab reliquis Patribus Catholicæ Fidei dogmati plane consenserunt, & Dioscori damnationem comprobarunt, ita ut ne unius quidem Episcopi consensus desideretur. Deinde, quod iidem Ægyptiorum Episcopi, audita & perpensa veteri consuetudine, qua non poterant ante subscribere, quam Alexandriæ ordinaretur Episcopus, coacti non sunt amplius ut subscriberent: ne vero in subscriptionis dilatione fraus interveniret ulla, ii fecerunt, quod Judices & Senatus decrevere. Denique, quod Synodi pars major minori, id est, sexcenti viginti Antistites cesserunt decem Antistitibus, qui non prius voluerunt epistolæ Leonis & Dioscori damnationi subscribere, quam Episco-

ſcopus Alexandriæ conſtitueretur. Ægyptii veterem duntaxat adferebant conſuetudinem, quæ, quamvis ab initio pæne rejiceretur ab omnibus, ea nihilominus, conſiderata re, tandem effecit, ut quod tam enixe poſtulabant, obtinuerint. Sic Concilii pars minor majori cum ratione reſiſtit, & major minori cum eadem ratione conſenſit, & illa verborum, quibus quidam ſunt uſi contra Ægyptios, acerbitas repreſſa extabuit.

Hæc eſt igitur Calchedonenſis Concilii perſuaſio, ut in iis, quæ potiſſimum ad Fidem pertinent, decidendis, communis Patrum aſſenſus requiratur.

Sed erit fortaſſis, qui dicet, Catholicæ Fidei, quæ ab Nicæna Synodo decreta eſt, nonnullos Antiſtites reſtitiſſe; ſed illi perpauci fuerunt: quapropter Socrates Nicænæ Synodi fidem cum a multitudine conſentientium, tum a paucitate diſſentientium commendat in libri 1. hiſt. capite 5. *Hanc*, inquit, *fidem approbarunt trecenti decem & octo Epiſcopi, eique omnes aſſenſi ſunt, & uti ſcriptum eſt apud Euſebium, conſentientibus animis opinionibusque eidem ſubſcripſerunt, quinque ſolum exceptis, qui hanc vocem ὁμοούσιον, id eſt, conſubſtantiale, repudiarunt, Euſebio videlicet Nicomediæ Epiſcopo, Theognide Nicææ, Mari Calchedonis, Theona Marmaricæ, Secundo Ptolemaidis.*

Socratem Theodoretus imitatur in libri 1. hiſt. capite 4. *In numero*, inquit, *eorum, quæ iſte* (Arius) *recenſuit, Euſebius Epiſcopus erat Cæſareæ, Theodotus Laodiceæ, Paulinus Tyri, Athanaſius* *Ana-*

Anazarbi, Gregorius Beryti, & Aetius Lyddæ. Tum in cap. 6. *Trecenti decem & octo Episcopi convenerant.* Et post alia: *Quibus obsequens pars maxima Concilii mutuam concordiam, sanamque doctrinam amplexa est; pauci tamen quidam, & præter illos Menophantus Ephesius, Patrophilus Scythopolitanus, Theogonius quoque Nicææ ipsius Episcopus, & Narcissus Neroniadis, & cum his Theonas Marmaritanus, & Ptolemaidis Ægyptiæ Secundus, suscepto Arii patrocinio, Apostolicæ doctrinæ refragati sunt. Quin etiam fidei formulam, quam dictarant, obtulerunt Concilio, quæ ut primum lecta fuit, spuriam cunctis & adulterinam clamantibus, illico discerpta est. At cum ingens tumultus esset contra eos concitatus, & omnes proditæ illos pietatis insimularent, metu perculsi exsurrexerunt, primique omnes, Secundo & Theona exceptis, Arium abdicarunt: impio autem illo sic deturbato, & fidei formula, quæ ad hoc usque tempus in Ecclesiis obtinet, communi consensu composita, subscriptionibusque firmata, Concilium dimisere.*

1. Ut parum pro nihilo haberi solet, sic Antistites pauci pro nullis haberi possunt, cum magna est aliorum Antistitum copia, ut sunt trecenti decem & octo, qui Nicænæ Synodo interfuerunt. Exinde Socrates & Theodoretus scribere non verentur, trecentos decem & octo Episcopos Nicænam fidem communi consensu approbasse, eique subscripsisse; sed non ita scripsissent, si Episcoporum pars tertia vel quarta Nicænæ fidei repugnasset.

2. Pau-

2. Pauci, qui repugnarunt Episcopi, nullo in numero poni debent: quippe qui damnatam in Paulo Samosatensi, in Artemone, in Ebione, in Theodoro Coriario, & in Cherintho hæresim sequerentur. Aliud est igitur apud Socratem & Theodoretum paucos, aliud multos Nicænæ fidei resistere: hi communem consensum impedirent, illi non impedirent.

Ad Augustinum, Leonem, Socratem & Theodoretum accedit Vigilius Papa in epistola, quam Italiæ Clerici Legatis Francorum Constantinopolim euntibus dederunt: *Et quamvis nec hoc quod Papa fecerat, acquieverunt Afri & Illyriciani, atque Dalmatæ Sacerdotes recipere; tamen cœpit iterum sæpedictus Papa Vigilius ad hoc compelli, ut absolute ipsa capitula sine Synodi Calchedonensis mentione damnaret: sed Papa non acquiescens hoc facere, & videns se nimium ingravari, dixit tunc serenissimo Principi: Veniant huc fratres nostri ex omnibus provinciis, quini aut seni Episcopi, & quidquid sub tranquillitate tractatu habito omnibus visum fuerit, cum pace disponemus, quia sine consensu omnium ista, quæ & Synodum Calchedonensem in dubium venire faciunt, & scandalum fratribus meis generant, solus facere nullatenus acquiescam* Notentur hæc duo, quæ Vigilius inculcat: *quod omnibus visum fuerit, cum pace disponemus: sine consensu omnium solus facere* (quæ volebat Justinianus) *nullatenus acquiescam.*

CAPUT

CAPUT LXI.

Per saturam.

HOc in capite perstringam varia rerum genera, quæ præter concordem Magistrorum omnium consensum ad doctrinale judicium pertinere visa sunt.

ARTICULUS I.

Sacramentum consultationibus, & ferendis gravioribus judiciis præmitti solitum.

FAcultas Theologiæ nihil habuit antiquius, quam ut odium & favorem a suis consultationibus, & ferendis de doctrina judiciis propelleret, cum fidem iis omnem auctoritatemque detrahat favoris vel odii suspicio. Hoc autem quo perageret facilius, Magistri dum ad deliberandum & judicandum accederent, datam Facultati fidem ac jusjurandum renovare consueverant, illudque deliberationi suæ ac judicio præmunire. Hunc igitur morem sanctissimum ut confirmem, nonnulla subjiciam exempla, quæ mihi inter legendum acta Facultatis occurrerunt.

Initium mihi erit illud, quo nullum est illustrius, si considerentur personæ, vel quæ Facultatem consuluerunt, vel quæ responsum dederunt. Anno Christi 1333. Philippus Valesius Rex Galliæ, Facultatem consuluit super statu animarum, quæ post mor-

mortem purgandum nihil habent. Facultas Philippo respondit, & responsioni sacramentum præmisit: *Placuit vestræ Majestati nos Dominica quarta Adventus Domini in vestro manerio in nemore de Vicenis ad sui præsentiam convocare, nosque requirere, quod vellemus corporale juramentum præstare, quod super petendis a nobis de statu animarum sanctarum a corporibus exutarum, veritatem, quam sentiebamus, fideliter & absque palliationis cujuscunque velamine diceremus.* Et post alia: *Præfato autem juramento per nos præstito, duæ nobis fuerunt propositæ quæstiones.*

Anno Christi 1387. Facultas Avenionem misit Oratores, qui suam de immaculato Virginis conceptu determinationem, a qua Joannes Montesonus provocaverat, sustinerent Oratores hi non immemores juramenti. Quod edendis a Facultate censuris præmittitur, in consistorio sic protestantur.

Secundo protestamur quod contra honorem & reverentiam sancti Thomæ de Aquino, aut doctrinæ ipsius nihil omnino proponemus, sed sicut Facultas Theologiæ, salva in omnibus reverentia Sancti hujus, nec non doctrinæ suæ, hanc causam fidei prosequemur. Nam de sancto hoc Confessore præmemorata Facultas asserit illud, quod de beato Martyre Cypriano ab Augustino dictum est: Ego, inquit, literas Cypriani non ut canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero; & quod in eis divinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio: nec ipsa injuriosum aut temerarium arbitratur

tur illud, quod sequitur: quod autem ei non congruit, cum pace ejus respuo. Servat siquidem in hujus Sancti doctrina illam sententiam Apostoli, quæ in aliorum opusculis Doctorum juxta decretum Gelasii servanda est: Omnia probate; quod bonum est, tenete, ut habetur 15. dist. in Capitulo, Sancta Romana. Et post pauca.

Tertio protestamur, quod contra Fratrem Joannem de Montesono, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & sacræ Theologiæ Professorem, qui utinam nec tam sancti Ordinis, nec tam sacræ Theologiæ Professor extitisset, cum tantæ confusionis, & tantæ insipientiæ factus sit promotor, contra hunc Fratrem animo injuriandi nihil dicere intendimus; sed solum adversus eum illa proponere, quæ sunt ad causæ fidei, & Catholicæ justitiæ fulcimentum, nec falsis, & mendosis ac injuriosis adinventionibus, cujusmodi ipse alias in sacro Consistorio usus est, in hoc negotio uti proponimus, quia nec hujus negotii qualitas exigit, nec hujus auditorii permittit auctoritas, nec professionis nostræ honestas patitur, postremo nec eorum, quorum causam agimus, sinceritas hoc exposcit. Suum fuerit veræ sapientiæ Professores accusare mendaciter, & fallaciter criminari: sic enim veritatis adversarii, ut ait Augustinus, cum veritatem ipsam criminari, aut obscurare non possunt, hos per quos prædicatur, inducunt in odium: e contra vero nostrum sit pro veritatis defensione odium spernere, nostrum sit, spreta adversantium persecutione, veritatem prosequi, & impium mendacium detestari. Et post alia.

Quarto & finaliter protestamur, quod nostro proprio, aut personali nomine, nihil omnino in hujus causæ prosecutione dicemus; sed solum ex parte, & illorum nomine, qui nos mittunt.

Anno Christi 1413. Joannis Parvi propositiones a Facultate condemnatæ sunt; sed antequam Doctores singuli suam dicant sententiam, sic jurant seu protestantur:

Venerabilis & circumspectus vir Magister Joannes de Gersono, Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, sacræ Theologiæ Professor, primitus protestatur, quod non intendit injuriari cuicunque, & quod non loquitur in ista materia ex incitatione alicujus Domini vel Principis, sed solum ad extirpationem errorum.

Venerabilis & circumspectus vir Magister Joannes Dacheri Magister in Theologia, protestatur ut supra dominus Cancellarius.

Sic alii protestantur Magistri Theobaldus Picardi Ordinis Carmelitarum, Matthæus Roedert, Joannes Generis Prior de Chaumont, Joannes de Dulcimesnillo, Guillelmus Pulcrinepotis, Henricus de Villanova, Henricus Pistoris Prior claustralis sancti Victoris, Franciscus de Ecclesiis Regens Bernarditarum, Guillelmus Botitot Ordinis Prædicatorum, Benedictus Gentiani de Collegio sancti Dionysii, Girardus Macheti Canonicus Ecclesiæ Parisiensis, Radulfus de Porta Magister venerabilis Collegii Navarræ, Joannes Graveran Ordinis Prædicatorum, Guillelmus Cholet Ordinis Carmelitarum, Joannes Michaëlis Ordinis Fratrum Prædicato-

catorum, Petrus de Verſalliis de Collegio ſancti Dionyſii, Dominicus Parvi, Radulfus Paris, Guillelmus Beville Ordinis ſancti Auguſtini, Urſinus Tallevande, Ægidius de Aſperomonte, Joannes Matthie, Germanus de Rongiaco, Simon de Courſi, Nicolaus Canache Canonicus Pariſienſis, Petrus de Cantella Canonicus Pariſienſis, Henricus de Bragella, Jordanus Morini, Petrus Blamboulli, Thomas Hobé, Matthæus Mercerii, Petrus de Nogento, Nicolaus de Dano, Henricus Nannetenſis Epiſcopus, Robertus Groſſelli, Joannes de Caſtellione; Erardus Ermengardi, Dionyſius Pagani, Guillelmus Pinguiſavis, Joannes Baldovini, Joannes Broult, Joannes de Landiſſono, Joannes Breviſcoxæ.

Sic Baccalarii quoque proteſtantur, Petrus Parvi, Joannes Lamberti, Philibertus de Anverreio Ordinis Cluniacenſis, Thomas Avis Ordinis Carmelitarum, Joannes Salverii, Guillelmus Tronqueti, Petrus Galteri, Paulus Natalis, Joannes de Horutiano, Ægidius de Villain, Guillelmus de Charitate, Archambaudus de Firmitate, Guillelmus de Joiaco. Præterea Joannis Parvi aſſertiones per appellationem delatæ fuerunt ad Conſtantienſe Concilium, ubi Petrus Alliacus Cardinalis ita de aſſertione cenſuit: *Ego Petrus Cardinalis Cameracenſis, tanquam Doctor Theologus, in teſtimonium requiſitus dico, & per juramentum affirmo, me firmiter credere, & nullatenus dubitare, quod quælibet novem dictarum aſſertionum catholice condemnanda eſt.* Hactenus ex MS. codice actorum Concilii,

ut vocant, fidei, quod Ioannis Parvi assertionibus novem hæreseos & erroris notas aspersit. In hoc enim Concilio & judicio Parisiensis Episcopus, inquisitor fidei, & Facultas Theologiæ intervenerunt.

Anno Christi 1482. Facultas Theologiæ, dum assertiones Joannis Angeli damnavit, per juramentum sic convocata est: *Præfata alma Theologorum Facultas apud sanctum Maturinum Parisiensem in loco solito, per egregium & doctissimum virum Magistrum Joannem Hue, sacræ Theologiæ Professorem, Ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiarium, ac præfatæ Facultatis Decanum, solenniter, & per juramentum ad qualificandum prædictas propositiones 14. convocata & congregata, &c.*

Anno Christi 1502. Magistrorum juramentum deliberationi sic præmittitur: *Anno Domini 1502. prima die mensis Aprilis.* Et post pauca: *Sacra Theologiæ Facultas fuit Parisius per juramentum solenniter apud sanctum Maturinum specialiter de more congregata*, scilicet, ut propositis sibi ab Ecclesia Parisiensi nonnullis quæstionibus responderet.

Anno Christi 1516. Facultas Theologiæ per juramentum convocata est ad notandas Claudii Cognati propositiones in fine censuræ: *Hæ qualificationes lectæ fuerunt publice & approbatæ Parisiis apud sanctum Maturinum, anno 1516. die vero secunda mensis Junii, immediate post Missam Facultatis de sancto Spiritu, quam celebravit Magister noster Petrus Ricardi in sacratissima Theologorum*

Fa-

Facultate, per juramentum congregata & convocata, Decano præsidente Bouſſard, inſignis Eccleſiæ Pariſienſis Cancellario.

Anno Chriſti 1521. factum eſt idem, cum Facultas Theologiæ nova Lutheri dogmata proſcripſit. Verba ſunt: *Nos præfati Decanus & Facultas præmiſſa hæc omnia tempore multo examinavimus, & quid de his ſentirent Eccleſiæ Doctores, quid ſacra Concilia, quid inſuper in Scripturis ſanctis caveretur, diligenter annotavimus: poſt quod examen noſtrum apud Sorbonam ſæpius frequentatum in plerisque noſtris per juramentum vocatis & factis concionibus, unanimi omnium voto fuerunt concluſa & definita; ac demum ex abundanti in generali noſtra congregatione, rurſꝰ per juramentum ſuper his ſpecialiter denunciata, hæc eadem poſt Miſſam, more noſtro celebratam, iterum concordi omnium aſſenſu laudavimus, comprobavimus, ac rata habuimus.* Hic ſemel atque iterum juramenti, quod emittitur, fit mentio.

Anno Chriſti 1521. Facultas damnavit certas quasdam Hieronymi Clicthovei propoſitiones, quas in actu Majoris-Ordinariæ ſuſtinuerat. Damnationem propoſitionum rurſus per juramentum convocata ratam ſic habuit: *Iſta vero judicii doctrinalis noſtri cenſura, cum prius a nobis laudata, rurſus tamen hac die Lunæ quarta menſis Novembris in noſtra congregatione poſt Miſſam de die prima, poſt ſolennia ad illam quartam expectatam, in eodem divi Maturini capitulo, ſolenniter & per*

juramentum convocata, unanimi omnium voto probata, ratificata & confirmata extitit.

Anno Christi 1526. idem usus observatur in damnandis Erasmi Colloquiis familiaribus: *Anno Domini 1526. die 16. mensis Maji, fuit convocata Facultas Theologica per juramentum in Collegio Sorbonæ, ad deliberandum finaliter, quid esset agendum de libro, qui inscribitur, Familiarium Colloquiorum formulæ per Desiderium Erasmum.*

Anno Christi 1539. Facultas per juramentum congregata est, ut deliberaret, utrum Religiosi tempore beati Augustini voverent: *Anno Domini 1539. die Sabbati ultima Januarii, fuit congregata sacra Theologiæ Facultas apud sanctum Maturinum per juramentum, post Missam de Spiritu sancto, super difficultate orta circa censuram Erasmi super tertiam Regulam Religiosorum sancti Augustini. Dubitatur autem a plerisque, an Religiosi vovebant tempore Augustini, & ad supplicationem Fratrum sancti Victoris, qui petebant solutionem illius difficultatis, Facultas disputavit de materia illa, non so um per deputatos, sed etiam per totam Facultatem disputatum est diligenter; & tandem matura præcedente deliberatione, conclusum fuit, quod Religiosi sancti Augustini, & Monachi illius temporis vovebant, & quod illa censura Erasmi non est probanda.*

Anno Christi 1542. a Magistris protestatio seu juramentum adhibetur, cum editi fuerunt illi celebres articuli, quibus docetur, quid de rebus hoc tempore circa fidem & religionem Christianam con-

controversis credi & teneri oporteat: *Anno Domini 1542. die 10. mensis Martii, Facultas Theologiæ congregata per juramentum in Collegio Sorbonæ super articulis præcedentibus, probavit hos articulos sub forma qua scripti sunt.*

Anno Christi 1552. Facultas Theologiæ damnavit Caroli Molinæi librum, qui contra parvas datas & abusus Romanæ Curiæ inscribitur, & in censura meminit juramenti per quod ipsa congregata est: *Anno Domini 1552. die vero 9. Maji, fuit per juramentum sacratissima Theologiæ Facultas Parisiensis apud Collegium Sorbonæ, statim post Missam de sancto Spiritu apud sanctum Maturinum celebratam, ad determinandum de qualitate multarum propositionum cujusdam libri, cujus titulus est, Commentarius ad edictum Henrici II. contra parvas datas & abusus Romanæ Curiæ &c.*

Anno Christi 1554. Facultas quoque per juramentum congregata est, ad determinandum de qualitate de duorum Romanorum Pontificum bullis, quibus Societatis JESU Institutio continetur: *Anno Domini 1554. die vero prima Decembris, sacratissima Theologiæ Facultas Parisiensis, post Missam de Spiritu sancto, in æde sacra Collegii Sorbonæ per juramentum congregata, ad determinandum de duobus diplomatibus, quæ duo sanctissimi domini summi Pontifices, Paulus III. & Julius III. his, qui Societatis JESU nomine insigniri cupiunt, concessisse dicuntur.*

Anno Christi 1560. Facultas per juramentum congregata est, ut de propositionibus ad se missis e

Belgio censeret: *Anno Domini 1560. die Jovis vicesima septima mensis Junii, sacratissima Theologiæ Facultas Parisiensis, post Missam apud Collegium Sorbonæ ex more celebratam, in eodem Collegio per juramentum congregata est in materia fidei super propositionibus infra scriptis, per eandem Facultatem cum matura deliberatione Magistrorum nostrorum censura notatis, quas Frater Petrus de Quercu, Guardianus Conventus Nivellensis, & Frater Ægidius de Querceto, Guardianus Athiensis, prædictæ Facultati miserunt, sigillis prædictorum Conventuum signatas, rogantes obnixe, ut super iis dicta Facultas censuram ferret.*

Anno Christi 1610. Facultas per solitum juramentum renovavit censuram, quæ olim contra impios Regum & Principum parricidas lata fuerat: *Anno 1610. cum sacra Theologiæ Facultas ob festa Pentecostes, & comitia privata inter viros selectos ordinis Theologici, in præsenti negotio agitata, suos statos & ordinarios conventus prima aut secunda die Junii habere non potuisset, illos in diem quartum Junii transtulit, atque omnes Magistros Theologiæ in vim obedientiæ, quam emisso sacramento Facultati spoponderunt, in Collegium Sorbonicum convocavit, ubi post Missam de sancto Spiritu, more solito, celebratam, deliberarunt super executione Senatusconsulti, cujus hæc summa est, &c.*

Plura in hanc rem testimonia conjici possent, sed ista quindecim satis superque sufficiunt. Ex iis autem obscure constat, in more positum fuisse,

insti-

institutoque majorum, ut Facultas de rebus gravioris momenti non ante decerneret, quam Magistri conjunctim vel sigillatim jurarent, seu protestarentur, ex animo atque sincere, non odio vel favore se suam esse sententiam dicturos. Hic autem mos, hoc majorum institutum eo laudabilius est, quod qui de doctrina censent, in numero judicum ponantur, injuratis vero judicibus certa fides non habeatur.

ARTICULUS II.

In ferendo de doctrina cujusdam auctoris judicio non minus quam in aliis ferendis judiciis, locus est rejectioni judicum seu Magistrorum, qui vel propter inimicitias, vel propter aliam causam suspecti forent.

Vidimus in capitis 59. articulo 8. Joannem Montesonum conquestum esse, quod certi quidam Magistri judicium de thesibus suis per odium tulissent. Vidimus quoque a Facultate Theologiæ Montesono responsum non esse, quod propter causam odii vel aliam Magister nullus excipi posset. Facultas aliter respondit, ut ibi legere est. Intelligebat omnino eos, qui in alterius auctoris doctrinam inquirunt, non minus quam ceteros, seu sæculares, seu Ecclesiasticos judices excipi nonnunquam posse.

Ad illud tempus Joannes Gerso Parisiensis Can-

cellarius, tractatum de Examinatione doctrinarum composuit, aitque censuram librorum Facultati cuilibet Theologiæ deputari posse, *modo habeat Doctores, non partiales, non seductos, non factiosos, non invidos, non sæculari potestati vel spirituali plus faventes quam veritati; alioqui tolerabilius esset nullos Doctores habere, quam tales pati.* Memoriæ proditum est, Hussitas in Constantiensi Concilio Gersonem ut judicem rejecisse. Hussitis dictum non est, Gersonem rejici non posse, sed mirum videri cur rejicerent. Id sibi sumpsit Franciscus Zabarella Cardinalis Florentinus, cum Hussitis ita respondit: *Dicitis, o Hussitæ, Cancellarium Parisiensem vobis suspectum existere, qui tamen usque adeo superexcellens Doctor est, qualis in tota Christianitate vix reperiri queat.* Hoc Joannes Cochlæus refert in libro 2. de historia Hussitarum. Disciplinæ genus hujusmodi novum non est, sed ab antiqua Ecclesiæ traditione proficiscitur.

Id primum colligitur ex Gratiani & Valentiniani Imperatorum rescripto ad Romani Concilii epistolam in causa Ursicini: *Quod si vel metropolitani Episcopi, vel cujuscunque Sacerdotis iniquitas est suspecta, aut gratia, ad Romanum Episcopum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Episcoporum accersitum liceat provocare.*

Deinde ex literis, quas Innocentius I. ad Theophilum Alexandrinum scripsit, & quas Palladius in dialogo de vita Joannis Chrysostomi cap. 3. meminit: *Ad hæc*, inquit, *rescripsit beatissimus Papa In-*

no-

nocentius, communione neque utriusque partis admissa, Theophili judicium cassum atque irritum esse decernit, dicens oportere constare aliam irreprehensibilem Synodum Occidentalium & Orientalium Sacerdotum, cedentibus Concilio amicis primum, deinde inimicis, neutrarum quippe partium, ut plurimum rectum esse judicium. Quid clarius? quid ad propositum validius?

Innocentium Augustinus sequitur in libri 2. contra Julianum capite 10. ubi contendit Patres quos Juliano opponit, excipi jure non posse: *Verum etsi tales non fuerunt in his causis, quas ad se delatas, & inter partes cognitas, cum hic viverent, suo judicio finierunt; ad hanc tamen causam tales eramus, quando de illa sententias tulerunt. Nullas nobiscum, vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt, neque nobis, neque vobis irati sunt, neque nos, neque vos miserati sunt.* Quibus verbis ostendit perspicue, quo tempore rejectio judicum fieri potest, scilicet cum amicitiæ cum judicandis initæ attenduntur, vel inimicitiæ exercentur. Deinde post alia docet, qua ratione audienda & retinenda sit adversariorum de adversariis sententia. *Si vestra consideretur paucitas, multi sunt; si multitudo Catholicorum Episcoporum, perpauci sunt, ex quibus Papam Innocentium, & Presbyterum Hieronymum retrahere fortasse tentabis: istum, inquam, quia Pelagium Cælestiumque damnavit; illum, quia in Oriente contra Pelagium Catholicam fidem pia intentione defendit. Sed lege quæ dicat in laudem beatissimi Papæ Innocentii Pelagius;*

us, & vide utrum tales facile possis judices invenire. De illo autem sancto Presbytero, qui secundum gratiam, quæ data est ei, sic in Ecclesia laboravit, ut eruditionem Catholicam multum in Latina lingua, multis & necessariis literis adjuvaret, non solet Pelagius jactitare, nisi quod ei tanquam æmulo inviderit. Sed nolo ex hoc tibi videatur de istorum judicum numero retrahendus: non enim ejus sententiam posui, quam tempore inimicitiarum contra vestrum tenuit & defendit errorem; sed quam posuit in scriptis suis liber ab omni studio partium, antequam vestra damnabilia dogmata pullularent.

Auditur ergo & retinetur Innocentii de Juliano Pelagii sectatore judicium, quia Pelagius Juliani magister Innocentium laudaverat, & nisi laudasset, Augustinus satis innuit, a se nec auditum iri, nec retentum Innocentii de Juliani doctrina sententiam. Id confirmatur ex modo quem Pater æquissimus insumit, ut Hieronymi de Juliano sententiam retineat. *Ego*, inquit, *sententiam posui, quam liber ab omni studio partium tenuit: non posui sententiam, quam tempore inimicitiarum contra vestrum tenuit & defendit errorem.* Inimicitiarum tempus appellat illud, quod adversus Pelagium & Cælestium scripserat.

Non ignoro dici a quibusdam, exceptioni locum esse, cum de personis agitur, sed non esse, cum de doctrina personarum. Distinctionem hanc Augustinus proxime confixit, eaque sponte sua dissilit. Quæ enim facit ratio, ut inimicus de inimici persona

ſona non judicet, ea facit quoque, ut inimicus de inimici doctrina judicare nequeat: quaſi vero ulciſcendi cupiditas, quæ in inimico præſumitur, & partium ſtudia tantum arderent, cum inimici perſona judicanda eſt, ſed ſtatim extinguerentur, cum inimici doctrina judicanda foret. Bardos ac ſtipites habent homines, quibus inſulſitatem hanc perſuaderi poſſe velint. Præterea hæc diſtinctiuncula, ſicubi valet & admittitur, in judicio, quod de rebus fidei & morum pronuntiatur, non valet, nec admitti debet. Nam ſtatim atque perſonæ doctrina Catholicæ fidei & bonis moribus contraria judicatur, perſona in mortis vel exilii diſcrimen adducitur. Faceſſat hæc miſerrima diſtinctio, quam in Theologorum conſeſſum inferret, non quærendæ vel aſſerendæ veritatis amor, ſed ulciſcendæ injuriæ libido. Inventa eſt eo tantum conſilio, ut prætextu religionis privata odia exerceantur impune: & certe neſcio, an homo vere pius fugientem diſtinctionem retinere vellet.

Qui Calchedonenſis Concilii actionem primam diligenter perleget, Epiſcopum Epiſcopi alterius accuſatorem & judicem eſſe non poſſe obſervabit, & primum quidem inter ea quæ acta ſunt Calchedoni, ubi Judices & Senatus dixerunt: *Theodoretus Epiſcopus ut accuſator ingreſſus eſt, ſicut ex voce ejus audiſtis.* Alloquuntur Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum, qui ne Theodoretus in Concilium ingrederetur, impedire volebat. Et ibidem: *Dioſcorus Alexandrinus Epiſcopus, dixit: Et quamobrem in ordine Epiſcopi ſedet? Clariſſimi Judices,*

&

& amplissimus Senatus dixerunt: Episcopus Eusebius, & Episcopus Theodoretus in ordine accusantium sedent, sicut & vos in loco accusatorum sedetis.

Deinde inter ea, quæ eadem in actione gesta sunt Ephesi. *Eutyches Archimandrita dixit: Directi religiosissimi viri a sanctissimo & Deo amantissimo Leone Archiepiscopo Romanæ Ecclesiæ in sanctam vestram Synodum suspecti mihi facti sunt. Manserunt enim apud religiosissimum Flavianum Episcopum, & pransi sunt apud eum, & munerati sunt, & omne obsequium eis præbuit: postulo ergo vestram sanctitatem, si quid ab eis injuste factum fuerit contra me, id præjudicium mihi non generare.* At Legati quos Eutyches rejecit, erant Julianus Coensis Episcopus, Renatus Presbyter, Hilarius Diaconus Romanus, & Dulcitius Notarius, qui Ephesinæ Synodo secundæ interfuerunt, & eo nomine non interfuerunt Calchedonensi Concilio, sed alii: scilicet Paschasinus Lelybæi in Sicilia Episcopus, Lucentius Asculanus Episcopus, Bonifacius & Basilius Romani Presbyteri, quibus Leo Julianum Coensem adjunxit. Sed, ut patet ex actis Concilii, præcipuum legationis munus fuit penes Paschasinum, Lucentium & Bonifacium. Sic Leo hac in Legatorum suorum rejectione Eutycheti non contradixit.

Tum Eusebius Dorylæi Episcopus, qui primus Eutychetem accusaverat, illius condemnationi minime subscripsit, ut videre est *inter acta Constantinopoli, lecta Ephesi, & Calchedone relecta.* Sed

inter

inter acta Constantinopoli, post Eutychetis depositionem, Ephesi acta sub Dioscoro, & relecta Calchedone, Eusebius hic subscribit.

Denique in actione 4. Calchedonensis Concilii, Eusebius Dorylæi Episcopus, qui & alios libellos Concilio adversus Dioscorum obtulit, Dioscori condemnationi minime subscripsit: etiamsi ceteri Antistites semel atque iterum subscripserint, semel adhibita ratione, iterum non adhibita ratione. Eusebius in eadem actione cum aliis Episcopis Leonis epistolam approbat, & ei subscribit.

Gelasius primus in Commonitorio ad Faustum legationis officio Constantinopoli fungentem, sic ad usum rejiciendorum in Ecclesia judicum, respectat. *Quæro tamen ab illis judicium quod prætendunt, ubinam possit agitari, an apud ipsos, ut iidem sint inimici & testes & judices: sed tali judicio nec humana debent committi negotia, nedum divinæ legis integritas?* Comparatio hæc rem qua de agitur, evincit.

In Duziacensis Concilii, quod anno 871. habitum est, capite 6. ponitur, Hincmarum Remensem Archiepiscopum rejici posse ut judicem, si causa legitima subsisteret. Non Hincmaro Laudunensi Episcopo Hincmarus Metropolitanus Episcopus respondit: *Non habes contra me aliquid causæ, ut me in aliquo postponere debeas, & recipere judicium meum non debeas;* & cetera, quibus, quæ Hincmarus Laudunensis Metropolitano suo objicit, ut rejectioni inopportuna statim publice dispelluntur. Metropolitanus in cap. 9. Patres sen-

ten-

tentiam rogat, & ultimus suam ex scripto dicit sententiam, qua Hincmari Laudunensis depositionem confirmat; sed in Episcoporum catalogo, qui sequitur, primus omnium subscribit.

ARTICULUS III.

In Constantiensi Concilio certæ quædam traduntur notæ, quibus damnandæ propositiones configantur.

Cum ad certam regulam potius, quam ad incertam loqui necesse sit, operæ pretium esse duxi, censurarum notas quæ a Constantiensi Concilio in auctoritatem admittuntur, referre. Verum ut res tota plene intelligatur, ex illo refero loca quatuor, in quibus censurarum notæ describuntur.

Primus est in sessione 8. ubi Joannis Wicleffi articuli condemnantur. Sic autem se res habet: *Repertum fuit aliquos & plures ex iis fecisse, & esse notorie hæreticos, & a sanctis Patribus dudum reprobatos, alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos & blasphemos, quosdam piarum aurium offensivos, & nonnullos eorundem temerarios & seditiosos.*

Alter in sessione 15. ubi articuli Joannis Hussi charactere, ut vocant, Italico exarati, condemnantur. Sic autem se res habet: *Fuit & est repertum, aliquos & plures ex ipsis fuisse & esse notorie hæreticos, & dudum a sanctis Patribus reprobatos, quosdam blasphemos, alios erroneos, alios scandalosos, quos-*

quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos eorundem temerarios & seditiosos.

Tertius in eadem sessione, ubi articuli Joannis Hussi, Romano, ut ajunt, charactere, delineati, condemnantur. Sic autem se res habet: *Quos etiam idem Joannes Huss in publica audientia coram Patribus & Prælatis hujus sacri Concilii confessus fuit in suis libris & opusculis contineri, non esse Catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos, sed ex eis plures esse erroneos, alios scandalosos, aliquos piarum aurium offensivos, pluresque eorum esse temerarios & seditiosos, & nonnullos eorundem esse notorie hæreticos.*

Quartus in Constitutione qua Martinus V. Wicleffi & Hussi errores confixit, sacro approbante Concilio, & modum interrogandi eos, qui ab hæresi condemnata redirent ad Ecclesiam, præscripsit. Sic autem se res habet: *Item specialiter literatus interrogetur, utrum credat sententiam sacri Constantiensis Concilii super quadraginta quinque Joannis Wicleff, & Joannis Huss triginta articulis latam, fore veram & Catholicam, scilicet quod supradicti 45. articuli Joannis Wicleff, & Joannis Huss 30. non sunt Catholici, sed quidam ex iis sunt notorie hæretici, quidam erronei, alii temerarii & seditiosi, alii piarum aurium offensivi.* Hic vel impii vel impiæ propositionis nomen apparet nusquam, nec merito apparere potuit, quia varios significatus habet, ac proinde ambiguum censuræ notam importaret: ut enim pius erga Deum, parentes & patriam, sic & impius quis dicitur?

In duobus locis prioribus blaſphemi nomen ponitur, in duobus poſterioribus non ponitur. In duobus locis prioribus quod blaſphemi nomen Oxonienſes & Pragenſes Theologi adhibuerunt, id in duobus poſterioribus rejectum eſt; ſed mirum, quod in eadem articulorum Huſſi damnatione, nomen blaſphemi uno in loco ponatur, in altero non ponatur. Quo fit, ut ſi in vocis illius uſu auctoritas utriusque loci ſpectetur, incerta & caduca mihi plane videatur. Sed locus ultimus prævalere debet, tum quia ultimus eſt, & ob id perpenſus recenſione majori & accuratiori judicandus: tum quia Concilii totius, cui tunc legitimus Pontifex Martinus V. non interfuit modo, ſed etiam præfuit: tum quia ibi revertentes ad Eccleſiam hæreticos, interrogandi modus præſcribitur, in quo nihil mancum & imperfectum, nihil redundans ac ſuperfluum, ſed neceſſaria tantum collocantur. Ad hanc igitur amuſſim non albam quidem, ſed certam diſputandum eſſe mihi videtur. Melchior Canus in libri 12. de locis capite 10. recenſet ea, quæ in Conſtantienſi Concilio leguntur in duobus locis poſterioribus; & Dominicus Bannes in ſecundam ſecundæ, quæſt. 11. art. 2. quæ duobus in locis poſterioribus leguntur: & tamen hic auctor blaſphemæ propoſitionis definitionem nullam tradit, nec memini me legere ullum Theologum, qui tradiderit. Hæc de Conſtantienſi Concilio admonere volui, ne quis hac in obſervatione noſtra vel fucum faciat, vel ſibi fieri patiatur.

Fortaſſis dicet aliquis Theologiæ Doctores

eſſe

esse nonnullos, qui censuras quasdam fecerint, in quibus hæ notæ duæ, quas excutimus, usurpantur. Fortassis hoc dicet; sed ego dicam eos suum sibi exemplum esse, nec ullum habere Concilium auctoritatis tantæ, quantæ est Constantiense, quod sequantur. Ego Concilium hoc ut ducem optimum & certissimum sequor, nec super Concilii hujus sobrietatem sapere volo: ac proinde quidquid illud est ad me non attinet, nisi notas hujusmodi definiant, & per eas rite definitas gradum erroris demonstrent sejunctum ab eo, quem propositio erronea vel hæretica importat. Unde Bannes in secundam secundæ, quæst. 1 art. 10 dubit. 2. sapienter ait, *non esse licitum Theologo præsertim in re gravi novas opiniones inducere, nisi magna & necessaria ratione cogente.* Quod vir prudens de inducendis opinionibus novis pronuntiat, id ego quoque de novis censurarum notis pronuntio. Ceterum blasphemia, cum nihil aliud sit, quam execratio, maledictio, convitium, & quasi nocens dictum, & sacrilega obtrectatio; impietas quoque, cum nihil aliud sit, quem scelus & injustitia adversus Deum, patriam, parentes & amicos; non tam sunt notæ censurarum, quam ea quæ censurarum notis affici possunt. Præterea βλασφημεῖν cum aliud nihil sit, quam dignitati, honorique alterius derogare, τὸ βλάσφημον nihil aliud erit, quam injuriosum. quod a nonnullis Theologis inter censurarum notas reponitur; & eam illi definiunt, quæ *alicui aut statui, aut personæ injuriam facit*; & in exemplum assumunt certas quasdam Wicleffi pro-

positiones, quas Constantiense Concilium damnavit. A nonnullis dixi Theologis, quia sunt & alii, qui eam propositionem injuriosam prætermittant, quod ea in Constantiensi Concil. non reperiatur.

Quod autem de hoc Concilio circa impiam & blasphemam propositionem observamus, de propositione falsa observandum est. Nam Theologi quidam falsitatem censurarum notis adscribunt, quod Constantiense Concilium non fecit. Intelligebat axioma illud Philosophiæ: *Ab eo quod res est, vel non est, propositio est vera, vel falsa.* Sic vera propositio dicitur ea, quæ objecto conformis, & falsa ea, quæ objecto conformis non est. At quod est duntaxat falsum, notam in Theologia nullam meretur, alioqui proscriberetur quævis opinio, cum ea ut falsa refutari possit. *Opinio enim est assensus probabilis, cui non repugnat subesse falsum.* Quod vero ita falsum est, ut in detrimentum fidei, vel christianarum institutionum redundet, pro modo rei receptis censurarum notis compungitur. Nunc ne quid desit huic articulo, tradendæ sunt definitiones notarum, quas Martinus V. & Constantiense Concilium vindicandas & retinendas esse duxerunt.

Quid sit hæresis seu hæretica propositio.

Antiquiores Theologi, ut Rupertus in regulam sancti Benedicti, hæresim ita definiunt: *Hæresis est contradicere sanctæ & canonicæ scripturæ; affirmare aliquid, quod ab illa negatum est; &*

nega-

negare aliquid, quod ab illa affirmatum est. Deinde alii apud Guillelmum Okamum in libro 2. dialogorum cap. 6. *Hæresis est dogma falsum fidei orthodoxæ contrarium. Definitio hæc constat genere*, quod est dogma falsum, *& differentia*, quæ est fidei orthodoxæ contrarium.

Petrus Garsias ex Parisiensi Theologo Ussellensis Episcopus, in suis determinationibus Theologalibus: *Assertio catholica est veritas ex lumine revelationis immediate vel mediate habita, explicite & in propria verborum forma, vel implicite bona & necessaria consequentia deducta.*

Melchior Canus in libri 12. de locis cap. 7. *Hæresis*, inquit, *est ejus, qui fidem professus fuerit, error pertinax illi veritati manifeste contrarius, quæ Catholica certo sit.*

Dominicus Bannes in secundam secundæ, quæst. 10. art. 2. *Hæresis est propositio directe contraria veritati fidei.*

Joannes Bagotius institutionum Theolog. de vera relig. lib. 4. disp. 5. cap. 1. *Propositio hæretica a Patribus intelligitur ea, quæ contradictoria est alicui propositioni fidei per se directe, ita ut hæretica neget quod propositio revelata & ab Ecclesia definita ut talis affirmat, aut illa affirmet id quod ista negat.*

Hi auctores omnes reipsa pene conveniunt; sed alii aliis disertius loquuntur, & ad usum Scholæ accommodatius.

Quid sit erronea.

PEtrus Garsias ibidem: *Propositio erronea dicitur, propositio asserens aliquid esse falsum, quod est verum. Unde Augustinus libro de Academicis dicit, quod error est falsa pro variis approbare.*

Melchior Canus in libri 12. de locis cap. 7. ad Constantiensis Concilii mentem sic definit erroneam propositionem: *Error, qui & minus quiddam, quam aperta hæresis, & Catholicæ doctrinæ tamen contrarius est, propositio erronea vocatur.*

Dominicus Bannes in secundam secundæ, quæst. 11. art. 2. pluribus de propositione erronea disputat; sed illa omnia eo deveniunt, ut propositio erronea sit, *quæ indirecte contra fidem pugnet.*

Joannes Bagotius in loco jam citato: *Erronea in fide est propositio omnis, quæ contradictoria est & opposita doctrinæ ab Ecclesia definitæ, quam non tantum ut probabilem, sed ut certam & indubitatam asserit Ecclesia, sive hæc propositio sit a Deo revelata, sive non sit revelata.* Sed paulo post explicatius: *Quæ propositio non per se, sed per aliud, nec primo, sed secundario, nec directe, sed indirecte opponitur fidei divinæ & auctoritati, sed tantum directe Ecclesiæ auctoritati, hacque mediante auctoritati illi Dei opponitur, ea dicitur erronea.* Theologi in propositionis erroneæ definitione satis conveniunt, sed in adferendis exemplis, quibus eam definitionem confirment, vix conveniunt.

Quid

Quid sit temeraria.

JOannes Turrecremata, qui ex sacri palatii Magistro Cardinalis factus est, in libro de Pontificis & generalis Concilii auctoritate: *Temeraria*, inquit, *definitio* (seu propositio) *est, quæ nec auctoritate, nec ratione certa probari potest.*

Petrus Garsias: *Temeraria propositio est propositio asserens aliquid tanquam certum, quod non potest efficaci ratione probari, vel auctoritate, sicut propositio asserens, quod mundus finietur intra centum annos; hæc autem propositio licet possit esse vera, hoc tamen asserens, dicitur temerarius, & propositio temeraria, quia ad hoc nec auctoritas, nec ratio efficax habetur.*

Melchior Canus in loco jam citato: *Quæ non inconsulta ratione modo, sed confidenti audacia, insolentia proterva, exultatione impudenti, & jactatione superba, non contra fidem dico, sed contra Ecclesiasticæ modestiæ regulam afferuntur, ea Theologi in præsenti temeraria censent, & inter errorum gradus constituunt.*

Dominicus Bannes in loco jam citato: *Temeraria propositio est, quando aliquis asserit quidpiam contra communem opinionem Ecclesiæ aut Theologorum, sine magna auctoritate in materia gravi.*

Joannes quoque Bagotius in loco jam citato: *Temeraria propositio in fide est, quæ nullo auctore fide digno, nulla ratione probabili nititur,*

& aliquatenus ſpectat ad fidem, aut Eccleſiæ doctrinam.

Sic in temerariæ propoſitionis notione, Magiſtri ſine controverſia concordant, in uſu non item: uſque adeo difficile eſt exempla ponere, quibus notio hæc vere conveniat.

Quid ſit piarum aurium offenſiva.

PEtrus Garſias ibidem: *Propoſitio ſcandaloſa aut piarum aurium offenſiva eſt, quæ cum modificatione adjuncta eſt vera, per ſe tamen & abſolute prolata videtur favere propoſitionibus hæreticalibus hæreticorum.*

Melchior Canus in loco toties citato, de propoſitione piarum aurium offenſiva ſic cenſet: *Propoſitionem ſcandaloſam quidam cum piarum aurium offenſiva confundunt, ut verbis diſtinguantur, re eædem prorſus ſint.* Et paulo poſt: *Hic ſcandalum more vulgi non uſurpamus pro eo, quod aures offendit, quodve populus fidelis horret, ſed pro eo, quòd infirmis cauſam ruinæ præſtat; & quod ante fidelium pedes poſitum, eos facit in illud incurrere, irruere, offendere.*

Huc ſpectat Bagotius, cum loco citato ait: *Propoſitio piarum aurium offenſiva eſt, quæ non tam doctos ipſos, quam pios offendit, quia licet aliquem ejus ſenſum bonum & catholicum intelligant, pii tamen eo quem præ ſe fert, ſenſu offenduntur.* Et paulo poſt adjicit ad notas, quæ mox explicatæ ſunt, *revocari poſſe alias, quæ dicuntur blaſphemæ, ſeditioſæ, impiæ.*

Quid

Quid ſit ſeditioſa.

IN quarto Conſtantienſis Concilii loco, ſeditioſa propoſitio inter cenſurarum notas ſtatuitur, ſed illius definitionem pauci tradiderunt.

Petrus Garſias ibidem: *Propoſitio ſeditioſa dicitur, quæ diviſionem & ſchiſma inducit in populo.*

Hæc habui, quæ ad Concilii illius loca quatuor, & ad notarum, quibus certæ quædam propoſitiones configi poſſunt, definitionem diſſererem, ne qui difficillimo cenſorum munere funguntur, per rerum, quæ in eo Concilio geſtæ ſunt, & notarum quæ ex variis auctoribus relatæ, ignorantiam aberrent, ut quidam aberrare ſolent.

Præterea cenſores ſibi ſemper ante oculos debent ſtatuere, quod Guillelmus Okamus acute obſervat in capite 12. libri 2. dialogorum: *Sicut non poteſt ſummus Pontifex, nec etiam tota Eccleſia Dei de aſſertione non vera facere veram, nec de aſſertione non falſa facere falſam; ita non poteſt de aſſertione non catholica facere catholicam, nec de aſſertione non hæretica facere hæreticam.*

ARTICULUS IV.

Decidendarum rerum indiculus Magiſtris ſingulis præberi ſolitus.

COnſuetudo, de qua ſermo inſtituitur, rationi facile conſentit. Nam qui judicat, rem de qua judicat, eum apprime noſſe oportet. Magi-

ilri ſinguli ſuper re ad deliberandum propoſita cenſent & pronunciant: quod cum Facultas Theologiæ probe teneat, rerum decidendarum indiculum Magiſtris ſingulis diſtribuere ſolet. In medium adfero teſtimonia nonnulla, quibus illud confirmetur.

Primum ducitur ex illa cenſura, quæ ad annum 1387. contra Joannem Monteſonum lata eſt, & ſic ſe habet: *Ad viſitandum prædictum quaternum ejus propria manu ſcriptum, & ex ordinatione dictæ Facultatis per eum exhibitum, deputati fuerunt ſex Magiſtri, tres Religioſi, & tres Sæculares, qui licet poſt longum examen eſſent in opinione concordes; tamen ſuam relationem ſuper hoc facere noluerunt, niſi darentur iterum alii ſex ex parte ejusdem Facultatis, qui iterum cum aliis dictum quaternum, & quædam alia ejus ſcripta per ipſum poſtea confeſſata, diligentiſſime viſitarunt, & diligenti viſitatione omnia ſcrutati ſunt; ſed non obſtante prædictorum 12. Magiſtrorum concordia, ut totum ſecurius & irreprehenſibilius ageretur, datæ fuerunt omnibus Magiſtris, & pluribus Baccalariis prædictæ Facultatis certæ ſchedulæ antedictas aſſertiones continentes, ut quisque ſuam ſuper his opinionem ſcriberet.*

Alterum comparatur ex cenſura, qua Joannis parvi aſſertiones novem percelluntur.

Magiſter Guillelmus Beville Magiſter in Theologia, dixit: Ideo apparet ſibi, quod illi, qui alias non viderunt iſtas propoſitiones, habeant copiam, & motiva condemnationis & deliberationis.

Ur-

Ursinus Tallevandus Magister in Theologia, dixit: Ideo sibi videtur, quod est facienda inquisitio, an in libello isto continentur hujusmodi assertiones, vel non; & si sic, tunc materia erit discutienda, & debebunt articuli mitti illis, qui vocabuntur ad deliberandum.

Joannes Matthæus Magister in Theologia, dixit, quod est novum in hac materia; dixit, quod dicere, homicidium esse licitum, est hæreticum; & dixit, quod prima propositio est erronea, nec est desistendum a condemnatione ejusdem: alias vero propositiones vellet videre, & plenius deliberare super iisdem.

Theobaldus Picardi Carmelita, Magister in Theologia, dixit, quod bonum esset prius eas (propositiones) *communicare, ut singuli Magistri habeant ipsas videre.*

Nicolaus Canache Canonicus Parisiensis, Magister in Theologia, dixit, quod alias materiam non vidit, de præsenti in particulari nesciret deliberare; & ideo vellet habere articulos in scriptis, & melius posset deliberare.

Matthæus Roedert Magister in Theologia: Ideo deliberat quod quia Magistri omnes non viderunt ipsas, (propositiones) *mittantur Magistris, ut deliberare valeant quoad judicialem condemnationem.*

Jordanus Morini Magister in Theologia, vult bene quod Magistri habeant schedulas & articulos.

Joannes de Dulcimesnillo Magister in Theologia, di-

dicit, quod bonum esset videre quaternum defuncti Magistri Joannis Parvi, ad sciendum si articuli contineantur in propositione sua; & ideo propter arduitatem materiæ, est opinionis quod mittantur schedulæ, & Magistri habeant ad deliberandum plenius.

Guillelmus Pulcrinepotis Magister in Theologia, est opinionis, quod mittantur schedulæ Magistris, quam citius fieri poterit, & quod Magistri habeant dare deliberationem in scriptis.

Matthæus Mercerii Magister in Theologia, dicit, quod de præsenti non auderet deliberare, & consulit mittere schedulas.

Nicolaus de Dano Magister in Theologia, est opinionis, quod habeantur schedulæ, & mittantur Magistris.

Henricus Nannetensis Episcopus, ut condemnatio fiat solennius, vult quod mittantur schedulæ, & postea vocentur Magistri quando placuerit.

Joannes de Castellione Magister in Theologia, dicit, quod nunquam fuit super ista materia vocatus; & ideo videtur sibi quod bonum est mittere schedulas, ut Magistri possint deliberare.

Benedictus Gentiani Magister in Theologia, est opinionis, quod mittantur schedulæ super assertionibus, de quibus in instrumento fit sermo.

Erardus Ermengardi Magister in Theologia, dicit ad idem quoad mittendas schedulas Magistris.

Radulphus de Porta Magister in Theologia, dicit pla-

placere sibi, quod mittantur schedulæ Magistris, ut maturius habeant deliberare.

Guillelmus Pinguisavis Magister in Theologia, petit schedulas mitti Magistris antequam ulterius procedatur in materia.

Joannes Graverant Magister in Theologia, Ordinis Prædicatorum, est opinionis, ut negotium sit magis securum, quod mittantur schedulæ.

Joannes Baldovini Magister in Theologia, est opinionis, quod prius mittantur schedulæ.

Joannes Broust Magister in Theologia, est opinionis, quod Magistri habeant schedulas, & quod mittantur schedulæ ipsis Magistris.

Joannes Michaëlis Magister in Theologia, Ordinis Prædicatorum, dicit, quod propositiones sunt condemnandæ, nec esset differendum nisi propter hoc, quia Magistri non habuerunt schedulas.

Joannes de Landissono Magister in Theologia, stat ad idem quoad schedulas mittendas.

Petrus de Versailles Magister in Theologia, dicit quod non est differendum, nisi propter illos, qui non habuerunt schedulas, & est opinionis, quod mittantur.

Petrus Parvi Baccalarius formatus in Theologia, dicit quod schedulæ sunt mittendæ.

Joannes Lamberti Baccalarius formatus in Theologia, dicit quod mittendæ sunt schedulæ.

Et sic de aliis.

Est autem tenor schedulæ missæ talis.

Ex parte domini Episcopi & Inquisitoris, & Concilii fidei solennissime congregati, Magister reveren-

rende, mittitur vobis schedula continens assertiones aliquas cum suis reprobationibus: quare requirimus vos sub pœnis juris, ut detis deliberationem vestram publice, & in scriptis vel verbo tenus, si hujusmodi assertiones, de quibus ortum est notorie scandalum, sicut fatetur Concilium fidei, sint erroneæ & taliter condemnandæ, ut consequenter procedere valeamus, sicut juris ordo postulabit. Sequuntur assertiones hæ ex cod. MS.

Tertium depromitur ex condemnatione propositionum, quas in actu magnæ Ordinariæ Hieronymus Clicthoveus defenderat, anno Christi 1521. *Quod intelligens ordinavit Facultas, inprimis audiendos esse & Magistrum, qui præsedit actui, & ipsum Baccalarium, ut sensus particularum ipsius conclusionis per eos prætensos exponerent, probationesque suas darent: ipsis autem ab eadem Facultate non semel auditis & ponderatis, quas etiam scripto tradidit idem Baccalarius, probationibus decrevit, quatuor primas ejusdem conclusionis particulas, ultima, quæ sine offendiculo teneri potest, relicta, transscribendas esse, & singulis Magistris nostris communicandas, ut de illis post sufficiens examen, sententias dicerent.*

Quartum comparatur ex Joanne Arboreo Parisiensi Theologo, qui ad annum 1540. floruit, lib. 3. Theosophiæ, cap. 27. *Ad hæc difficillima & perardua rei hæreticæ discutienda negotia, plurimum habet momenti, & confert sacratissima Theologorum Parisiensium Facultas, quæ tametsi extremam hisce censuris manum non admoveat, nec adhibe-*

hibeat, nec finiat quicquam, quod ad obedientiam adstringat omnes; exacte tamen, sincere & doctissime ecclesiasticas imitando sanctiones judicat, profert, eloquitur & admonet; nec tamen absque stabili & inconcusso judicio, docet quidnam sit prorsus fugiendum, & evitandum in perniciosissimis hæreticorum dogmatibus. Seligit & illa peritiores & ingeniosiores, & eos, qui præcellunt doctrina & jugi in hac arena exercitatione. Refert unusquisque suas lucernulas, suumque codicillum Facultati, ac compositissimo Theologorum ordini. Utrinque excutiuntur, qui suboriri possunt, scrupi, accusati rationes librantur, & ex ditissima sacræ Scripturæ penu promuntur ad illum confutandum, constitutis tamen indicibus, certissima testimonia. Censent aut eum depravasse sacras literas, aut perperam intellexisse.

Ex his autem argumentis quatuor, colliguntur duo, Facultati Theologiæ mos, quo decidendarum rerum indiculus Magistris singulis præbetur; & hujus moris necessitas, nempe ut ex certa causæ cognitione judicium feratur: etenim nisi modo tali ferretur, injustissimum foret.

ARTICULUS V.

Facultas Theologiæ determinationes suas, non asserendas simpliciter, sed probandas esse censet.

DOctrinæ determinatio probari dupliciter potest. Et primo quidem unicuique censuræ ad-

ut rationabilis quorundam errorum condemnatio Parisiis nuper facta, ac justificatio exortæ super hoc causæ, & adversantium omnium quæcunque injusta, irrationabilisque conquestio, oblocutio atque vexatio, singulis innotescat, præsentem tractatum sub Apostolicæ Petri Sedis, & sedentis in ea summi Pontificis, correctione duximus compilandum. Deinde quicquid illud est, ita postea confirmat: *Item nec Papa, nec Doctores Juris canonici, si non sint Theologi circa ea, quæ sunt fidei aliquid catholice discutiunt, vel authentice determinant, sine Theologorum doctrinali determinatione prævia, cum Papa in hæresis condemnatione consuevit reddere Theologicam rationem, sicut fecit Alexander III. Extra de hæreticis, cap. Cum opus, & Innocentius III. de summa Trinitate, cap. Damnamus. Et si quando hujusmodi rationem Papa, vel alii condemnatores hæresium in sua condemnatione non reddunt; in aliis tamen scriptis tacite vel expresse eam reddere consueverunt. In talibus autem rationibus Theologicis. alii non Theologi, quamvis in Jure Canonico peritissimi, in glossis & tractatibus suis a Doctoribus Theologis mendicant, sicut patet de Joanne Andrea in multis locis, & specialiter in cap. Ad nostrum de hæreticis, in Clementinis; & quando aliter faciunt, eos nimirum errare contingit.* Quod si Papa damnatæ a se hæreseos rationem ex certis Theologiæ principiis desumptam reddat, quidni & Facultas Theologica redderet?

Sic illa loquitur in responsione, quam anno 1502.

propositis sibi ab Ecclesia Parisiensi quæstionibus dedit: *Sacra Theologiæ Facultas fuit Parisius per juramentum solenniter apud sanctum Maturinum, specialiter de more congregata, parata semper omni poscenti reddere rationem de ea, quæ in nobis est, fide & spe.*

Sic illa loquitur in censura, quam anno Christi 527. in plures Erasmi libros tulit: *Nos rationem reddere volentes de ea, quæ in nobis est, fide, re diutius ac maturius perspecta, tandem non solum super dictis propositionibus respondendum censuimus; sed & rationes & Scripturarum testimonia pro instituti brevitate pauca subjicere ad cautelam, ubi opus visum est, curavimus.*

Sic illa loquitur in judicio, quod anno Christi 1554. de institutione Societatis JESU pronunciavit: *Sed quoniam omnes, & præsertim Theologos, paratos esse oportet ad satisfactionem omni poscenti de his, quæ ad fidem, mores, & ædificationem Ecclesiæ pertinent, dicta Facultas poscenti, mandanti, & exigenti Curiæ prædictæ satisfaciendum duxit.*

Hæc sufficiunt, ut Facultatis consuetudo probetur, quam Lutherus, cum non bene novisset, in censura contra se lata desideravit. Cui Hieronymus Hangestus in libro de Academiis cap. 4. sic respondit: *Præterea eximiæ Facultatis Theologiæ Parisiensis determinationes inique carpit, & insipienter subsannat hic maledicus sycophanta, quod ipsa suis determinationibus rationes non adjiciat. Profecto adjecit: Conciti enim atque in unum congre-*

gregati ad hujusmodi rerum examinationem & discussionem, validas rationes in medium adduxerunt perdocti Patres, quibus suas probarunt, fulserunt & stabilierunt decisiones; & quis ambigit interdum non expedire eas passim divulgari? Id crebro & prudenter quidam agunt legum latores atque judices, qui ad evitandas malignantium calumnias, nonnunquam suarum sanctionum, aut judiciorum causas plebi subticent, eas eruditis & probis, dum expedit, depromturi.

Complures Theologi, & præsertim Judocus Clicthoveus, editas adversus Lutherum determinationes probarunt, nova illius dogmata impugnarunt, & antiquam fidem confirmarunt. Nicolaus Coeffeteus mysterii Plesleani censuram ingenti libro defendit. Franciscus Hallerius ecclesiasticam Hierarchiam defendit adversus Hermanni Loemelii Spongiam, & ab hujus impetitionibus censuram Facultatis Theologicæ vindicavit. Juris publici liber est, qui talem præ se fert inscriptionem.

Ceterum hæc Facultatis nostræ institutum ex receptis apud œcumenicas Synodos moribus descendit, & hi mores innituntur beati Petri testimonio, quod Facultas tam sæpe laudavit. Non attingo Synodos Nicænam & Constantinopolitanam primam, quarum acta non superant integra, sed Ephesinam, Calchedonensem & alias, quæ & Scripturas, & undique accersita Patrum testimonia, tanquam principia, bases & fundamenta definitionibus fidei præmittunt.

 Leo

Leo Pontifex magnus hujus rei exemplum insigne, memorabile, & posteris omnibus imitandum reliquit. Hic enim cum de fide Calchedonensi ad Leonem Augustum scripsit, etiamsi potuerit illum ad Synodum, & Synodi probationes remittere, non tamen remisit. Probationes adjunxit, quæ cum ex Scripturis, tum ex Patribus petuntur. Leonis verba sunt: *Promisisse me memini, venerabilis Imperator, in causa fidei, de qua clementiam tuam novi pie esse solicitam, pleniorem humilitatis meæ dirigendum esse sermonem, quem nunc, auxiliante Domino, fideli occasione persolvo, ut sancto pietatis tuæ studio utilis, quantum arbitror, deesse non possit instructio. Quamvis enim sciam clementiam tuam humanis instructionibus non egere, & sincerissimam de abundantia Spiritus sancti hausisse doctrinam; officii tamen mei est, & patefacere quod intelligis, & prædicare quod credis, ut ignis ille, quem Dominus veniens misit in terram, motu crebræ meditationis agitatus, sic coalescat, ut ferveat, & sic inflammetur, ut luceat.* Et post alia, de Nestorii & Eutychis hæresibus, deque pluribus locis Scripturæ subjicit: *Non ergo quisquam erubescendum existimet Christianus de nostri in Christo corporis veritate, quia omnes Apostoli, Apostolorumque Discipuli, & præclari Ecclesiarum quinque Doctores, qui ad martyrii coronam, vel ad confessionis meruere gloriam pervenire, in hujus fidei lumine splenduere, consonis ubique sententiis intonantes, quod in Domino JESU CHRISTO deitatis & carnis una sit confitenda persona.* Et quibusdam interpositis: *De quo cum san-*

ſanctarum literarum nulla pars ſileat, ſufficit quædam conſona veritatis ſigna poſuiſſe, quibus diligentia fidei ſplendidiſſima latitudine dirigatur, & ſincera intelligentiæ luce perſpiciat, quod in Filio Dei, qui ſe inceſſabiliter filium hominis, & hominem profitetur, non ſit Chriſtianis erubeſcendum, ſed conſtantiſſime gloriandum. Ut autem pietas tua cum venerabilium Patrum prædicationibus nos concordare cognoſcat, aliquantas eorum ſententias huic credidi ſubjiciendas eſſe ſermoni, quibus ſi digneris attendere recenſitis, non aliud nos prædicare reperies, quam quod ſancti Patres noſtri toto orbe docuerunt, quanquam ab illis, niſi ſolos impios hæreticos diſcrepare. Patres autem, quorum teſtimonia recenſet, hi ſunt, Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, Athanaſius Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, Ambroſius Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Auguſtinus Hipponenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Theophilus Alexandrinus Epiſcopus, Gregorius Nazianzenus Epiſcopus, Baſilius Cappadox Epiſcopus, Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus.

Quod autem Leo tam fideliter præſtitit, id ante & poſt Leonem, Patres & Pontifices alii præſtandum beati Petri auctoritate comprobarunt.

Joannes Chryſoſtomus in libri 4. de ſacerdotio capite 3. *Et alius quidam ex Apoſtolis unum hortatur, ut hujus ſermonis vim ſtudioſe complectamur, inquiens: Parati ſemper ſitis ad reſpondendum cuilibet poſcenti, ut loquamini de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.* Deinde in ejusdem libri capite 8. *Ac rurſus*

ſermo veſter ſemper cum gratia ſit ſale conditus, ut ſciatis, quomodo oporteat vos unicuique reſpondere. *Jam id vult Petrus ut parati ſemper ſimus ad reſpondendum: omnibus quidem præceptum eſt.*

Flavianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in epiſtola ad Theodoſium Imperatorem: *Nihil ita convenit Sacerdoti, & dogmatibus erudito divinis, quam paratum eſſe ad ſatisfactionem omni poſcenti eum rationem de ſpe, quæ eſt in nobis, & gratia.*

Pelagius I. in epiſtola ad Childebertum Regem Galliæ: *Hæc eſt*, inquit, *fides tua & ſpes mea, quæ in me dono miſericordiæ Dei eſt, pro qua maxime paratos eſſe debere beatus Petrus Apoſtolus præcipit ad reſpondendum omni poſcenti nos rationem.*

Deinde in epiſtola 12. ad Epiſcopos Tuſciæ, quos ob ſchiſma redarguit: *Nos ſecundum Apoſtolicam ſententiam parati ſumus ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de ea, quæ in nobis eſt, fide, quia in nullo a ſanctis Patribus, cuſtodiente divina gratia cognovimus deviaſſe.*

Nicolaus I. in epiſtola 42. ad Epiſcopos Galliarum: *Porro ne juſtitiam regere noſtræ videamur voluntatis arbitrio, ac per hoc æſtimemur canonicis legibus contraire, ſancimus atque decernimus, quatenus ſæpedictus Rothadus* (Sueſſionenſis Epiſcopus) *paratus ſit omni regulariter poſcenti de ſe, quia, Deo propitio, nulli parti favere volumus contra juſtitiam coram ſedis Apoſtolicæ præſule, reddere*

ratio-

rationem. Pontifex respectum habet ad beati Petri locum, quo Chrysostomus, Flavianus & Pelagius utuntur. Sic Facultas Theologiæ cum censuras & decreta sua probanda esse judicat, sanctorum Patrum traditioni firmiter adhæret, eosque, qui Facultatem ab hoc onere liberant, ignorantiæ crassioris convincit. Et sane partes illæ quas beatus Petrus Facultati, & ceteris doctrinæ exploratoribus imponit, omnino perficiunt, aut debent perficere, ut quas censuras edit & decreta, hæc accuratione & circumspectione majori edantur, & nulla solida possint, aut certe probabili ratione confutari: id tum demum fiet, cum censurarum notæ damnandis propositionibus vere aptabuntur. En Rhodus, en saltus.

Profecto Theologiæ Facultates Parisiensis, Oxoniensis, & Coloniensis, non semper olim adhibuerunt tantum diligentiæ, quantum par erat ad condendos suos articulos, ut fidem facit certum quoddam dicterium, cujus Joannes major meminit in librum secundum sent. dist. 30. quæst. 4. editionis anni 1510. & anni 1519. *Parisienses articuli non transeunt Sequanam, neque Oxonienses Tamesiam, neque Colonienses Rhenum.*

ARTICULUS VI.

Facultas deliberantibus, & de doctrina judicium ferentibus Magistris, liberum tempus relinquit.

PRonunciare in jure quam difficile sit, & in ferendo circa fidei dogmata judicio, quam lente

festinandum sit, ut nec alii, ita nec Parisienses Theologi unquam dubitarunt. Eam ob causam deliberationi & consultationi Magistrorum liberum tempus reliquerunt, nec ullam tulerunt legem, qua singulorum consultationem certo temporis spatio deputarent. Hoc autem satis superque docent præfationes, vel alia id genus scripta, quibus determinationes Facultatis Theologicæ exprimuntur.

Illustrissimum profecto exemplum est, quod ex rebus contra Joannem Montesonum gestis depromitur; sed referenda sunt verba ipsa, quibus illud exprimitur. Apud Petrum Alliacum extant in oratione, quam Avenione coram Cardinalibus habuit.

Prima ergo veritas est, quod anno Domini 1387. ante mensem Julii, dictus Frater Joannes in Scholis Fratrum Prædicatorum Parisius publice dogmatizavit 14. propositiones falsas, erroneas, & plurimum scandalosas. Et post alia.

Secundum est, quod celebrata postmodum congregatione solenni omnium Magistrorum in Theologia Parisius, inter quos Frater iste præsens adfuit, cum Theologicæ Facultatis Decanus cœpisset quasdam ejus propositiones, sibi fideliter per Scholasticos, qui ex eisdem scandalizati fuerant, scripto tenus exhibitas recitare, vix paucas expresserat, cum dictus Frater, qui nondum fuerat nominatus, sui impatiens, nec bene sibi imperans, sed ad responsionem obtulit, dicens, quod non oportebat eum silere, & quod istæ conclusiones ab eo processerant, ipsasque usque

ad mortem sustineret; iterum repetens, eas non sine magno consilio posuisse.

Tertium est, quod ad visitandum prædictum quaternum ejus propria manu scriptum, & ex ordinatione dictæ Facultatis per eum exhibitum deputati fuerunt sex Magistri, tres Religiosi, & tres Sæculares, qui licet post longum examen essent in opinione concordes, tamen suam relationem super hoc facere noluerunt, nisi darentur iterum alii sex ex parte ejusdem Facultatis, qui iterum cum aliis dictum quaternum, & quædam alia ejus scripta, per ipsum postea confessata, diligentissime visitarunt, & diligenti visitatione omnia scrutati sunt.

Quartum est, quod non obstante prædictorum 12. Magistrorum concordia, ut totum securius & irreprehensibilius ageretur, datæ fuerunt omnibus Magistris, & pluribus Baccalariis prædictæ Facultatis certæ schedulæ antecedentes assertiones continentes, ut quisque suam super his opinionem scriberet: ex quibus schedulis per novos iterum deputatos, recollectis & concordatis 27. Magistrorum tunc præsentium, ac demum sex supervenientium opinionibus, semper eas in mitiorem partem trahendo, schedula illa, quæ dicitur Facultatis Theologiæ, confecta est.

Quintum est, quod prædicta schedula per tot deputatorum consultationes, ac dictæ Facultatis congregationes varias, sic diligenter examinata, & servata in ea sancti Thomæ, & doctrinæ suæ reverentia, prout ex ejus prologo clare patet, ipsa exhibita fuit prædicto Fratri, ut juxta formam ipsius di-

ctas ſuas aſſertiones, quæ ſcandalum generaverant, retractaret, qui ita ſe facturum infra certam diem promiſit; ſed ipſe promiſſum ſuum in hoc, ſicut & in aliis multis violavit.

Sextum eſt, quod Facultas prædicta ſe ab eo ſpretam percipiens & illuſam, præmiſſa dictæ Univerſitati nunciavit, eam in juris ſubſidium requirens, ut in hac cauſa ſibi adjungeretur, ſupplicando, quod matura prius deliberatione habita conceſſum eſt.

In hoc autem negotio, ut apparet, neque dimidium horæ, neque hora, neque dies deliberantibus Magiſtris præfigitur; ſed quicquid temporis volunt ſinguli ad deliberandum inſumunt.

Alterum exemplum præbet cauſa Joannis Parvi, quæ in Academia tam lente diſcuſſa, quam quod lentiſſime: cui rei fidem faciunt pleræque Magiſtrorum deliberationes, quæ ſunt ejuſmodi.

Dominicus Parvi Magiſter in Theologia, Canonicus Pariſienſis, dicit, quod non intendit retardare aliquam veritatem fidei Catholicæ per aliquam dilationem petendam; & dicit quod nunquam fuit in aliquo loco, ubi tractaretur iſta materia, nec examinavit negotium Magiſtri Joannis Parvi, & ideo, quia negotium videtur ſibi arduum, tam occaſione fidei, quam alias ratione circumſtantiarum, quæ tangunt mores & alia; & ideo reputat materiam arduam propter modum condemnationis hujuſmodi aſſertionum, & ideo nollet eſſe cauſa retardationis alicujus veritatis; & dicit, quod de præſenti neſciret deliberare in hac materia.

Joan-

Joannes Breviscoxæ Canonicus Parisiensis, Magister in Theologia, Eleemosynarius domini nostri Regis, dicit, quod si domino Episcopo videatur, vel habuerit consilium procedere ad condemnationem dictarum assertionum, de quibus in instrumento Universitatis superius lecto, facta est mentio, non vult eam impedire; dicit tamen, quod non vidit, nec audivit propositionem Magistri Joannis Parvi, ex qua ipsæ assertiones dicuntur extractæ, nisi de prima assertione, cum qua non staret propter circumstantias. De aliis assertionibus non vidit nec audivit; & dicit, quod in ista materia cum summa gravitate est procedendum propter arduitatem materiæ, & de præsenti in speciali nesciret quod ultra deliberaret, nisi quod mittantur schedulæ, & discutiatur plenius materia.

Minister sancti Maturini Parisius Magister in Theologia, considerat hanc materiam bene arduam, & apparet sibi, quod Facultas Theologiæ alias fuerat congregata in sancto Maturino super ista materia, & ponderabat arduitatem materiæ, & stat conclusive, quod examinetur adhuc plenius materia.

Abbas de Verzellaio Magister in Theologia, dicit, quod istam materiam non vidit alias, nec vidit propositionem Magistri Joannis Parvi, ex qua dicitur dictas assertiones esse extractas, nec scit, si illas dixerit Magister Joannes Parvi, vel alias, non constat sibi, quod hujusmodi propositiones fuerint publicatæ; & ideo videtur sibi, quod non sunt condemnandæ, nec auderet dicere si sint erroneæ, vel

con-

condemnandæ; & si aliqua fuerit habita deliberatio super hoc, adhuc non videtur sibi, quod de præsenti sint condemnandæ; imo dicit, quod materia adhuc maturius debet tractari.

Joannes Matthié Magister in Theologia, dicit, quod prima propositio est erronea, nec est desistendum a condemnatione ejusdem; alias vero propositiones vellet videre, & plenius deliberare super iisdem.

Nicolaus Canache Canonicus Parisiensis, Magister in Theologia, dicit, quod propter arduitatem materiæ, & propter tenuitatem sui intellectus, & eo quod alias materiam non vidit de præsenti, in particulari nesciret deliberare, & ideo vellet habere articulos in scriptis, ut melius posset deliberare.

Henricus de Bragella Magister in Theologia, dicit, quod non fuit præsens, ubi materia ista alias tractaretur, & ideo vellet habere in scriptis antequam deliberet.

Thomas de Ponte Præpositus Monasterii sancti Germani de Pratis, Magister in Theologia, idem dicit cum præcedente Magistro Henrico de Bragella.

Petrus Blamboulli Magister in Theologia, commorans in Collegio Thesaurariorum Parisius, dicit, quod vellet habere articulos in scriptis, & plenius deliberare, adjiciens, quod novit Magistrum Joannem Parvi, qui mansit in dicto Collegio Thesaurariorum, & contra voluntatem totius Collegii fecit dictam propositionem, & nullus ipsorum de Collegio

fuit

fuit præsens, & dicit, quod non est de levi procedendum.

N. de Cracovia Magister in Theologia, idem dicit cum præcedente Magistro Petro Blamboulli.

Sic & plures alii pronunciant postquam ad Magistros singulos missa est schedula, quæ Joannis Parvi assertiones contineret. Sic autem se habet: *Ex parte domini Episcopi & Inquisitoris & Concilii fidei solennissime congregati, Magister reverende, mittitur vobis schedula, continens assertiones aliquas cum suis reprobationibus:* (quas scilicet Parisiensis Cancellarius apposuerat) *quare requirimus vos sub pœnis juris, ut detis deliberationem vestram publice vel in scriptis vel verbo tenus, si hujusmodi assertiones, de quibus ortum est notorie scandalum, sicut fatetur Concilium fidei, sint erroneæ, & taliter condemnandæ, ut consequenter procedere valeamus, sicut juris ordo postulabit.* Hinc describuntur assertiones Joannis Parvi cum notis & censuris, quas Joannes Gerson, & alii Doctores apposuerant.

Sed hic diligenter notandum est, neque Parisiensem Episcopum, neque Inquisitorem, neque Concilium fidei, neque Theologiæ Facultatem præscripsisse certum temporis spatium, quo Magistri singuli deliberationes suas concluderent. Deinde, quam lento gradu & plumbeis pedibus omnes ad conficiendum adversus articulos Joannis Parvi decretum processerint. Horum enim articulorum examinatio, consultatio super his, deliberatio non solum dies multos aut menses, sed etiam annos duravit:

ravit: quod cum ex operibus Gersonis, tum ex aliorum commentariis, facile quis agnoscet.

Præterea Parisiensis hic Cancellarius rem plane conficit in certa quadam epistola, quæ extat in quarta parte operum, ubi sic habetur: *Res debet summa maturitate, & diuturna deliberatione ventilari, magis quam approbatio vel reprobatio unius dicti scholastici, pro cujus tamen discussione apponitur quandoque tractus anni vel biennii, quandoque totum dimittitur indiscussum.* Hæc est antiqua Facultatis Theologicæ consuetudo, quam vir omni exceptione major attestatur.

Hinc non brevius, quam par sit, sed commodum deliberandi tempus important hæ voces, *matura deliberatione, concorditer, summa animorum consensione*, quibus Facultatis determinationes de statu animarum post mortem, adversus Dionysium Sullechatum, adversus Joannem Sarracenum, adversus bullas Mendicantium, de Conceptione immaculata beatæ Virginis, de quæstionibus a Carolo VIII. Rege, & ab Ecclesia Parisiensi præpositis, de thesibus Hieronymi Clicthovei, adversus Lutherum, Erasmum, & Molinæum, de articulis, qui circa controversias hujus temporis credi debent, de Institutione Societatis JESU, contra impios & execrabiles Regum ac Principum parricidas, contra Philippum Mornæum, & contra Anglicanos libros consignantur.

Postremo censuræ quædam diuturnitatem insumpti ad deliberandum temporis præ se ferunt. Altera contra Erasmum censura incœpit anno

Chri-

Christi 1526. ad 16. diem Maji, & anno sequenti finita tantum est die 17. Decembris. Deliberatio circa Institutionem Societatis JESU menses tres duravit: anno siquidem 1554. sub initium Augusti inchoata est, & Calendis Decembris absoluta.

In Facultate igitur res est extra controversiam posita, deliberantibus Magistris, tempus nullum definiri, sed liberum relinqui. Quod si Magister aliquis tempore abutatur, res absurda non debet absurdiore corrigi, vel emendari: neque enim correctio esset, vel emendatio, si propter unius vitium, ceteri Doctores indigne tractarentur. Hoc demum ita fieret, si ut Magistro uni vel duobus, per assignationem brevioris temporis male & inepte deliberandi tollatur occasio, Doctoribus reliquis bene ac prudenter deliberandi libertas adimatur, quo nihil esset injustius, vel ab Societatis cujuslibet institutis alienius. Si quis judex in publico consilio molestus est, & inter deliberandum tempore abutitur, tolerandus est, & a præside monendus ut corrigatur, & si corrigi non vult, expellendus. Sed propterea ferri minime debet lex, qua recepti inter deliberandum mores immutentur, & brevius, quam antea, deliberandi tempus assignetur. In doctrinæ cujuslibet judicio dogma ex eo intelligitur hæreticum, quod profanam in Christiana religione novitatem importet; sed hæc profana novitas confutari non potest, nisi Scriptura & traditione, quæ, quod semper, quod ab omnibus, quod ubique creditum est, repræsentet. Quot autem horis,

ris, quot diebus, quot etiam mensibus fiat hæc repræsentatio, quis determinabit? ab uno serius fiet, ab altero citius, ab illo moderatius. Ut quisque a natura comparatus est, sic & convenienter naturæ huic munus aliud exequetur: quicquid in causa tantum insumendum est temporis, quantum sufficere vir cordatus ac sapiens judicabit, vitari semper debet festinatio, quæ avida est, non victoriæ modo, sed etiam celeritatis. Hæc in Theologicis semper nocuit, nusquam profuit. Verum ut missos faciam judices, quæ curia, quod forum, qui senatus patronis certum orandi tempus unquam præstituit, etiamsi plerique eorum negotiosi & graves existimant, intempestiva multa, molesta multa, diversa a proposito multa frequenter inserciant, & funem contentionis quotidie ducant? Hoc incommodum esse grave, nullus est qui neget; sed omnes quoque qui sapiunt, affirmant illud futurum esse gravius, quod ex certi cujusdam temporis definitione promanaret. Servanda in ferendis judiciis æquitas, rabularum cunctis clamoribus anteponenda est. Non anteponeretur, sed penitus impediretur, si patronis orandi tempus circumscriberetur. Tunc enim sufficere deberet una, si velis, hora, quæ huic forsan pro levitate causæ sufficeret, illi pro gravitate non sufficeret. Hoc quia pertinet ad naturæ lumen, non urgeo amplius, ne perspicuitas rei argumentatione elevetur.

Hic præterire nequeo Romanum Oratorem, qui pro Caio Rabirio cum diceret, de brevitate temporis, quod ei Titus Labienus præscripserat, sic gra-

graviter conqueſtus eſt: *Nunc quoniam, Tite Labiene, diligentiæ meæ temporis anguſtiis obſtitiſti, meque ex comparato, & conſtituto ſpatio defenſionis in ſemihoræ circulum coegiſti, parebitur, & quod iniquiſſimum eſt, accuſatoris conditioni, & quod miſerrimum eſt, inimici poteſtati.* Agebatur de quæſtione facti, nempe de majeſtatis crimine, quod multo facilius differri ac dilui poterat, quam in jure pronunciare ac definire. Non quandiu, ſed quam bene ſpectandum eſt: ſemper ſat cito, ſi ſat recte. Tarditas conſilio adjuta celeritatem vincit, unde Theognis:

Callidus & tardus celerem inſectando prehendit.

Plinius junior rem abſolvit in libri 6. epiſtola 2. ad Arrianum: *Soleo,* inquit, *nonnunquam in judiciis quærere Marcum Regulum: nolo enim dicere, deſiderare.* Et quibusdam interpoſitis: *Nam poſtquam obiit ille, increbuit paſſim & invaluit conſuetudo binas vel ſingulas clepſydras interdum & dimidias, & dandi & petendi. Nam & qui dicunt, egiſſe malunt quam agere; & qui audiunt, finire quam judicare: tanta negligentia, tanta deſidia, tanta denique irreverentia ſtudiorum periculorumque eſt. An nos ſapientiores majoribus noſtris? nos legibus iſtis juſtiores? quæ tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur? hebetes illi, & ſupra modum tardi? Nos apertius dicimus, celerius intelligimus, religioſius judicamus, quia paucioribus clepſydris præcipitamus cauſas, quam diebus explicari ſolebant? O Regule, qui ambitione ab omni-*

bus obtinebas, quod fidei paucissimi præstant. Equidem quoties judico, quod vel sæpius facio quam dico, quantum quis plurimum postulat, & quia do. Etenim temerarium existimo divinare, quam spatiosa sit causa inaudita, tempusque negotio finire, cujus nodum ignores: præsertim cum primum religioni suæ judex patientiam debeat, quæ pars magna justitiæ est: at quædam supervacua dicuntur etiam, sed satius est, & hæc dici, quam non dici necessaria. Præterea an sint supervacua, nisi cum audieris, scire non possis. Hæc autem, si dicantur de patronis & causidicis, quæ, amabo vos, non dicerentur de arbitris & judicibus?

Memoriæ proditum est in Tridentino Concilio impositum esse silentium nonnullis Doctoribus, qui in nugis & disputationibus vanis tempus terebant; & primo quidem aliud est supervacua, id est, minus necessaria dicere, aliud nugari. Deinde non Concilium, sed de Concilio nonnulli silentium imposuerunt nugatoribus. Tum nugatores illi non effecerunt ut ederetur canon, quo certum disputandi & tractandi spatium Theologis universim circumscriberetur.

ARTICULUS VII.

Facultas Theologiæ non uno tantum modo præcipit determinationes suas ab ordinis sui Professoribus observari.

IN Facultate Theologiæ non fuit semper unus & idem modus observandi decreta, quæ condidit. Quod

Quod ubi planum fiat, exempla nonnulla in medium adducemus.

Facultas seu conjunctim cum Episcopo, seu separatim ab Episcopo Parisiensi, aliquando vetat, ne propositiones iis, quas damnavit vel revocandas censuit, oppositæ doceantur. Id primum constat ex oratione, quam Petrus Alliacus Avenione in Consistorio contra Joannem Montesonum habuit. Verba sunt e 14. veritate. *Decimum est, quod licet his attentis idem Episcopus potuisset contra eum proferre sententiam; tamen adhuc quarta vice de superabundanti, præfato reo aliam diætam assignavit: & interim longo temporis intervallo, matura deliberatione habita cum peritis, & præcipue cum Theologiæ & Juris canonici Doctoribus, tandem in dicto termino, licet multo graviorem potuisset, tamen mitiorem protulit sententiam, ordinando scilicet & præcipiendo, quod dictæ propositiones 14 sub excommunicationis pœna non dogmatizarentur, aut publicarentur Parisius.* Id deinde constat ex tractatu, quem Academia contra eundem Montesonum composuit, in conclusione 4. *Episcopi Parisienses, & Theologiæ Doctores, conjunctim, & communicato invicem consilio, pro majori veritatis confirmatione, & roboris firmitate solent errores condemnare, sicut patet ex literis Stephani Episcopi, & aliorum Episcoporum Parisiensium super articulis Parisius condemnatis, & etiam ex communi protestatione, quæ solet fieri in actibus Theologicis, qua Scholastici protestantur nihil dicere, quod cedat in favorem articulorum Parisius per reverendos Epi-*

ſcopos & Magiſtros in Theologia damnatorum. In concluſione 5. *Facultas partim ex privilegio, partim ex jure divino & humano, habet poteſtatem, ut aſſertiones per eam ſic doctrinaliter condemnatas cogat judicialiter ſub certa pœna & vigore juramenti præſtiti publice in actibus ſcholaſticis revocari, quando ſcilicet per Magiſtros & Baccalarios eidem juratos, aſſertiones hujusmodi dogmatizari contigit.* In articulo 3. *Dicta Facultas in Scholis ſuis Theologicis, & dictus Epiſcopus in locis ſuæ diœceſis, præmiſſorum errorum dogmatizationem, publicationem, aut defenſionem finaliter inhibere potuerunt, ac debuerunt judicialiter prohibere.* Infra: *Qui Magiſter & Baccalarius Facultatis Theologiæ in actibus ſcholaſticis ſubjicit ſe eidem, & profitetur, & proteſtatur ſtare ſententiæ Magiſtrorum, ſicut notum eſt, & hoc idem fecit iſte Frater in actibus ſuis, ubi prædictos errores dogmatizavit & publicavit, quod utique rationabiliter fieri conſuevit.*

Poſtremo in reſponſione ad tertium objectum: *Reſpondetur primo, quod nec Facultas Theologiæ, nec Epiſcopus prædictus concluſiones præmiſſas ſententialiter ſeu judicialiter damnaverant, ſed ſolum earum publicationem & dogmatizationem inhibuerunt. Primum patet de Facultate Theologiæ, quia in principio ſchedulæ Magiſtrorum dicitur, quod ipſi definierunt & declaraverunt, quantum in eis eſt, propoſitiones prædictas inferius annotatas, fore publice denunciandas in Scholis & ſermonibus, ſub forma inferius contenta, in caſu, quo dictus Magi-*

ſter

ſter nollet parere mandatis ejusdem Facultatis. Ex quibus apparet, quod circa dictas propoſitiones ſolum definierunt & declararunt ſcholaſtice & doctrinaliter: quod notatur per hoc quod dicitur, quantum in eis eſt, quia talis ſcholaſtica & doctrinalis definitio maxime ad eos pertinet; & hoc etiam patet, quia in dicta definitione non apponitur judicialis pœna, ſcilicet privationis, vel ſuſpenſionis ab actibus ſcholaſticis, quod facere poterant: ſed ſolum dicitur, quod in caſu, quo dictus Magiſter nollet parere eorum mandatis, propoſitiones eſſent publice inhibendæ. Secundum patet, ſcilicet de Epiſcopo, quia in ejus ſententia non pronunciat, vel decernit dictas concluſiones eſſe falſas, hæreticas, & erroneas, ſicut dictus Frater mendoſe conqueritur; ſed dicit: Ordinamus, præcipimus, & mandamus, quatenus nulli de cetero præſumant dictas propoſitiones 14. publicare, prædicare, dogmatizare, &c.

Secundo dicendum, quod aliud eſt aliquas propoſitiones ſententialiter & judicialiter condemnare, & aliud eſt eas, ſeu earum dogmatizationem & defenſionem ex cauſa rationabili inhibere. Et poſt alia in quarta ad aliam objectionem reſponſione: *& ſuppoſito quod talis inferior ſententia vel definitio non obligaret in caſu ad credendum, quia ſtaret in caſu, quod id ſic definitum eſſet hæreticum; tamen regulariter obligat ad oppoſitum non dogmatizandum, vel publice docendum in diœceſi Epiſcopi ſic definientis: & ſicut dictum eſt de Epiſcopis, ſic dicendum eſt de aliis perſonis, vel Collegiis ad hoc po-*

testatem vel auctoritatem habentibus, respectu suorum subditorum.

Idem pene traditur in Lutheri censura, quæ anno Christi 1523. publicata est. Sic autem se res habet: *Decanus & Facultas Theologiæ Scholæ Parisiensis, omnibus Fidelibus in Christo salutem: Insigni pollens sapientia Salomon, &c. Acta sunt hæc in nostra congregatione, post maturam discussionem, anno Domini 1523 die vero 14. Novembris; publicata autem 2. Decembris eodem anno sub actu solenni in Scholis Collegii Sorbonici, coram Decano & Magistris ejusdem Facultatis, præsentibus almæ Universitatis Rectore, regiis Consiliariis, aliisque plurimis testibus, fide dignis. Prohibet præterea Facultas omnibus tam Magistris, quam Baccalariis, & quam in Theologia studentibus, præsentibus & futuris, ne contrarium præfatæ determinationi docere aut prædicare præsumant, sub pœna privationis & rejectionis ab eadem Facultate.*

Ad hujusmodi determinationum formam, Joannes Arboreus ita scribit lib. 3. Theosophiæ cap. 27. *Concilii generalis est plena & ultima quidem censura de hæresi censere, & nullius Academiæ hanc suadeo assertionem: Ultima decisio eorum, quæ ad fidem spectant, fit & determinatur ab Ecclesia universali, & a Concilio generali; quare nec inferior aliquis Episcopus, aut Collegium, cui præest, poterit ferre definitivam sententiam in causa fidei, ut hanc sibi potestatem impellendi universalem Ecclesiam vendicet ad parendum hujusmodi sanctioni, & latæ sententiæ; quod tamen oporteret ad hoc quod possit*

posset absolute, plene & integre censere de hæresi: ergo etiam nec Academia, nec Universitas, quantumvis literarum scientia ceteris longe præstaret, alioquin omnes astringerentur obtemperare decretis, & censuræ talis Academiæ; nec ideo aliqua assertio habenda est pro hæresi ab omnibus, quia hæc vel illa Academia censuit esse hæresim. Et post alia: *Ad hæc difficillima & perardua rei hæreticæ discutienda negotia, plurimum habet momenti, & confert sacratissima Theologorum Parisiensium Facultas, quæ tametsi extremam hisce censuris manum non admoveat, nec adhibeat, nec finiat quicquam, quod ad obedientiam astringat omnes; exacte tamen, sincere & doctissime Ecclesiasticas imitando sanctiones judicat, profert, eloquitur & admonet.*

Hæc sunt exempla, quibus primus modus observandi decreta Facultatis explicatur, & quibus qua ratione Magistros & Baccalarios obligant, docetur.

Facultas præter revocationem, quam suis præcipit, assertionum contrariarum defensionem aliquando injungit. Id factum est anno 1429. cum Joannes Sarracenus propositiones multas contra potestatem Ecclesiæ sustinuit. Has enim revocavit, & contrarias tanquam veras in se recepit. Cujus rei forma sic se habet: *Ex Vesperiis meis quidam fuerunt scandalizati, sicut mihi significatum est per matrem meam Facultatem Theologiæ, tanquam intellexerint, quod voluerint inter alia detrahere potestati & Ecclesiæ, & Prælatorum aliorum a sum-*

mo Pontifice, tam majorum, quam minorum, & quorundam aliorum Ecclesiasticorum, & specialiter occasione quarundam propositionum per me in eisdem Vesperiis meis dictarum: volens propterea, quantum in me est, tollere omne scandalum, & esse filius obedientiæ & pacis, & assertor veritatis. Dico nunc ex ordinatione ejusdem matris meæ Facultatis Theologiæ, cujus ordinationi, dispositioni, & omnimodæ determinationi me submisi & submitto, ac etiam ultronea voluntate, veritates quæ sequuntur.

Prima, omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ a Papali potestate sunt ab ipso Christo, quantum ad institutionem, & collationem primariam; a Papa autem, & ab Ecclesia, quantum ad limitationem & dispensationem ministerialem.

Secunda, hujusmodi potestates sunt de jure divino, & immediate institutæ a Christo.

Tertia, invenitur in sacra Scriptura Christum Ecclesiam fundasse, & potestates alias a Papali expresse ordinasse.

Quarta veritas, quandocunque in alio Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis, residet non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto, & Ecclesia Catholica.

Quinta, ex textu Evangelii, & doctrina Apostolorum habetur, expresse Apostolis & Discipulis a Christo missis auctoritatem jurisdictionis fuisse collatam.

Sexta, dicere inferiorum Prælatorum potestatem

tem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive sint Curati, esse immediate a Deo, Evangelicæ & Apostolicæ consonat veritati.

Septima, aliqua potestas, scilicet potestas Ecclesiæ, de jure potest aliquid & in certis casibus contra summum Pontificem.

Octava, quicunque purus viator habens usum rationis, cujuscumque dignitatis, auctoritatis, aut præeminentiæ, etiamsi Papalis existat, simoniam potest committere.

Id quoque factum est anno 1442. ut tradunt Commentarii Facultatis Theologiæ: *Anno Domini 1442. die 9. mensis Januarii, infra Scholas venerabilis Conventus Fratrum Eremitarum beati Augustini Parisius, ex conclusione & speciali ordinatione venerandæ Facultatis Theologiæ in Universitate Parisiensi, in mei Laurentii Pontrelli Presbyteri, principalis Bidelli dictæ Facultatis, ac publici Apostolica & Imperiali auctoritate Notarii, testiumque infra scriptorum ad hæc vocatorum præsentia, venerabilis & religiosus vir Magister Nicolaus Quadrigarii, in Theologia Magister, dicti Ordinis FF. Eremitarum beati Augustini, in sua prima lectione magistrali in crastino Doctoratus sui reparavit quasdam propositiones, per eum a paucis diebus in suis Vesperiis dictas & pronunciatas, modo & forma contentis in quadam schedula papyrea, cujus tenor sequitur: In Vesperiis meis quidam fuerunt minus bene ædificati ex duobus per nonnullos tunc in Schola existentes intellectis, sicut mihi significatum est per matrem meam Facultatem Theologiæ, quasi intellexerint*

 rint

rint me dixisse: In primo, quod a divina providentia omnia quæ fiunt, ex necessitate eveniunt; quamvis crediderim dixisse, quod a providentia divina omnia, quæ fiunt, quadam necessitate eveniunt. Assero enim & profiteor, quod omnia creata a divina providentia liberrime proveniunt, nec ullam aliam pono necessitatem, quam conditionalem, vel suppositionis & immutabilitatis divinæ providentiæ aut necessitate consequente. Secundum dictum fuit in duodecimo corollario & collativo, quod sola Papæ potestas in tota Ecclesia immediate est a Christo, intelligendo corollarium de potestate jurisdictionis temporalis & spiritualis, & non de potestate ordinis. Ego, quantum in me est, volens tollere omne scandalum, & esse filius obedientiæ & pacis, assertor veritatis, dico me, sicut tunc dixissem, si fuissem absolute, & non collative locutus, & hoc ex ordinatione Facultatis Theologiæ matris meæ, cujus ordinationi, dispositioni, & omnimodæ determinationi me submisi & submitto, ac etiam ultronea voluntate, veritatem quæ sequitur: quam quidem veritatem prædicta Facultas submittit determinationi Ecclesiæ, sacri generalis Concilii, & sanctæ sedis Apostolicæ, videlicet: Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiasticæ, aliæ a Papali potestate, sunt ab ipso Christo, quantum ad institutionem & collationem primariam; a Papæ auctoritate, & ab Ecclesia, quantum ad limitationem & dispensationem ministerialem. Acta fuerunt hæc in prædictis Scholis.

Idem etiam factum est anno Christi 1521. cum Facultas propositiones quas Hieronymus Clictho-

veus in actu magnæ Ordinariæ sustinuerat, damnavit, statuitque, ut idem Clicthoveus contrarias in actu parvæ Ordinariæ propugnaret. Sic autem Facultas loquitur: *Ista vero judicii doctrinalis nostri censura, cum prius fuisset a nobis laudata, rursus tamen hac die Lunæ quarta mensis Novembris, in nostra congregatione post Missam de die prima, post solennia, ad illam quartam expectatam, in eodem divi Maturini Capitulo, solenniter & per juramentum convocata, unanimi omnium voto probata, ratificata, & confirmata extitit; & quoad scandali ipsius reparationem, fuit conclusum, quod ipse Magister Hieronymus Clicthoveus in positione actus suæ parvæ Ordinariæ, de qua nondum disputavit, pro una trium principalium conclusionum, hanc propositionem in forma poneret, & sustineret: Illicitum est lege divina aut naturali beneficia vendere, pensiones pecunia redimere, & in loco sacro, aut die festo, nisi urgente necessitate, negotiari, sicut neque licitum est bursas vendere, aut Ecclesiasticos sæcularibus negotiis implicari, nec horum oppositum licet asserere, & quod sub debito juramenti teneretur idem Baccalarius singulis dominis & personis, quibus præfatæ suæ Ordinariæ magnæ positionem, sive totam, sive tres principales præsentavit, aut præsentari fecit, tradere aut tradi facere ejusdem suæ parvæ Ordinariæ conclusiones, quarum una erit illa, quæ præscripta est, scilicet: Illicitum est jure divino, &c. Quanquam ante faciem ejusdem Facultatis hæc illi injungerentur, & increpabitur, quod talia præsumpserit, monebiturque ut in futurum sibi a* tali-

talibus & similibus periculosis doctrinis caveat, quæ omnia facta fuere, & illa obedienter ipse Hieronymus acceptavit. Quoad Magistrum autem præsidentem, quia humiliter etiam Facultati suæ matri sæpius propter hæc ad eam vocatus se habuit, & sententiam supra descriptam laudavit, eidem ultro adhærens, supplicansque secum gratiose agi & promittens in futurum diligentius cavere, Facultas hujusmodi satisfactione fuit contenta.

Postremo, id quoque factum est anno 1524. quod regesta Facultatis ita testantur: *Anno Domini 1524. 13. mensis Junii, cum Frater Ludovicus Courbout, Præsentatus Fratrum Prædicatorum, responderet de Aulica sub Magistro nostro novo Henrico Fabri, hanc tenuit propositionem sparsim in sua positione positam, scilicet: Episcopus qualis inter Apostolos solus Petrus, a Christo immediate fuit consecratus; Curatus vero jure positivo institutus, quoniam nec Episcopus quispiam, Petro dempto, immediate est a Christo institutus: quæ assertio Magistris nostris præsentibus displicuit, quia falsa. Itaque postulantibus senioribus, qui præsentes erant, sedente Magistro nostro de Quercu Prodecano, qui in hoc præsenti actu regentis fungebatur officio, interrogatus fuit, finita nihilominus disputatione, prius tamen quam expositores suas orationes expositorias inchoassent, velletne stare determinationi Facultatis alias circa præsentem materiam factæ, sentireque cum Facultate, necne: qui respondit se velle stare sine pluri. Verum quia illud videbatur Magistris nostris, nec auditorio, ut relatum est, sufficere, plene-*

que

que satisfactum per illud non erat, nec inde ortum scandalum sufficienter reparatum. Vocatus fuit coram deputatis, promovente Magistro nostro Natali Beda Syndico, ad supplicationem & instantiam nonnullorum Magistrorum nostrorum, zelum ad veritatem fidei & amorem habentium, die 18. mensis ejusdem, & interrogatus medio juramento, sciretne determinationem alias in hac materia fuisse factam: qui respondit se nescivisse, subjunxitque se velle stare, & in omnibus parere Facultati. Quo audito, auditisque deputatorum votis & decretis, placuit, vel quod revocaret in prima Sorbonica propositionem prædictam, vel quod in sua responsione Sorbonicæ disputationis teneret oppositam per Facultatem sibi tradendam, adjuncta particula, quod oppositum tenere non sit probabile. Tandem vocata Facultate secunda Julii, & relatione facta, placuit Facultati mitiorem partem sibi elargiri, & secundam partem sibi imperare, scilicet, quod in sua Sorbonica oppositam conclusionem teneret, hoc adjecto, quod oppositum non esset probabile: qui intimata Facultatis conclusione paratus fuit servare, consensitque mandatis obedire. Propositio autem sibi oblata fuit hæc: Quemadmodum Petrus a Christo summus Pontifex ordinatus fuisse creditur, sic & quilibet ceterorum Apostolorum ab eodem Christo, nullo mediante, Episcopus creatus, & Curatorum ordo institutus, eodemque divino jure triplicem illum hierarchicum Ordinem habet Ecclesia; nec horum opposita, cum certum sit Evangelicæ veritati illa refragari, possunt probabiliter sustineri. Die

au-

autem 15. Septembris ejusdem anni, præfatus Præsentatus de Sorbonica respondens pro 3. conclusione suæ positionis præfatam positionem in propria forma posuit, veluti fuerat illi injunctum.

Denique Facultas hominibus ordinis sui præcipit aliquando, ut quæ decreta condidit, certo teneat, & populis annunciet: quod si contrarium doceant, eos e suo consortio ejiciendos esse decernit. Id tribus exemplis planum facio. Primum quæritur ex decreto, quod circa immaculatam beatæ Virginis Conceptionem edidit sæculo 1400. exeunte. Decretum istud refert Judocus Clicthoveus in suo de illa materia tractatu. Et sic se habet: *Sacrosancta Theologorum Parisiensium Facultas conformans suas sanctiones Basiliensi Concilio, constituit neminem esse admittendum in suum consortium, nisi juramentum solenne præstiterit, se eam sententiam obnixe defensaturum, & prædicaturum, quod beata Virgo fuit prorsus expers originalis culpæ.*

Alterum petitur ex iis articulis, quos anno 1542. condidit adversus hæreses illius temporis. In iis enim Facultas *docet Fideles quid sit credendum, tanquam pium & catholicum, quid contra fugiendum, tanquam erroneum, atque Evangelio & Christianorum salutiferæ doctrinæ adversum,* ut scribit Renatus Benedictus in admonitione, quam editis in lucem articulis præfixit anno 1560. Sic autem Facultas loquitur cap. 26. & ultimo: *Inhibet autem Theologorum Facultas iis, qui de gremio suo sunt, Magistris, Baccalaureis, ac ceteris gradum Theologicum nunc & imposterum profiteri volentibus, ne quocun-*

cunque pacto supradictis propositionibus contraria, aut in concionibus prædicent, aut in lectionibus vel alibi doceant; quin potius, ubi se materia & occasio offeret, eas populo sincere annuncient, & aperte declarent. Porro etiam decrevit, ut propositiones præfatas singuli Magistri & Baccalaurei chirographi sui appositione confirment; & cum in grege suo lupos & immorigeros, contentiososque alere tutum non sit, qui huic decreto parere noluerint, & contrarias præfatis propositiones docuerint, aut in posterum prædicaverint, e suo consortio ejiciendos in perpetuum decrevit.

Tertium habetur in censura, quæ anno Christi 1610. contra impios Regum & Principum parricidas edita est, jubente cum primis Senatu, cujus verba sunt: *Deinde ut decretum, quod in ejusdem Facultatis comitiis statuetur, omnium Doctorum, qui comitiis & deliberationi interfuerint, nec non etiam omnium Baccalaureorum, qui cursum Theologicum fecerint, singraphis muniatur; quo tum demum super ea re cognitore generali regio curia decernat, quod justum & rationi conforme erit.* Et post alia in decreto Facultatis: *Tertio statuit, ut omnes Doctores & Baccalaurei Theologiæ, quo die instatuta & articulos Facultatis jurare consueverunt, in hoc similiter decretum jurent, & syngraphæ suæ appositione obtestentur se illius veritatem, docendo & concionando, diligenter explicaturos.*

Hi sunt modi tres præcipui quibus Facultas Theologiæ nostræ determinationes suas executioni

ni mandari voluit: si qui sint alii, vel ad istos revocantur, vel me fugiunt.

ARTICULUS VIII.

Facultas Theologiæ dum suos alumnos corrigit, decretas jure ecclesiastico & civili monitiones observat.

INter monumenta, quæ hanc disciplinam objiciunt, elucet oratio, quam Petrus Alliacus Academiæ Parisiensis Legatus in consistorio habuit contra Joannem Montesonum. Audiamus igitur: *Septimum est, quod postquam Universitas & Facultac antedictæ, quod potuerant & debuerant, quantum in ipsis erat, perfecerant, postea nunciaverunt hæc omnia reverendo in Christo Patri, domino Episcopo Parisiensi, judici ordinario in hac parte; & præsentata eidem schedula Facultatis prædictæ, sibi, prout in similibus casibus fieri solitum est, requirendo supplicaverunt, quatenus super his vellet judicialiter procedere.*

Octavum est, quod ad hanc instantiam & requestam dictus Parisiensis Episcopus præcepit, & præcipiendo mandavit, ne prædictus Frater, qui adhuc Parisius præsens erat, aliunde recederet; sed ad certam diem tunc assignatam personaliter compareret, responsurus in aula Episcopali, & coram dicto Episcopo super his, quæ objicerentur eidem: Qui sic judicialiter evocatus per se aut per alium nullatenus sufficienter comparuit, ideoque pro prima vice contumaciæ pœnam incurrit.

No-

Nonum est, quod iterum bina vice interposito debito temporis spatio dictus Frater citatus fuit, nec comparuit, & sic tertio contumax reputatus est, & excommunicatus.

Decimum est, quod, licet, his attentis, idem Episcopus potuisset contra eum proferre sententiam, tamen adhuc quarta vice de superabundanti præfato reo aliam diætam assignavit.

Ex his autem verbis maxime colliguntur tria. Primum est in condemnatione Joannis Montesoni, monitiones numero tres præcessisse, & quartam mantissæ loco accessisse. Secundum, ante annum 1387. quo hæc mota est controversia, Magistrorum aut Baccalariorum a Facultatis consortio ante pulsum fuisse neminem, quam Universitas in juris subsidium vocaretur, & res ad forum Parisiensis Episcopi deferretur. Tertium, Joannis Montesoni causam more solito diremptam esse, & si quæ alia judicandi ratio postea invecta fuerit in eam, ab hac consuetudine recessum esse. Hoc autem eo certius est, quod Alliacus, qui loquitur, rerum Academicarum sit intelligentissimus, & quod in negotio proprio loquatur. Quo in casu nemo unquam sibi nocuit, & plusquam par fuit, adversariis favit.

Ceterum hæc tria magis ac magis confirmantur ex ipso tractatu, quem Academia contra Joannem Montesonum composuit. Nam in secundo articulo, qui sextam conclusionem sequitur, hæc ad propositum faciunt.

Secundus articulus est, quod dicta Facultas Theo-

 logiæ,

logiæ, coassumptis sibi Magistris aliarum trium Facultatum Universitatis Parisius, dictos errores prius per eam examinatos, & doctrinaliter condemnatos, merito debuit domino Episcopo Parisiensi tanquam judici ordinario judicialiter denunciare. Et hoc clare patet ex secunda conclusione, quæ erat talis: *Ad Episcopos Catholicos pertinet auctoritate inferiori & subordinata circa ea, quæ sunt fidei, judicialiter definire.*

Sed adhuc in literis dictæ Universitatis ad hoc assignatur ratio specialis, quia ibi dicitur, quod ne prædicti errores radices altius profundiusque agerent, darentque simplicium pedibus offendiculum, Decanus, singulique Theologicæ Facultatis Magistri, ut de more habent, obviare curaverunt, & prædictum Joannem ad se accersitum primitus secundum Evangelicam doctrinam secrete inter eos & caritative, ut ab erratis resipisceret, monuerunt. Prima ratio. Sed comperta ejus pertinacia, qua asserebat usque ad mortem suas se defensurum conclusiones ex injuncto, & non sine magno, ut ajebat, consilio positas. Secunda. Comperta postmodum mendosa ejus illusione. Nam ille tunc, quo jurejurando pollicitus erat dicta sua ad prædictæ Facultatis arbitrium retractare, minime comparuit. Tertia ratio. Tandem post examinatam diligenter, & longissimo temporum tractu rei veritatem nedum per seipsos, qui amplius quam triginta erant; sed per suos etiam sufficientiores Baccalarios. Evangelico parentes consilio dixerunt reliquis trium Facultatum suppositis tanquam fratribus suis, quod nihilo-

mi-

minus idem Joannes audire curavit. Conclusio. Quamobrem pranominatæ Facultatis Theologicæ Magistri, tribus aliis Facultatibus sibi coassumptis & coadunatis, nunciaverunt Ecclesiæ, reverendo scilicet in Christo Patri Episcopo Parisiensi, ordinario judici in hac parte. Ex quibus patet triplex ratio denunciationis prædictæ, quam secreta & caritativa monitio præcessit; licet tamen hoc non esset necesse, sicut patet ex doctrina S. Thomæ, secunda secundæ, quæst. 33. art. 7.

Facultas Theologiæ videtur sibi ob oculos posuisse Ephesinam Synodum, quæ Nestorium Constantinopolitanum damnavit Episcopum, postquam semel, iterum, tertio & quarto, nisi impedissent milites, citavit. Sic enim in actione 1. Concilii legitur: *Juvenalis Hierosolymorum Episcopus dixit: Quamvis Ecclesiasticæ sanctionis sat esse statuunt, si rei ad diluenda objecta crimina tertio citentur; nos tamen ex quadam benignitate religiosissimum Nestorium quarta citatione admonere, & provocare parati eramus, sed impedierunt milites.* Deinde in Synodi relatione ad Imperatorem de Nestorii depositione: *Cum itaque sequenti die in sancta & antiqua Ecclesia, quæ appellatur Maria, convenissemus, sanctumque Evangelium, quod ipsum Christum præsentem nobis monstrabat, in throno, qui medium locum obtinebat, propositum esset, Canonum forma servata, tres rursum alios sanctissimos Episcopos ad ipsum misimus, monentes simul ac rogantes, ut sanctæ Synodo sese sisteret, si æquæ doctrinæ probationem perferret.* Et post pauca: *Porro cum*

Canones præscribunt, tertioque contumacem esse admonendum vel citandum, missis iterum aliis ad illum Episcopis, durum & immorigerum eundem invenimus. Nestorius tertio citatur, etiamsi contumax foret.

ARTICULUS IX.

Facultas Theologiæ & conjunctim cum Episcopis, & separatim ab Episcopis, doctrinale judicium sibi vendicat.

ACademia Parisiensis quæstionem hanc bimembrem agitat, & solvit in suo tractatu contra Montesonum, qui facultati Theologiæ judicium doctrinale abjudicaverat.

Primam ergo partem sic probat conclusione 3. *Ad Doctores Theologiæ pertinet determinatione doctrinali & scholastica circa ea, quæ sunt fidei, doctrinaliter definire: quia ad illos pertinet ea, quæ sunt fidei, per modum doctrinæ determinare, & doctrinaliter definire, ad quos pertinet sacram Scripturam docere, & ex ea hæreticas assertiones, & in fide erroneas reprobare, ac veritates Catholicas approbare; sed ad Doctores Theologos pertinet secundum: ergo & primum. Major patet, quia doctrinalis determinatio, vel definitio fidei maxime innititur Scripturæ sacræ; & merito. Nam cum fides sit donum Dei, secundum Apostolum ad Ephesios 2. cap. debet inniti, tanquam principali ejus basi, ipsi sacræ Scripturæ, quæ est a Spiritu sancto, juxta illud: Spiri-*

Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, secundæ Petri 1. cap. Sed minor probatur primo, quod ad Doctores Theologos pertineat sacram Scripturam docere, quod ex vi nominis manifestum est: cum Theologia de qua loquimur, nihil aliud sit, quam sacræ Scripturæ doctrina. Quod autem ad eosdem pertineat ex hujusmodi doctrina sacræ Scripturæ assertiones hæreticas, & in fide erroneas reprobare, ac veritates Catholicas approbare, manifeste patet: quia doctrina sacræ Scripturæ nihil aliud est quam doctrinalis assertio, & manifestatio veritatis Catholicæ ex ipsius Scripturæ sacræ auctoritate. Hujusmodi autem assertio, vel manifestatio est ipsius veritatis Catholicæ approbatio: quia qui aliquod asserit verum, approbat illud tanquam verum. Approbatio autem alicujus veritatis, est reprobatio, vel condemnatio contrariæ falsitatis: quia qui aliquam approbat veritatem, per consequens contrariam reprobat falsitatem; sicut qui præcipit unum contrarium, alterum per consequens prohibet, ut notat glossa decreti in cap. 1. Igitur doctrinalis assertio veritatum Catholicarum per quandam consequentiam est reprobatio, seu doctrinalis determinatio hæresum contrariarum. Cum igitur per Theologiam veritates Catholicæ doctrinaliter asserantur, sequitur, quod per eandem hæreses contrariæ doctrinaliter condemnantur, juxta sententiam Apostoli: Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, & ad increpandum, 2. Timoth. 3. Ad docendum quidem, id est, ad approbandum veritatem, & ad increpandum vel corrigendum, id

 est,

est, condemnandum falsitatem; & sic habetur propositum. Quia autem hæc doctrinalis potestas vel auctoritas Doctorum Theologorum magna sit, & merito venerabilis in Ecclesia Dei, maxime ex auctoritate Apostoli, qui inter dona Dei, officium Episcoporum, qui succedunt loco Apostolorum, & officium Doctorum conjungat: Alios, inquit, dedit Apostolos, alios Prophetas, alios autem Doctores, &c. ad Ephes. 4. cap. Ex qua auctoritate concluditur, extra. de hæret. in cap. Cum ex immerito. & in cap. Sicut. quod Doctoris ordo est, qui præcipuus in Ecclesia. Quod autem de Doctoribus Theologis hoc debeat intelligi, ex hoc clare patet, quod ibidem ex illo antecedente, quod Doctoris ordo est in Ecclesia qui præcipuus, hoc consequens subinfertur, quod non debet sibi quisque indifferenter prædicationis officium usurpare, juxta illud Apostoli: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur; ad Rom. 10. cap. Constat autem, quod officium prædicationis est maxime proprium Theologiæ, sicut expositio Scripturæ sacræ, & per consequens patet, quod Doctorum Theologorum officium est quod in Ecclesia præcipuum. Dicitur autem non simpliciter præcipuum, sed quod præcipuum, propter officium Episcoporum, quod majus est: & ideo licet Episcopale & Doctorale officium convenirent, simul in eadem persona concurrant, quod valde conveniens est, ut eadem persona simul possit judicialiter, & sciat doctrinaliter circa ea quæ sunt fidei, definire: tamen quantum est ex parte ordinis Ecclesiasticæ Hierarchiæ, hæc duo officia sunt ad invicem condistincta, & hoc pro eodem cap. Cum ex

im-

immerito. ſibi ad hoc propoſitum dicitur, quod ſicut multa ſunt membra, omnia vero non eundem actum habent; itaſicut ordines in Eccleſia, ſed non omnes idem habent officium: & cauſa ſubditur, quia ſecundum Apoſtolum, alios Dominus dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios autem Doctores. Ex quibus o*mnibus ſatis patet, quod ad Epiſcopos, & ad Doctores Theologos, quantum eſt ex parte officii vel ordinis Eccleſiaſtici, aliter, & aliter circa ea quæ ſunt fidei, definire, quia ad Epiſcopos judicialiter, ad Theologos autem doctrinaliter hæc definitio pertinet, ſicut pulcre notat Gratianus 20. diſt. in principio.*

Altera pars ſic ſe habet: *Quarta ergo concluſio eſt, quod ad dictos Epiſcopum & Facultatem Theologiæ pertinet, non ſolum conjunctim, ſed diviſim modis prædictis aſſertiones hæreticas aut erroneas condemnare; licet tamen quandoque rationabiliter conſueverint in hujuſmodi condemnatione conjunctim procedere. Prima pars ſatis ex prædictis, & etiam apparet argumento a ſimili, ex cap. extra. de hæret. lib. 6. ubi dicitur, quod per ipſos Epiſcopos & Inquiſitores de eodem facto fidei procedi poteſt conjunctim vel diviſim. Secunda pars patet, quia Epiſcopi Pariſienſes, & Theologiæ Doctores conjunctim, & communicato invicem conſilio pro majori veritatis confirmatione, & roboris firmitate ſolent errores condemnare, ſicut patet ex literis Stephani Epiſcopi, & aliorum Epiſcoporum Pariſienſium ſuper articulis Pariſius condemnatis, & etiam apparet ex communi proteſtatione, quæ ſolet fieri in actibus Theologicis, qua Scholaſtici proteſtantur nihil di-*

dicere, quod cedat in favorem articulorum Parisius per reverendos Episcopos & Magistros in Theologia damnatorum; & hæc damnatio conjunctim facta est rationabilis, & juri consona, juxta cap. Ad abolendam. extra de hæreticis, ubi dicitur, quod Episcopi per diœceses suas cum consilio Clericorum debent hæreticos judicare: quod maxime de Clericis Theologis est intelligendum, cum ad eos pertineat cognitio fidei, & Catholicarum veritatum.

ARTICULUS X.

Facultas ipsa Theologiæ exponit quid possit & circa personas, & circa doctrinam personarum sodalitii sui.

IN tractatu eodem ponitur quinta conclusio, quæ rem totam sic explicat; *Ad dictam Facultatem Theologiæ contra certas personas, scilicet contra singulares Magistros, & Baccalarios eidem Facultati juratos, quandoque pertinet non solum doctrinaliter, sed etiam aliquo modo judicialiter assertiones hæreticas aut erroneas condemnare: & hæc conclusio probatur ex triplici radice. Primo ex concessa eis potestate. Secundo ex observata consuetudine. Tertio ex publica utilitate. Prima ergo probatio fundatur in concessa potestate, quia ex privilegiis a Sede Apostolica, seu a summis Pontificibus concessis, Universitas Parisius, & quælibet quatuor Facultatum ejusdem, & non minus Facultas Theologiæ, habet quendam politicum ordinem ad sua singularia supposita, & per consequens quandam judiciariam*

pote-

potestatem, qua Magistros & Baccalarios sic juratos, tanquam eis subjectos, judicialiter possunt astringere, & communiter astringunt, ut statutis suis & ordinationibus, quæ utilitati & honori suo congruere noscuntur, obediant, & sub certa pœna & juramentis interpositis, inviolabiliter observent, prout hæc omnia clare patent ex privilegio Innocentii, quod incipit: Quotiens pro communi utilitate. & ex privilegio Alexandri, quod incipit: Quasi lignum vitæ. & horum privilegiorum judiciaria potestate maxime uti debent in his, quæ scholasticos actus concernunt. Sed ultra hæc Facultas Theologiæ non solum a jure humano, sed etiam a jure divino habet potestatem doctrinaliter definiendi circa ea, quæ sunt fidei, & assertiones contra fidem erroneas condemnandi, sicut patet ex 3. conclusione. Ergo dicta Facultas partim ex privilegio, partim ex jure divino & humano habet potestatem, ut assertiones per eam sic doctrinaliter condemnatas, cogat judicialiter sub certa pœna & vigore præstiti juramenti publice in actibus scholasticis revocari: quando scilicet per Magistros vel Baccalarios eidem juratos assertiones hujusmodi dogmatizari contigit; & hic est intellectus conclusionis prædictæ.

Secunda probatio ejusdem conclusionis fundatur in observata consuetudine, quia dicta facultas præmissa observavit, & eis uti consuevit a tanto tempore, quod de contrario hominum memoria non existat; & ideo cum dicta consuetudo non sit veritati aut rationi contraria, est inviolabiliter observanda, juxta di-

dictum August. 4. libro de baptismo parvulorum, & habetur 8. dist. cap. Frustra. Si, inquit, consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri. Igitur conclusio vera.

Tertia ejusdem conclusionis probatio fundatur in publica utilitate, quia nimirum, ut cavetur in prædicta dist. cap. Veritate, & cap. sequenti, & cap. ultimo. Si solus. & prout in præallegato divus Augustinus, ratio & veritas consuetudini præponenda est: ideo dicta consuetudo debet ratione fulciri. Hoc autem non potest melius fieri, quam ostendendo, quod sit consona publicæ utilitati. Nam ratio publicæ utilitatis in jure tam divino, quam humano, singulariter ponderatur. Constat autem, quod non solum esset contra privatam utilitatem singulorum Magistrorum, & Baccalariorum Theologicæ Facultatis, sed etiam contra totius Christianitatis utilitatem publicam, si Magistri & Baccalarii hujusmodi, qui inquisitioni Catholicæ veritatis in actibus scholasticis insistunt, quandoque eos in hujusmodi inquisitione errare contingeret, essent ad judicium ordinarium Episcoporum convocandi, & ibi solum de suis erroribus corrigendi, quod per hoc ab inquisitione & exercitatione scholastica, quæ est pro fidei defensione, & totius Ecclesiæ utilitate publica instituta retraherentur, cum tamen ad hoc debeant provocari: & ideo sequitur, quod sit non solum privatæ, sed publicæ utilitati consonum, ut prius per suam Facultatem doctrinaliter corrigantur, & per eam, si opus sit, ad suorum errorum emendationem judicialiter compellantur; & si obedire noluerint, ulterius ad

Episcoporum judicium recurratur; & si nec per eos voluerint emendari post hanc binam correctionem, tanquam hæretici devitentur, juxta illud Apostoli ad Titum 3. cap. Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem devita.

Hactenus Facultas de sua in Magistros & Baccalarios suos potestate, quam Joannes Montesonus negabat. Quamobrem non immerito credendum est Facultatem in hac conclusione nihil reticuisse juris, quo ad se pertineret; & si quid amplius in monumentis posterioribus invenitur, his prioribus succrevisse. Quicquid illud est, qui Facultati in causa propria loquenti fidem habere voluerit, uti habere poterit, hic sine dubio poterit hærere.

CAPUT LXII. ET ULTIMUM.

De veteribus formulis protestationum Romæ a Pontificibus, in Parisiensi, & quibusdam aliis Academiis, & Doctoribus fieri solitarum.

Celebres dudum in Parisiensi, & quibusdam aliis Academiis fuisse protestationes illas, quibus publicarum Theologiæ disputationum præmuniuntur exordia, invenio; sed quo tempore potissimum cœperint fieri, non invenio. Utut sit interea, dum alius me diligentior inveniet, referam quidquid ea super re traditum inveni.

ARTI-

ARTICULUS I.

Romani Pontifices protestationibus hujusmodi certo quodam modo præluxerunt.

EXempla referam tria: unum, quod est Joannis XXII. & ita se habet apud Odoricum Raynaldum in tomo 15. Ecclesiasticorum Annalium ad annum 1334. num. 28. *Ne quis sinistre interpretari possit, nos sensisse aliquid, aut sentire, quod sacræ Scripturæ obviet, aut fidei orthodoxæ, dicimus & protestamur, quod quidquid in quæstione, seu materia visionis animarum, videlicet, an animæ a peccatis, & pœnis peccatorum purgatæ, videant divinam essentiam illa visione, quam Apostolus vocat facialem, seu in quacunque alia materia, in sermonibus, in collationibus nostris diximus, allegavimus, seu proposuimus, non intendimus aliquid determinare vel decidere, seu credere, quod esset quovis modo Scripturæ sacræ obvium, vel contrarium fidei orthodoxæ, sed illud solum tenere & credere, quod & sacræ Scripturæ potest, & poterat Catholicæ fidei convenire. Et si forsan in prædictis sermonibus, vel collationibus aliqua, quæ vel Scripturæ sacræ, seu fidei orthodoxæ quovis modo essent, vel viderentur obvia, ipsa præter intentionem a nobis fuisse prolata dicimus & asserimus, eaque revocamus expresse non intendentes illis adhærere, nec ea in præsenti defendere, nec etiam in futurum.* Hæc protestandi formula non multum distat a protestandi formulis, quarum usus fuit in Academiis, ut postea videbimus.

Al-

Alterum, quod est Urbani V. & ita se habet in historia Romanorum Pontificum, qui Avenione sederunt: *Satis cito magna infirmitas ipsum arripuit, ex qua sentiens se gravari, mortemque sibi propinquam æstimans, ad ea vacare destitit; sed ad illa, quæ animæ suæ salutem concernere poterant, totaliter se convertit, humiliterque & devote sæpius confessus est, & cetera Ecclesiastica sacramenta suscepit, præsentibus etiam Camerario Confessore, pluribusque aliis familiaribus suis, ac aliis multis notabilibus personis, dixit & asseruit se tenere & credere firmiter, sicque confessus est simpliciter quidquid sancta, Catholica & Apostolica tenet & prædicat Ecclesia: etsi per prius docendo, legendo, prædicando, aut disputando, vel alias aliud quovis modo prædicaverat, vel dixerat, totum id revocavit, voluitque haberi pro non dicto, submittens se, & dicta sua hujusmodi correctioni, & determinationi dictæ sanctæ matris Ecclesiæ, a qua asseruit nunquam se deviasse scienter.* Iisdem pene verbis utitur, quibus Magistri utebantur in Academiis.

Tertium, quod est Gregorii XI. & ita se habet in tomo 6. Spicilegii Lucæ Dacherii, ubi Pontificis hujus testamentum refertur: *Item volumus, dicimus, & protestamur ex nostra certa scientia, quod si in Consistorio, aut in Concilio, vel in sermonibus, vel in collationibus publicis, vel privatis, ex lapsu linguæ, aut alias ex aliqua turbatione, vel etiam lætitia inordinata, aut præsentia magnatum, ad eorum forsitan complacentiam, seu ex aliqua distemperantia, vel inadvertentia, aut superfluitate aliqua dixerimus*

mus erronea contra Catholicam fidem, quam coram Deo & hominibus, ut tenemur præ ceteris, profitemur, colimus, & colere cupimus, seu forsitan adhærendo opinionibus contrariis fidei Catholicæ scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Catholicam religionem obloquentibus, illa expresse & specialiter revocamus, detestamur, & haberi volumus pro non dictis. Quæ postrema verba Academicarum protestationum formulas redolent & repræsentant.

Joanni XXII. Urbano V. & Gregorio XI. adjungimus Romanos Pontifices illos, quorum Christophorus Marcellus Corcyrensis Archiepiscopus meminit in libro 1. de ritibus S.R.E. lectione 6. ubi de Sanctorum canonizatione agitur. *Tunc procurator,* inquit, *causæ petit a Pontifice nomine procuratorio, & nomine Principum, pronunciari & declarari beatum N. in Sanctorum catalogo adscribat ut sanctum & venerandum a Christi Fidelibus. Pontifex, antequam pronunciet, consuevit protestari in hanc formam: Quod invenimus servatum a multis Pontificibus; sunt tamen aliqui clarissimi viri, qui dicunt hoc introductum ex quadam causa, quæ nunc cessat, quod Papa tunc quodammodo cogebatur ad canonizandum quendam contra suam opinionem, & propterea protestabatur; nunc autem non videri congruam illam protestationem. Sed de hoc statuat summus Pontifex & sacer Senatus.*

For-

Forma protestationis.

ANtequam *ad pronunciationem veniamus, protestamur publice apud vos præsentes, quod per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere quod sit contra fidem, aut Catholicam Ecclesiam, sive honorem Dei.*

Hic observamus duo; prius est discrimen, quod inter Joannem XXII. Urbanum V. Gregorium XI. & Pontifices illos, qui pium quendam hominem Sanctorum numero adscribunt, intercedit. Joannes, Urbanus, & Gregorius sub finem vitæ protestantur. Pontifices vero, qui Sanctorum canonizationi vacant, in principio actionis sacræ protestantur.

Posterius est discriminis istius conciliatio. Pontifices qui protestantur sub finem præsentis vitæ, sub initium alterius protestantur. Qui Pontifices in canonizatione Sanctorum protestantur, protestandi exemplum viris Academicis præbent.

Ceterum Pontifices cum relatis protestandi formulis utuntur, non aliud de sua ab erroribus immunitate sentiunt, quam viri Academici, dum protestantur. Excipi non possunt Pontifices, si dicas eos ut privatos homines, non ut summos Pontifices protestari. Id enim dici potest de viris Academicis, & de cujuscunque artis Professoribus, qui protestantur. In Theologia Magister quidam est qui protestatur: sed dum fallitur vel errat, non ut Magister in Theologia fallitur vel errat, sed ut homo, qui Magister est in Theologia. Ratio eviden

dens eſt, Theologiæ magiſterium ſeu Doctoratus ad falſum per ſe non inclinat: dum muſicus errat, non errat ut muſicus, ſed ut homo; nam ars muſica de ſe ad male cantandum non inclinat: quare dum muſicus errat, dicendum eſt hominem, qui muſicus eſt, errare.

Id beatus confirmat Auguſtinus in libri 2. contra Creſconium capite 21. ſcribens: *Eccleſiaſtici judices, ſicut homines plerumque falluntur.* Homo igitur, qui Eccleſiaſticus eſt judex, plerumque fallitur, ſed nunquam fallitur ut Eccleſiaſticus judex, quia Eccleſiaſticæ juſtitiæ habitus de ſe nunquam inclinat ad reddendum judicium, quod a recta ratione abhorreat.

Carolus Calvus id quoque ſignificat in conventu villæ Coloniæ, capitulo 5. *Etſi forte ſubreptum nobis quidpiam ut homini fuerit, competenter & fideliter prout ſublimitati regiæ convenit, & neceſſitatibus ſubjectorum. Ut hoc rationabiliter corrigatur, veſtra fidelis devotio admonere curabit.* Cum igitur Rex fallitur, homo, qui Rex eſt, fallitur, ſed non ut Rex, quia regia dignitas ad populum bene beateque regendum de ſe ſemper inclinat. Hoc facile intelligunt, qui dialecticorum inſtructi regulis, quid reduplicativæ particulæ valeant, quid ferre tum demum recuſent, noverint, nempe particulas hujuſmodi, quæ nominis aut propoſitionis ſenſum reduplicant, formam, non formæ ſubjectum appellare. His autem ita conſtitutis, oppido quam falluntur, qui putant ſe particularum iſtiuſmodi uſu, non commune quid pluribus,

ribus, sed peculiare Romanis Pontificibus attribuere!

ARTICULUS II.

Variæ protestandi in Parisiensi Academia formulæ recensentur.

ANte ducentos & quinquaginta annos, has frequentatas fuisse protestationes, tradit Gerso Parisiensis Cancellarius, atque ex eo, nisi certum initium, idonea sane vetustas deprehendetur. Sic autem ille scribit tertia parte in tractatu de propositionibus per Episcopos hæreticandis, conclusione 5. *Facit etiam pro hac sexta conclusione protestatio communis & celebris, quæ fit Parisius in quolibet actu Theologico solenni, quod scilicet nihil asserendum, nec sentiendum sit, quod sit in favorem articulorum Parisius damnatorum.* Et post quædam: *Facit ad id juramentum Baccalariorum incipientium sententias, quod in manu Cancellarii Parisiensis ipsi præstant.* Igitur in Academia Parisiensi communis erat protestandi formula, qua interposita Theologicæ professionis candidati vel legebant sententias, vel scholasticis actibus in sua Facultate incumbebant. Hæc autem formula sic se habet apud Dionysium Cistercienseṁ, qui ad annum 1373. Lutetiæ Magistri sententias explicabat. *Antequam*, inquit in primo principio super primum librum sententiarum, *ad decisionem quæstionis accedam, præmitto protestationes in hac sacratissima Facultate fieri consuetas, & alias per me factas.*

ctas. Protestor enim, quod in toto actu modo, seu in quovis alio per me imposterum Dei gratia fiendo, non intendo dicere, imo intendo non dicere aliquid, quod sit contra determinationem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, aut quod sit contra fidem, vel quod sit contra bonos mores, aut piarum aurium offensivum, seu etiam quod cedat in favorem articulorum Parisius per reverendos Episcopos & Magistros condemnatorum. Quod si quid tale dixerim, quod Deus avertat, sive ex lapsu linguæ, sive ex ignorantia, aut ex inadvertentia, id ex nunc, prout ex tunc, casso, revoco, & habeo pro non dicto, subjiciens me communi correctioni reverendorum Magistrorum, & omnium aliorum ad quos spectat delinquentes corrigere, paratus id revocare, & retractare ad petitionem cujusque me caritative insinuantis. Hic non dicitur contra Romanorum Pontificum decreta, sed contra determinationem sacrosanctæ Ecclesiæ.

Non multum dissimilis est illa protestatio, qua Ægidius Carlerius Parisiensis, postea Theologus Doctor, & Cameracensis Decanus, usus est, dum Parisiis ad annum 1413. & 1414. libros sententiarum legebat in regali Collegio Navarræ: *Antequam*, ait in principio super secundum librum, *ulterius procedam, protestationes in hac alma Facultate fieri consuetas præmitto. Protestor inprimis, quod in isto actu, aut alio quocunque Dei gratia per me fiendo, non intendo dicere aliquid quod sit contra fidem Catholicam, contra determinationem sanctæ matris Ecclesiæ, contra doctrinam Doctorum ab ea approbatorum, quod faveat articulis Parisius damnatis,*

tis, quod sit contra bonos mores, aut quovis modo valeat offendere pias aures, &c. Hic dicitur simpliciter *contra determinationem sanctæ matris Ecclesiæ*, nec, ut Dionysius ille, *Romanæ*, addidit.

Hanc Ægidii Carlerii, non illam Dionysii Cisterciensis formulam postea usurpavit Guillelmus, Vorillonius minor, qui anno 1447. Parisiensis Theologiæ Doctor renunciatus est: *Antequam*, ait initio commentariorum in sententias, *ulterius progrediar, reverendi Magistri, optimique Patres, more hujus almæ Facultatis matris meæ Theologiæ protestor, quod in præsenti actu, seu in quocunque alio Dei gratia imposterum fiendo, non intendo aliquid dicere, quod sit contra determinationem sacrosanctæ matris Ecclesiæ, aut contra determinationem Doctorum ab ea approbatorum, quod cedat in favorem articulorum in hac alma Universitate condemnatorum, quod sit contra bonos mores, seu quovis modo valeat offendere pias aures. Quod si oppositum contingeret, quod Deus per suam piissimam misericordiam avertere dignetur, ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc casso, revoco, & retracto, & habeo pro non dicto, paratus revocare & annullare ad insinuationem cujuslibet caritative super hoc me monentis, & specialiter illius, vel illorum, ad quem, vel ad quos spectat hujusmodi deviantes reducere in viam veritatis.* Hanc Carlerii, non Dionysii formulam usurpasse Vorillonium dico, quia mentionem Ecclesiæ Romanæ nullam facit. Sic enim simpliciter protestatur: *Quod*

ſit contra determinationem ſacroſanctæ matris Ecclesiæ.

Sub annum 1445. Guillelmus de Caſtroforti, qui Navarrici Gymnaſii magiſterium magna cum laude poſtea geſſit, factam a Dionyſio proteſtationem reſumpſiſſe videtur in veſtibulo commentarii ſuper Magiſtrum ſententiarum: *Priusquam ulterius progrediar, laudabiles proteſtationes in conſimilibus actibus fieri conſuetas habeo præmittere, quod in præſenti actu, ſeu in quocunque alio per me Dei gratia impoſterum fiendo, non intendo dicere quicquam, ſeu pertinaciter aſſerere, quod ſit contra fidem orthodoxam, contra determinationem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, contra doctrinam Doctorum, maxime ab eadem Eccleſia approbatorum, quod cedat in favorem articulorum hic Pariſius, vel alibi rite condemnatorum, quod ſit contra bonos mores, aut quovis modo valeat offendere pias aures. Cujus oppoſitum ſi contingeret, quod cæleſtis Pater ſua clementi miſeratione avertere dignetur, nunc pro tunc, & tunc pro nunc caſſo, revoco, & habeo pro non dicto, ſubmittens me correctioni illius vel illorum, ad quos hujuſmodi deviantes ad tramitem pertinet reducere veritatis.* Ut Dionyſius ille, ſic & Guillelmus hic proteſtatur aſſerturum ſe nihil, quod *ſit contra determinationem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ.*

Brevior eſt illa proteſtationis formula, qua Judocum Clicthoveum ſemel atque iterum anno 1501. uſum reperio in manuſcriptis illius codicibus, qui in regalis Collegii Navarræ bibliotheca aſſer-

van-

vantur: semel quidem in codice, qui tentativæ quæstionem continet auctoris manu exaratam. *Quæstio ab ingenuæ indolis adolescente, mihi proposita, & dignissimi Magistri nostri cathedram moderantis auspiciis disputanda, hoc verborum contextu continetur: utrum operationum humanarum, quibus homo meretur, vel demeretur, voluntas sit præcipua causa.* Et post alia: *Tria secundum observatam hactenus consuetudinem sum peracturus. Primo, conclusiones præcipuas, & annexa illis corollaria ordine quodam propositurus, suis rationibus accommodate probanda. Secundo, dissoluturus doctissimi domini præsidentis validissimas rationes, quibus meas assertiones impugnaturus est. Et tertio, eruditissimorum Baccalariorum acerrimis argutiis, quas contra propositiones intorquebunt, ut ferent vires, responsurus: quorum primum, ut aggrediar, conclusiones meas principales, & illis accessorias, atque appendicias, certa serie digerere aggredior; protestans tamen me nihil temere contra Catholicæ fidei sinceritatem, contra Ecclesiæ, probatorumque Doctorum determinationem assertuum. Quod si quid contra levitate linguæ, aut judicii obliquitate atque errore exciderit ore meo, his, quæ in sacratissima fide probata sunt, id tanquam non dictum haberi, & ut nunc revocatum facili venia aboleri obnixius oro.* Et post alia totam quæstionem sic concludit: *Finis codicis anno Domini 1501. undecima Junii.*

Iterum vero in altero codice, qui alteram quoque tentativæ quæstionem repræsentat, his verbis:

Quæstio tentativa ab ingenuo & generosi animi adolescente mihi proposita sub præstantissimo Magistro nostro cathedram moderante, inpræsentiarum disputanda, hoc verborum contexitur ordine: utrum viatori ad æternam salutem consequendam necessarius sit baptismus. Et posteaquam suam quæstionem utrimque asseruit, captavitque auditorum benevolentiam: *Qua quidem*, inquit, *fretus, tria secundum observatam hactenus consuetudinem sum peracturus. Primò, conclusiones præcipuas, & annexa illis corollaria ordine certo propositurus, atque probaturus. Secundo, dignissimi domini præsidentis validissimas rationes, quibus meas assertiones impugnabit, utcumque dissoluturus. Et tertio, eruditissimorum Baccalariorum acutissimis argutiis, quas contra positiones meas objicient, ut ferent vires, responsurus: quorum primum, ut aggrediar, protestor inprimis me nihil temere contra Catholicæ fidei veritatem, aut Ecclesiæ, probatorumque Doctorum determinationem asserturum. Quod si quid, aut lapsu linguæ, aut animi errore dixero repugnans veritati, id tanquam non dictum haberi, & nunc revocatum facili venia aboleri obnixius oro.* Deinde totam quæstionem sic concludit: *Finis codicis pro festo sancti Martini anno 501. supra millesimum.* Hæc formula, quam Clicthoveus repetiit, manuque propria descripsit, in duobus a superiori discrepat, & primo quidem, qui superiorem usurpat formulam, protestatur se asserturum nihil, quod *sit contra determinationem Ecclesiæ Romanæ.* Qui vero hac utitur formula, protestatur tantum, se

quo-

quoque aſſerturum nihil quod *ſit adverſus Eccleſiæ determinationem*, nec adjicit, *Romanæ*. Deinde in ſuperiori formula, mentio ſit Pariſienſium articulorum, contra quos a reſpondente nihil aſſerendum ſit: in hac vero de Pariſienſibus articulis ne unum quidem verbum habetur. Quin autem utrumque per *Eccleſiæ*, *Doctorumque probatorum determinationem* intelligi commode poſſit, non admodum repugnarem.

Ab hoc tempore vix ſeptem elapſi ſunt anni, cum nonnulli Theologiæ Doctores apud quoſdam actuarios ſeſe contulerint, hancque neſcio qua de cauſa proteſtandi formulam ibi depoſuerint. *Inprimis proteſtor, quod nihil intendo dicere, quod obviet, aut ſit diſſonum ſacræ Scripturæ, aut definitionibus ſacrorum Conciliorum, aut etiam determinationibus ſacræ Facultatis Theologiæ matris meæ, quibus adhæreo, & ſemper adhærere intendo.* Annus igitur erat milleſimus quingenteſimus octavus, cum die Mercurii quinta, die Veneris octava, & die Mercurii duodecima menſis . · . · . a Notariis excepta eſt hæc formula proteſtationis, ubi exprimuntur nonnulla, quæ nec in ſuperiori, nec in aliis proteſtationibus exprimuntur. Res eſt, quæ ex mutua collatione cuilibet facile conſtat, quanquam quod intercedit diſcrimen, voce magis quam ſenſu notatur; ſed non capio, cur qui hanc apud actuarios formulam conſignaverunt, perinde profecto conſignaverint, quaſi majorum traditione atque uſu accepta foret. Opus eſt factæ a quibuſdam ſeceſſionis, cujus cauſa mihi adhuc incomperta eſt.

Eadem est forma protestationis, quam Petrus Arcius anno 1624. die 23. Novembris præstitit, cum de actu Sorbonicæ disputationis responsurus esset, & certas quasdam de Carmelitici Scapularis privilegio propositiones revocaturus. Sic autem se habet: *Ego Frater Petrus Arcis, Præsentatus Carmelitarum, inprimis protestor, quod nihil intendo dicere quod obviet, aut sit dissonum sacræ Scripturæ, aut definitionibus sacrorum Conciliorum, aut etiam determinationibus sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis matris meæ, quibus adhæreo, & semper adhærere intendo.*

Has igitur formulas excepit hodierna, quæ quicquid est in aliis, complecti videtur, atque ita se habet: *Juro me nihil dicturum, quod adversetur sacræ Scripturæ, Conciliis œcumenicis, decretis summorum Pontificum, & statutis sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis matris meæ.* Non alia dici consueverunt; juramenti tamen, seu melius, protestationis natura & conditio exigit, ut hic intelligantur dici, quæ in aliis formulis adduntur: scilicet, *quibus adhæreo, & semper adhærere intendo;* vel, *Si quid contra levitate linguæ, aut judicii obliquitate atque errore exciderit ore meo his, quæ in sacratissima fide probata sunt, repugnans, in tanquam non dictum haberi, & ut nunc revocatum facili venia aboleri obnixius oro;* vel, *Si oppositum contingeret, quod Deus avertat, ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc casso, revoco, & retracto, & habeo pro non dicto, paratus revocare, cassare, & annullare ad insinuationem cujuslibet cari-*

caritative super hoc me monentis, & specialiter illius, vel illorum, ad quem, vel ad quos spectat hujusmodi deviantes reducere in viam veritatis. Sed hoc loco sciendum est ad annum 1629 decrevisse Facultatem, ut hæc protestandi formula, quæ istis concepta verbis non admodum vetus est, in usu retineretur. Cur vero Facultas istud statuerit, quidam fecerunt Baccalaurei, qui nonnullarum protestationum antiquiorum auctoritate nixi, dum in actibus suis Theologiæ de more protestarentur, Pontificum decreta prætermitterent: deinde certa quædam partium studia, quæ tunc in Facultate Theologiæ vigebant. Et revera, nonnullæ sunt protestationes, ut apparet, in quibus nec Ecclesiæ Romanæ determinationes; nec Pontificum decreta nominantur. Facultati tamen placuit hæc protestandi formula, quæ memoratis ex Dionysio Cisterciensi, & Guillelmo de Castroforti formulis nonnihil sustentatur. In his enim Theologiæ candidatus protestatur se dicturum nihil, quod *Ecclesiæ Romanæ determinationibus* contradicat. Verum EcclesiæRomanæ nomine ad istud tempus, nunc singularis, nunc universalis, cum promiscue atque indefinite intelligatur Ecclesia, an hic uno tantum, vel altero, vel utroque modo capienda sit protestatio, non sine causa dubitari potest. Universalem potius, quam singularem intelligi facilius crediderim.

Hic non ante tollam manum de tabula, quam observavero, Petrum Frisonium Parisiensem Theologum, falsa immiscuisse veris in auctario chrono-

Hh 5 logi-

logico, ad annales Baronii, cum anno 1629. ait: *Secundum morem laudabilem & antiquum a nescio quibus Baccalaureis omissum jurare in decreta summorum Pontificum, dum solitæ fiunt initio actuum protestationes.* Frisonianæ narrationi falsitas ex relatis supra protestandi formulis, luculenter apparet; sed auctor excusari utcunque potest, quod illas non viderit, & fortassis non esset Lutetiæ, cum Petrus Arcius Carmelita id fecit, quod eum fecisse mox scripsimus. In protestandi formula, qua ille utitur, decreta Romanorum Pontificum silentur. & silentium hoc neminem latere potuit, quia ex Facultatis decreto ter uno die repetita est instantibus Theologiæ Magistris, qui ex locis auscultationi destinatis, in aulam ventitabant, præsenti insuper copiosa Scholarium, quos inter aderam, multitudine. Mirabamur omnes Arcii constantiam, & illius delectabamur obsequio.

Et quamvis hoc loquendi (Romanæ Ecclesiæ determinationibus) genere, Romanorum Pontificum decreta non intelligantur in præsentiarum; illa tamen in recenti protestationis formula retineri possunt, si quo modo Romanorum Pontificum decreta Romani Pontifices ipsi intelligunt, nos intelligere velimus: nimirum illa, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum disciplinis promulgantur, vel quæ a sacris Canonibus non discordant, vel quæ tum demum executionem sacrorum Canonum indicunt. Eadem res diversimode proponitur.

Sixtus III. in epistola ad Episcopos Illyrici: *A Ca-*

Canonum præceptis vestrum nemo discedat, nec ab iis deviet, quæ juxta regularum ordinem frequens ad vos directa sedis Apostolicæ decrevit auctoritas. In Romana collat. bipart. Loquitur de decretis, quæ regularum seu Canonum executionem denunciant.

Leo I. in epistolæ 1. ad Episcopos Rom. provinciæ capite 5. *Ne quid vero sit, quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.*

Martinus I. in epistolæ 5. ad Joannem Philadelphiæ Episcopum capite 5. *Defensores divinorum Canonum sumus, non prævaricatores.* Deinde in epistola 9. ad Pantaleonem: *Ecclesiasticos Canones solvere non possumus, qui defensores & custodes Canonum sumus.*

Eugenius II. in Romanæ Synodi capite 26. *Nulli liceat Episcoporum, & subjecto Sacerdote, vel aliquo Clerico, & piis locis dationes ultra statuta Patrum exigere.* Sic Canonum executionem indicit.

Nicolaus I. in epistola 9. ad Michaëlem Imp. *Ita denique volumus, & ita decrevimus, istius, immo cunctorum Sacerdotum causas examinare, & culpam suam punire, ut paternos terminos non transgrediamur, sacros Canones non conculcemus, nec de-*

cre-

cretalia ſedis Apoſtolicæ conſtituta, quibus Eccleſia tota fulcitur atque munitur, quoquo modo violemus: ea quippe conſtituta, non quæ ſacris Canonibus derogant, ſed quæ ex iisdem Canonibus permulgantur, aut quæ ſacrorum Canonum executionem denuntiant. Cujus rei ratio eſt perſpicua, ſacrorum Canonum derogatione haud quaquam fulcitur ſeu munitur Eccleſia, ſed illorum executione. Id Nicolaus ipſe confirmat in epiſtola 42. ad Epiſcopos Galliarum: *Porro ne juſtitiam regere noſtræ videamur voluntatis arbitrio, ac per hoc æſtimemur canonicis legibus contraire, ſancimus atque decernimus, &c.*

Silveſter II. in epiſtola ad Seguinum Senonenſem Archiepiſcopum: *Sit lex communis Eccleſiæ Catholicæ Evangelium Apoſtoli, Prophetæ, Canones ſpiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia conſecrati, & decreta ſedis Apoſtolicæ ab his non diſcordantia.*

Gregorius VII. in libri 2. epiſtola 1. ad Sancium Aragoniæ Regem: *Quia venerandi Canones ad ſacerdotii gradum tales provehi contradicunt, probare eos non ſatis cautum fore putavimus, ne quid a nobis contrarium ſanctis Patribus in exemplum & auctoritatem poſteris relinquatur. Solet enim ſancta & Apoſtolica ſedes pleraque conſiderata ratione tolerare; ſed nunquam in ſuis decretis & conſtitutionibus a concordia canonicæ traditionis diſcedere.* Hæc plana & aperta ſunt.

Innocentius III. in libri 2. epiſtola ad Cantuarienſem Archiepiſcopum: *Quæ in derogationem ſancto-*

ctorum Canonum attentantur, tanto potius infringi volumus, & carere robore firmitatis, quanto auctoritas universalis Ecclesiæ, cui præsidemus, ad id nos inducit & provocat. Ad hoc unum Innocentii testimonium, si bene circumspicitur, non operose revocantur Apostolicæ sedis decreta, quæ sacrorum Canonum executionem indicunt, aut quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, vel quæ a sacris Canonibus non discordant. Nam si universalis Ecclesiæ, cui præest Pontifex auctoritas eum impellit, ut quæ in sacrorum Canonum derogationem attentantur, omnino destruat, effecturus est nihil, quod sacrorum Canonum executionem non denunciet, quod de sacris non promulget Canonibus, quod a sacris Canonibus dissentiat.

Quod jam de Innocentii III. verbis observavimus, id observamus de Clementis IX. constitutione, quæ ad Alectensis diœcesis librum ritualem attinet. Sic autem Pontifex constitutioni suæ præfatur: *Creditæ nobis divinitus omnium Ecclesiarum sollicitudinis ratio exigit, ut Ecclesiasticæ disciplinæ, cujus custodes a Domino constituti sumus, ubique conservandæ jugiter incumbentes omni cura, atque vigilantia cavere studeamus, ne quid in eam irrepat, quo quomodolibet turbari, aut a præscriptis ritibus aberrare, & via erroribus aperiri possit.* Aperiri sane posset, si quod decretum a sacris Canonibus spiritu Dei conditis, & totius mundi reverentia consecratis, discordans ederetur, si quod ederetur decretum de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgatum non esset disciplinis. Præterea cum

sapi-

ſapiens atque eruditus Pontifex ſe a Domino cuſtodem Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſtitutum affirmat, reſpectum habet ad Martinum I. cujus verba mox retulimus.

Plura congererem, ſi tam brevi poſſet fieri negotio quam poteſt facili: ſed quidquid id eſt, ſufficit, ut in proteſtationis formula retineantur Romanorum Pontificum decreta, ſi quæ Romani Pontifices ipſi Sixtus III. Leo I. Martinus I. Eugenius II. Nicolaus I. Silveſter II. Gregorius VII. Innocentius III. Clemens IX. intelligunt, nos velimus intelligere.

ARTICULUS III.

Non diſſimilis eſt in Academiis Bononienſi, Oxonienſi, Tubingenſi, Lovanienſi, & Complotenſi formula proteſtandi.

ET primo quidem diſſimilem non eſſe in Bononienſi Academia proteſtandi formulam, qua, qui in publicis Theologiæ diſputationibus reſpondentis partes agit, proteſtatur, Cancellarius Pariſienſis ſcribit in loco, quem articulo ſuperiori laudavimus: *Facit enim pro hac*, inquit, *ſexta concluſione proteſtatio communis & celebris, quæ fit Pariſius & Bononiæ in quolibet actu Theologico ſolenni;* quæ ſi vera ſunt, uti vera eſſe non dubito, plane judicandum eſt, eam proteſtandi formulam, quæ ex Dionyſio Ciſtercienſi relata eſt, ut Lutetiæ, ita & Bononiæ uſurpatam fuiſſe. Porro autem tempus exigit, ut

Can-

Cancellarius hanc formulam potius quam alias respiciat. Alios præter Gersonem auctores non habeo, quibus quod de Bononiensi Academia statuimus, confirmetur, sed Gerso πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Protestandi formula apud Oxonienses potest repeti ex Ricardo Ermacano, qui anno 1357. coram Papa & Cardinalibus Avenione peroravit: *Pater sanctissime*, inquit, *in principio mei sermonis protestor, quod non intendo aliquid asserere, aut tenere affirmative, quod fidei obviet Christianæ, aut doctrinæ;* (quæ sequuntur, ad propositum Pontificis spectant materiam) *quod & non est intentionis meæ destructionem, seu cassationem Ordinum Mendicantium, approbatorum ab Ecclesia, & a summis Pontificibus confirmatorum, expetere, aut etiam persuadere: sed potius suadebo ipsos Ordines debere reduci ad puritatem suæ institutionis primariæ. Semper correctioni vestræ sum paratus me submittere.* Credibile est omnino auctorem hunc, cum actus Theologiæ celebravit, eam initio actuum formulam protestandi usurpasse.

Tubingensis Academiæ formulam præstat Gabriel Biel, qui præ ceteris Academiæ hujus fundamenta jecit, & eam illustrem reddidit. Illa autem est ejusmodi duobus in locis. Unus est in secundum sententiarum: *In his*, inquit, *omnibus Theologicæ protestationi per me frequentius repetitæ inhærens, me semper & hæc quoque collecta, & quæcunque sive docturus, sive dicturus fuero, emendationi sanctæ R. E. & cuilibet orthodoxo & pio subjicio correctori.* Alter est sub finem prologi lectionum in canonem Missæ:

In

In hujus igitur lectionis initio Theologicam protestationem frequenter per me factam renovans, coram vobis venerabilibus & doctissimis praeceptoribus meis protestor solenniter,& expresse,non esse mentis meæ in futuris meis lectionibus, aut aliis quibusdam actibus per me,volente Domino,faciendis aliquid dicere,aut pertinaciter defendere, quod Catholicæ fidei,seu determinationi sacrosanctæ matris Ecclesiæ quomodolibet obviet,vel pias aures offendat: si vero aliquid tale ex lapsu linguæ,ignorantia,aliave qualicunque occasione contingeret, revoco ex nunc prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc, volens ea habere pro non dictis.subjiciens me humiliter eorum directioni,quorum est errantes corrigere,& devios ad viam Catholicæ veritatis reducere. Hæc est nascentis Academiæ Tubingensis protestatio, quam ex fidissimo auctore recensuimus. In priori formula ponitur, *Romana Ecclesia*, & in posteriori ponitur tantum,*mater Ecclesia.* Hæc duo, sed duo hæc pro uno & eodem a Biele sumuntur.

Hadrianus VI. Lovaniensis Academiæ, cujus decus & ornamentum fuit, formulam protestandi suppeditat: sic enim anno 1493. protestatur in quæstione quodlibetica 4. *In quorum deductione, si vel lapsu linguæ,aut ignorantia aliquid dixero,quod sit piarum aurium offensivum, aut contra doctrinam sanctæ matris Ecclesiæ ex nunc revoco,& pro non dicto haberi peto. submittens omnia correctioni sacrosanctæ sedis Apostolicæ,ac omnium, quorum interest errantem in viam veritatis reducere: qua protestatione procedo ad primi expeditionem.* Hæc est, opinor,

nor, protestandi formula, qua tunc Magistri ceteri Lovanii utebantur.

Pro Complutensi Academia spondet Petrus Cirvellus Complutensis Theologus, quem verisimile est non alia protestandi formula in expositione missali usum esse, quam qua Complutensis tunc utebatur Academia, ad annum scilicet 1528. quo expositioni huic vacabat. Sic igitur Cirvellus protestatur: *Protestor inprimis, quod etsi nihil ausu temerario me in hoc opere scripturum intendam, quod contraveniat sacris literis Bibliæ, aut firmis decretis matris Ecclesiæ, vel etiam authenticæ sapientum Theologorum doctrinæ: si qua tamen forte, vel ex imperitia mea, vel ex inadvertentia, aut etiam ex quavis culpabili negligentia edidero minus certa, aut etiam sibi invicem repugnantia, nec bene cohærentia, ea omnia, & meipsum scriptorem sponte subjicio correctioni sanctæ matris Ecclesiæ.* In hac protestandi formula, qui scripta, & seipsum correctioni subjicit, non alius, quam sanctæ matris Ecclesiæ correctioni subjicit.

Ceterum de aliis Academiis, nihil habeo quod observem; ad principis tamen Academiæ exemplum compositas esse protestandi formulas, quibus usæ sint ab initio, verisimillimum est.

ARTICULUS IV.

Variæ protestationum formulæ, quibus auctores opera sua subjiciunt correctioni & judicio aliorum.

VAriæ quingentis plus minus abhinc annis reperiuntur protestandi formulæ, quibus opera sua

scriptores aliorum judicio & correctioni subjiciunt. In nonnullis, qui scribit, generalibus tantum verbis protestatur, exspectata privati cujusdam fidelis, vel Ecclesiæ sententia: in quibusdam vero, qui protestatur, meminit tantum summi Pontificis, Ecclesiæ Romanæ vel sedis Apostolicæ, cujus censuræ dictata sua submittit; in aliis tandem Ecclesiæ, Concilia & summi Pontifices exprimuntur.

Primum protestandi genus occurrit apud Ivonem Carnotensem Episcopum in Epistola 221. ad Joannem Aurelianensem Episcopum: *De proposita quæstione ita sentio; nec tamen a dicentibus meliora & firmiora, si cum Evangelio & Apostolo sentiant, dissentio.* Item in epistola 230. ad Hildebertum Cenomanensem Episcopum: *Hoc de proposita quæstione sentio sine melioris sententiæ præjudicio.* Item in epistola 233. ad Henricum Abbatem Angeliacensem: *Hæc de proposita quæstione respondeo, majorum sententiis non præjudicans, quæ paci Ecclesiæ consulant & ædificationi.* Item in epistola 236. ad Joannem Lugdunensem Episcopum: *Hæc scripsimus dilectioni vestræ, parati refelli sine contumacia, si melius his quæ scripsimus nos docuerit prudentia vestra, quod munitum sit scriptura canonica.*

Ivoni succedit Petrus Abaelardus in prologo introductionis ad Theologiam. Sic ille loquitur: *In quo quidem opere, si culpis meis exigentibus a Catholica, quod absit, exorbitavero intelligentia, vel locutione, ignoscat ille mihi, qui ex intentione opera pensat, parato semper ad satisfactionem de maledictis vel corrigendis, vel auctoritate Scripturæ corrigere.*

Abae-

Abaelardo beatus Bernardus ſuccedit in epiſtola 174. ad Lugdunenſes Canonicos: *Quæ ante*, inquit de beatæ Virginis conceptione, *dixi, absque præjudicio ſane dicta ſint ſanius ſapientis, Romanæ Eccleſiæ auctoritati, atque examini totum hoc, ſicut & cetera, quæ ejusmodi ſint, univerſa reſervo, ipſius ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare.*

Bernardo ſuccedit Guillelmus de Sancto Amore in prologo tractatus de periculis noviſſimorum temporum: *Proteſtamur autem*, inquit, *ab initio quod omnia, quæ hic ad cautelam & inſtructionem Eccleſiæ univerſæ, non contra perſonam aliquam, nec contra ſtatum aliquem per Eccleſiam approbatum, ſed contra peccata malorum, & pericula Eccleſiæ generalis dicturi ſumus, non ex inventione noſtra, ſed ex veritate ſacræ Scripturæ collegimus; nihilominus tamen omnia Eccleſiæ correctioni ſupponimus.*

Ivo diverſimode proteſtatur; ſed fere ſemper appoſita conditione proteſtatur.

Abaelardus in proteſtatione corrigendum ſe cuicunque fidelium proponit.

Bernardus ſcripta ſua cuicunque ſanius ſapienti ſubmittit, & tandem Romanæ Eccleſiæ auctoritati atque examini reſervat.

Guillelmus Eccleſiæ duntaxat corrigenda opera ſua proponit.

Alterum proteſtandi genus paſſim habetur apud auctores, quorum aliquos in medium adduco.

Primus eſt Joannes de Pariſiis ex Ordine Prædicatorum Pariſienſis Theologus, in exordio tractatus de poteſtate Papali & Regia: *Proteſtor autem*,

inquit, *quod nihil intendo dicere cum aſſertione aliqua contra fidem, nec contra bonos mores, vel ſacram doctrinam, perſonæ, vel ſtatus ſummi Pontificis reverentiam; & ſi aliquid hujusmodi occurrerit interdicta, vel dicenda principaliter, vel incidenter, volo pro non dicto haberi, volens hanc proteſtationem valere & currere, ac ſi eam ſpecialiter reſumerem ſuper quolibet dicendorum.*

Secundus Joannes Baconus in quæſtione: *Utrum illud quod eſt ordinatum per clavem ſcientiæ in moribus per unum Rom. Pont. non poſſit revocari per ejus ſucceſſorem, &c. Inprimis proteſtor, quod in his, quæ faciunt in contrarium, non intendo contradicere determinationi domini Papæ, nec contra fidem, aut bonos mores: ſed, ſi ex ignorantia vel alias quicquam, quod his contrarium ſaperet, nunc pro non dicto habeo, immo in irritum revoco.* Joannis de Pariſiis, & Joannis Baconi formulæ proteſtandi Romanum duntaxat Pontificem attinent.

Baconus aliam habet proteſtationem in compendio legis Chriſti, & Canonis ſacri ſuper quartum ſententiarum: *Et ut per omnia, fides & mores caritatis præferantur, proteſtor me tenere quidquid ſacroſancta mater Eccleſia credit, tenet & prædicat; & quæcumque hic dicam, vel uſque ad extremum vitæ exitum, vel alibi dixerim ſub quacunque forma librorum, correctioni & judicio ſacroſanctæ ſedis Romanæ ſuppono; & ſi, quod abſit, ex his aliqua non convenirent fidei Catholicæ, aut bonis moribus, illa omnia & ſingula repeto, & revoco hic expreſſe.*

Tertius Durandus de ſancto Portiano in præfatio-

tione commentarii, quam in Magiſtrum ſententiarum edidit: *Hunc modum*, inquit, *Deo ordinante tenere volumus, ut nihil ſcribamus, vel doceamus ſacræ Scripturæ diſſonum: quod ſi per ignorantiam vel inadvertentiam aliquid diſſonum ſcriberemus, ipſo facto pro non ſcripto habeatur; & quia interpretatio dubiorum ſacræ Scripturæ ad ſanctam Eccleſiam Romanam & Catholicam pertinet, omnia opera noſtra hujus libri, ac ſequentium, ejus correctioni totaliter ſupponimus, utpote qui a pueritia in fide & obedientia Eccleſiæ Romanæ nutriti ſumus, & in Romana curia in Scholis ſacri palatii veritatem ſacræ Scripturæ docuimus, & per ſedem Apoſtolicam ad Epiſcopalem auctoritatem, quamvis immeriti, promoti ſumus.*

Quartus Thomas Braduvardinus in præfatione libri, quem adverſus Pelagium compoſuit. *Quot namque Charibdim prætergredi cupientes in Scyllam impegerunt, & quot Scyllam vitare cupientes in Charibdis voraginem inciderunt? Quis igitur præſumpſerit ſe tutum per medium navigare? Sed ſcio quid faciam? illi me navi committam, quæ perire non poterit? Navi Petri; in ipſa namque auctor & magiſter unicus noſter Chriſtus tutiſſime reſidens, de ipſa legitur docuiſſe, ſe myſtice nobis inſinuans, quod apud ipſam Petri naviculam, apud Romanam Eccleſiam, totius Chriſtianæ doctrinæ auctoritas & magiſterium remaneret. Hujus igitur tam authenticæ, tantæque magiſtræ judicio, me totum, meaque omnia ſcripta, ſeu ſcribenda plene ſubjicio, integreque ſubmitto: cujus & protectionem, ubi contra inimicos Dei*

pugnavero; correctionem, ubi erravero; approbationem, ubi recte sensero, instantissime postulo verbis totis.

Quintus Godefridus Boussardus in opusculo de continentia Sacerdotum sub finem: *Quæ omnia*, inquit, *sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, nec non sacræ Facultati Theologiæ Parisiensis matri meæ, submitto, atq; dimitto castiganda, corrigenda, & emendanda.*

Sextus Joannes major in tertium sent. dist. 37. quæst. 36. *Sed dicta illius Petri paucis constringam: vult ipse, sicut sui communiter, quod quota decimarum est solvenda jure divino. Secundo dicit, quod Theologus ille contra quem scribit, submittit tractatulum suum sedis Apostolicæ correctioni, & eorum quorum interest errantes castigare; & sic ego hanc quæstionem, sicut alia nostra, ut ratio expostulat.*

Deinde in quartum sent. in exordio & in propositione ad auditores: *Ceterum si in hoc opere, vel in alio in lucem emisso, vel emittendo erraverim, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & almæ Facultatis Theologiæ Parisiensis matris meæ acquiesco judicio, & quod illæ approbant, vel reprobant, hoc ipsum approbo, vel reprobo.*

Tertium protestandi genus suppeditant Theologi qui sequuntur. Guillelmus Okamus in fine prologi compendii errorum Joannis XXII. *Si quid autem scripsero quod Scripturæ, vel doctrinæ Sanctorum, seu sacrosanctæ Ecclesiæ assertioni repugnet, & adversetur, correctioni præfatæ Ecclesiæ Catholicæ, non Ecclesiæ malignantium, non schismaticorum, nec*

eorum fautoribus, me, & dicta mea subjicio & expono.

Joannes de Annosis in tractatu de confessionibus audiendis: *Si contra intentionem meam esset in hoc tractatu aliquid erroneum ab Ecclesia judicatum, nunc reprobo & revoco, paratus iterum revocare.*

Ægidius Carlerius in tractatu, qui incipit: *Ad Requestam reverendissimi in Christo Patris domini Cameracensis Episcopi. Quia professores veritatis parati esse debent omni poscenti reddere rationem de ea, quæ in eis est, fidei: eapropter sub correctione sanctæ matris Ecclesiæ, sedis Apostolicæ, & omnium orthodoxorum recte in fide sapientium subjugavi, quæ sequuntur, protestans, quod si quæ minus recte posita sint, sine ullo defensionis patrocinio subvertantur.*

Deinde in tractatu contra Iconomachos: *Hæc pauca Ægidius Carlerius, Decanus Cameracensis, sub correctione sanctæ matris Ecclesiæ, Conciliorum universalium, sanctæ sedis Apostolicæ, almæ Facultatis Theologiæ Parisiensis, & cujuslibet Magistrorum nostrorum, huic pagellæ commendavi.* Hic tractatus cum aliis quibusdam extat in cod. MS. quem habet bibliotheca Navarrici in Parisiensi Academia Collegii.

Joannes Capreolus ex Ordine Prædicatorum, Parisiensis Theologus, in fine libri 4. sent. *Hæc puerilia scripta completa fuerunt, anno Domini 1432. 18. Februarii, Rutenæ, Pontificatus domini Eugenii IV. anno 1. quæ omnia subjicio correctioni ejusdem summi Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ, nec non generalis Concilii nunc sedentis Basileæ.* Hic notanda est ab Eugenio Romano Pontifice ad Romanam Ec-

clesiam; & a Romana Ecclesia ad generale Concilium gradatio. Apud Carlerium ἀντίστροφος est gradatio.

Joannes Celaia in prologo tertii sent. *Protestor me nihil in hoc libro dicere velle, quod fidei orthodoxæ adversetur; seu quod sit contra decreta sanctorum Conciliorum, aut determinationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Ceterum si, quod absit, in aliquem errorem prolapsus fuero, pro non dicto, aut scripto haberi volo. Equidem in omnibus me submitto determinationi matris meæ sanctæ Ecclesiæ.*

His adjicio Joannem Hugonem Sletanum in libro, qui dicitur Quadruvium Ecclesiæ: *Protestor*, inquit, *in eodem tractatu, nihil me velle dixisse, scripsisse, legisse, compilasse, dictasse, quod sit contra fidem Catholicam, contra sanctam Romanam Ecclesiam, sacrum Romanum Imperium, Clerum, Rempublicam, sacros Canones, leges imperiales, & sanctum Evangelium. Si quid autem tale reperitur, aut repertum fuerit, pro non dicto, lecto, scripto, & compilato haberi volo, illud ex nunc, & antea revoco, & pro revocato haberi volo coram Deo, Ecclesia, & Prælatis, semper me subjiciendo mandatis & præceptis sanctæ matris Ecclesiæ, & Prælatorum ejus obedientiæ & correctioni.*

Hæc ille, qui ad annum 1498. Ecclesiæ sancti Stephani Argentinensis parochus erat.

ARTICULUS V.

Celebres protestationum formulæ, quibus usa est Facultas Theologiæ Parisiensis in actibus vel decretis suis.

Expe-

EXpeditis protestationum formulis, quæ cum Theologiæ candidatos, tum privatos Doctores attinent, injucundum non erit, opinor, eas annotare, quibus usam esse Facultatem Theologiæ Parisiensis universam comperimus. E multis exemplis sese offerunt quatuor.

Primum in illa oratione, quam Facultatis hujus Legati coram Apostolico senatu habuit in causa Joannis de Montesono: *Primo igitur*, inquiunt, *pro vestris humilibus filiis Universitatis prædictæ, & pro nobis eorum nunciis, qui suis hac in parte obsequimur mandatis & documentis, intimo corde & ore unanimiter protestamur, & quidquid hactenus in hac causa per eos actum, & quidquid in ea nunc & alias pro eis acturi, vel dicturi sumus, totum correctioni & judicio sedis Apostolicæ, & sedentis in ea summi Pontificis, humiliter submittimus;* Clementis nempe VII. qui tunc Avenione sedebat, quique a Gallis ut verus & legitimus Ecclesiæ Romanæ Pontifex agnoscebatur.

Alterum in præfatione decreti, quod super observatione dierum dominicorum, & festorum solennium edidit. *Universis præsens documentum inspecturis, Decanus & Facultas Theologiæ in alma Universitate Parisiensi, salutem, & in omnibus Fidelibus cor rectum, ut colant Deum. Cum Theologi Doctores, secundum professionem suam, teneantur veteris & novæ legis abdita pandere &c. eapropter nos in competenti numero congregati, juxta canonicam Principis Apostolorum sanctionem, parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, fide & spe, volentes, secundum talentum nobis a Domino datum, devotioni, & petitioni quorundam venerabilium virorum Parisius degentium, satisfacere de modo observantiæ dominicalium dierum, & festorum solennium; submittendo tamen omnia dicta & scripta determinationi & correctioni sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ sedis, respondemus.*

Tertium in judicio, quod eadem Facultas tulit de duobus duorum Pontificum bullis, quibus Jesuitarum Ordo confirmatur. *Communi consensu, cum reverentia tamen,*

& submissione, (remittendo hujus facti decisionem sanctæ Sedi) censuit Facultas, &c.

Quartum in præfatione catalogi librorum, quos jussu Henrici II. Francorum Regis, Facultas damnavit: *Quem, catalogum, ad Christianæ rei commodum, sub correctione sanctæ matris Ecclesiæ, ac sanctæ sedis Apostolicæ, typis mandandum dedimus.*

In exemplo primo, Facultas sedentem a sede distinguit, ut olim Leo I. in epistolæ 62. ad Maximum Antiochenum Episcopum capite 3. sic distinxit. *Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita Præsulum, jura tamen permanent sedium.* Observatum a Leone discrimen exponit Auxilius, dum in libri 2. de ordinationibus Formosi Papæ capite 18. ita scribit: *Quæso diligenter, quod dicturus sum longe incomparabiliter. Aliud sunt Pontificales sedes, aliud præsidentes. Proinde honor & dignitas uniuscujusque sedis, venerabiliter observandæ sunt: præsidentes autem, si deviaverint, per devia sequendi non sunt.*

In exemplo secundo, Facultas Romanam Ecclesiam a sede Apostolica distinguit, ut olim Innocentius I. in epistola ad Milevitanæ Synodi Episcopos, sic distinxit: *Inter ceteras Romanæ Ecclesiæ curas, & Apostolicæ sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus, Frater & Coepiscopus noster Julius dilectionis vestræ literas, quas ex Milevitano Concilio cura fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit.* Observatum ab Innocentio discrimen sequitur Felix III. in epistola 4. ad Petrum Fullonem Antiochenum Episcopum: *Firma sit hæc tua depositio a me, & ab his, qui mecum Apostolicum thronum regunt.*

Sed quidquid id est Agatho Romanus Pontifex in duabus ad Imperatores confirmat epistolis, quas Synodus sexta repræsentat. In priori res sic se habet: *His itaque mansuetissimi rerum Domini divalibus apicibus animatus, & ad spem consolationis de profundis angoribus alleviatus, orsus sum meliori refectus confidentia paulatim, iis quæ per mansuetissimæ fortitudinis vestræ sacram dudum præcepta sunt, efficaciter promptam obsequentiam exhibere, ut personas,* qua-


quales secundum temporis hujus defectum, ac servilis provinciæ qualitatem, poterunt inveniri, pro obedientiæ satisfactione inquirerem, & cum consilio consamulorum meorum Episcoporum, tam de propinqua hujus Apostolicæ sedis Synodo, quamque de familiari Clero, amatores Christiani Imperii: & sequenter de religiosis servis Dei, ut ad piissimæ tranquillitatis vestræ vestigia properarent, hortarer. En propinqua sedis Apostolicæ Synodus, quæ antiquitus sedes Apostolica sæpenumero intelligebatur; en quoque familiaris Clerus, qui cum Pontifice Romanam Ecclesiam componit. Porro clerus est, quem Cyprianus in epistola ad Cornelium, florentissimum, & una cum Cornelio præsidentem appellat.

In posteriori vero res ita se habet: *Agatho Episcopus, servus servorum Dei, cum universis Synodis subjacentibus Concilio sedis Apostolicæ.* Sedis Apostolicæ Concilium illud est, quod ante sedis Apostolicæ propinquum appellat.

In exemplo tertio, Facultas sedis Apostolicæ meminit, sed sedentis in ea Pontificis non meminit.

In exemplo quarto, Facultas matris Ecclesiæ, & sedis Apostolicæ simul meminit, nec ab Ecclesia sedem Apostolicam sejungit.

Hæ sunt protestationum formulæ, hæc verba solennia, quibus Facultas Theologiæ Parisiensis decreta sua nunc sedis Apostolicæ & sedentis in ea Pontificis, nunc Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedis, & nunc sanctæ sedis simpliciter, nunc Ecclesiæ & sedis Apostolicæ judicio submittit.



INDEX

INDEX.

Cap. I. *Carolus Magnus Scholarum & bonarum artium instaurator in Occidente.* pag. 3.
Cap II. *Quædam superducta expositæ veritati commenta recensentur, & ipsa propemodum recensione confutantur.* p. 13.
Cap. III. *Episcoporum studium & opera in instaurandis Scholis.* p. 25.
Cap. IV. *Schola Palatii.* p. 27.
Cap. V. *Schola Turonensis.* 31.
Cap. VI. *Schola Fontanellensis.* p. 36.
Cap. VII. *Schola Lugdunensis.* p. 37.
Cap. VIII *Schola Fuldensis* 40
Cap. IX. *Schola Osnaburgensis.* p. 44.
Cap. X. *Schola Metensis.* p. 45.
Cap. XI. *Ludovici Pii & Episcoporum opera & studium in instaurandis Scholis.* p. 47.
Cap. XII. *Caroli Calvi & Episcoporum opera & studium in instaurandis Scholis & scientiis.* p. 50.
Cap. XIII. *Schola Romana ertra muros urbis.* p. 55.
Cap. XIV. *Schola S. Germani Autissiodorensis.* p. 56.
Cap. XV. *Schola Corbeiensis in Gallia.* p. 59.
Cap. XVI. *Schola Hirsaugiensis.* p. 60.
Cap. XVII. *Schola Sangallensis.* p. 66.
Cap. XVIII. *Schola Corbeiensis apud Saxones.* p. 71.
Cap. XIX. *Schola Prumiensis.* p. 73.
Cap. XX. *Schola Moguntinensis S. Albani Mart.* p. 74.
Cap. XXI. *Schola Remensis.* p. 76.
Cap. XXII. *Schola Hildesheimensis.* p. 84.
Cap. XXIII. *Schola Floriacensis.* p. 85.
Cap. XXIV. *Schola Aurelianensis sanctæ Crucis.* p. 90.
Cap. XXV. *Schola Leodiensis.* p. 100.
Cap XXVI. *Schola Ramesensis.* p. 104.
Cap. XXVII. *Schola Augiensis.* p. 106.
Cap. XXVIII. *Schola Lobiensis.* p. 107.
Cap. XXIX. *Schola Mediolacensis.* p. 109.
Cap. XXX. *Schola Trajectensis.* p. 110.
Cap. XXXI. *Schola Parmensis.* p. 113.
Cap. XXXII. *Schola Babenbergensis.* p. 113.
Cap. XXXIII. *Schola Coloniensis.* p. 115.
Cap. XXXIV. *Schola Hirsfeldensis seu Herveldensis.* p. 116.

Cap.

Cap. XXXV. *Schola Treverensis sancti Matthiæ.* 117.
Cap. XXXVI. *Schola Bremensis.* p. 119.
Cap. XXXVII. *Schola Tullensis.* p. 120.
Cap. XXXVIII. *Schola sancti Petri Senonensis.* p. 123.
Cap. XXXIX. *Schola Doleiensis.* p. 124.
Cap. XL. *Schola Carnotensis.* p. 125.
Cap. XLI. *Schola Abrincensis.* p. 129.
Cap. XLII. *Schola Beccensis.* p. 131.
Cap. XLIII. *Schola Uticensis seu sancti Ebrulfi.* p. 141.
Cap XLIV. *Schola Cantabrigiensis.* p. 142.
Cap. XLV. *Schola Laudunensis.* p. 145.
Cap. XLVI. *Schola Andegavensis.* p 154.
Cap. XLVII. *Schola Cenomannensis.* p. 159.
Cap. XLVIII. *Schola Gemblacensis.* p. 160.
Cap. XLIX. *Schola Metensis sancti Vincentii.* p. 161.
Cap. L. *Schola S. Michaelis super Mosam fluvium.* 163
Cap LI. *Schola Augustensis.* p. 164.
Cap. LII. *Schola Catalaunensis.* p 165.
Cap. LIII. *Schola Monasterii sancti Remigii Remensis.* p. 167.
Cap. LIV. *Schola Blesensis.* 169
Cap. LV. *Schola Lexoviensis.* p. 170.
Cap. LVI. *Schola Bracarensis.* p. 171.
Cap. LVII. *Schola Palentina.* p. 172.
Cap. LVIII. *Schola Valentina.* p. 173.
Cap. LIX. *Schola Parisiensis.* p. 175.
Art. 1. *Certiora Scholæ Parisiensis exordia.* p. 177.
Art. 2. *Extinctum per annos aliquot Parisiense Studium redaccenditur semper (ut spes est) duraturum.* p 181.
Art. 3. *Abaelardus factus Monachus, perillustris Scholarum rector in monasterio S. Dionysii.* p. 193.
Art. 4. *Scholæ cœnobii S. Victoris Parisiensis.* p. 195.
Art. 5. *Continuatus Academiæ Parisiensis labor, celebritas, & auditorum frequentia.* p. 199.
Art. 6. *Summi quidam viri in Parisiensis Academiæ sinu educati.* p. 207.
Art. 7. *Pontifex seu Romana Curia Parisiensem Scholam consulit in rebus dubiis.* p. 218.
Art. 8. *Romani Pontifices Parisiensem Academiam exquisitis laudibus exornant.* p. 222.

Art.

Art. 9. *Romani Pontifices Academiæ Parisiensi se in Apostolicam sedem promotos esse per literas significant.* p.227.

Art. 10. *Romani Pontifices Concilium generale celebraturi, ad Parisiensem scribunt Academiam, ut ad illud idoneos homines mittat.* p.243.

Art. 11. *Christianissimi Reges Parisiensem Scholam consulunt in rebus arduis & difficilibus.* p. 246.

Art. 12. *Exteri Reges & Principes ad Parisiensem Academiam scribunt non raro.* p.266.

Art. 13. *Sacramentum Reginæ Blanchæ datum, in quo certa quædam privilegia illustria Parisiensi Universitati conceduntur* p.277.

Art. 14. *Parisiensis Academia legatos mittit ad generalia Concilia.* p.280.

Art. 15. *Parisiensis Academia, & Academici celebres ad generalia Concilia literas perscribunt.* p.287.

Art. 16. *Guillelmus Quadrigarius Parisiensis Episcopus, Academiæ Rectori primas a se & collegis tribuendas esse partes verbo atque exemplo statuit.* p. 303.

Art. 17. *Mirifica & incredibilis in servandis legibus Academiæ constantia.* p.306.

Art. 18. *Parisiensis Senatus olim edixit, ne qui sacrorum codicum explanationem, vel Catholicam fidem attinent commentarii, sine Facultatis Theologiæ Parisiensis judicio typis mandarentur.* p.313.

Art. 19. *Episcopi complures editis ab se libris optime provisum esse credunt, si a Parisiensium Theologorum collegio probentur.* p.314.

Art. 20. *Selecta quædam Facultatis Theologiæ Parisiensis decreta, quæ ad Ecclesiasticam hierarchiam spectant.* p. 317.

Cap. LX. *Facultas Theologia Parisiensis de doctrina pronuncians, ubi per articulos octo & viginti res eadem ostenditur, nimirum doctrinæ determinationes, ut valeant, variis temporibus ab eadem Facultate fieri concorditer solitas esse.* p.327.

Art. 21. *Doctrinalem determinationem, ubi facta est concorditer, locum suppeditare Theologicum; non suppeditare, cum facta non est concorditer,* au-

auctoritate & ratione comprobatur. p 385.
Cap.LXI. *Per saturam* p.399.
Art.1. *Sacramentum consultationibus, & ferendis gravioribus judiciis præmitti solitum.* p 399.
Art.2. *In ferendo de doctrina cujusdam auctoris judicio non minus quam in aliis ferendis judiciis, locus est rejectioni judicum seu Magistrorum, qui vel propter inimicitias, vel propter aliam causam suspecti forent.* p. 409
Art. 3. *In Constantiensi Concilio certæ quædam traduntur notæ, quibus damnandæ propositiones configantur.* p.416.
Art. 4. *Decidendarum rerum indiculus Magistris singulis præberi solitus.* p. 425.
Art. 5. *Facultas Theologiæ determinationes suas, non asserendas simpliciter, sed probandas esse censet.* p.341.
Art. 6. *Facultas deliberantibus, & de doctrina judicium ferentibus Magistris, liberum tempus relinquit.* p.439.
Art. 7. *Facultas Theologiæ non uno tantum modo præcipit determinationes suas ab ordinis sui Professoribus observari.* p. 450.
Art. 8. *Facultas Theologiæ dum suos alumnos corrigit, decretas jure ecclesiastico & civili monitiones observat.* p.464.
Art. 9. *Facultas Theologiæ & conjunctim cum Episcopis, & separatim ab Episcopis, doctrinale judicium sibi vendicat.* p.468.
Art.10 *Facultas ipsa Theologiæ exponit quid possit & circa personas, & circa doctrinam personarum sodalitii sui.* p.472.
Cap.LXII. & ult. *De veteribus formulis protestationum Romæ a Pontificibus, in Parisiensi, & quibusdam aliis Academiis, a Doctoribus fieri solitarum.* p.475.
Art. 1. *Romani Pontifices protestationibus hujusmodi certo quodam modo præluxerunt.* p.476.
Art. 2. *Variæ protestandi in Parisiensi Academia formulæ recensentur.* p 481.
Art. 3. *Non dissimilis est in Academiis Bononiensi, Oxoniensi, Tubingensi, Lovaniensi, & Complutensi formula protestandi.* p. 494.
Art. 4. *Variæ protestationum formulæ, quibus auctores*

ctores opera sua subjiciunt correctioni & judicio aliorum. p.497.

Art. V. *Celebres protestationum formulæ, quibus usa est Facultas Theologiæ Parisiensis in actibus vel decretis suis.* p.504.

Adde paginæ 306. *post* epulas iniret.

Huc Joannes Celaja Parisiensis Theologus, qui ad annum 1526 claruit, spectat in quartum sent. dist. 34. quæst. 4. in solutione ad primum: *In Universitate Parisiensi matre mea, Procurator Franciæ aut Normanniæ, præcedit dominum Rectorem ejusdem Universitatis in sua natione; & nihilominus dominus Rector major est omnibus Procuratoribus, & non solum eos, verum etiam Episcopos, Archiepiscopos, & Cardinales præcedit.* Sic loquitur, ut quæ propriis usurpavit oculis, narrare videatur. Delatus literis honos eo usque pervenit. Antistites quippe per sese ipsi intelligebant, e duabus quas habent & recte numerant, clavibus, scientiæ unam, jurisdictionis seu potestatis alteram, posteriori priorem hujus ducem antecedere.

